recepis [illegible] Licet [illegible] Regnum [illegible]
est [illegible] Quare [illegible] [illegible]
est [illegible] Quare [illegible] Christus [illegible] et [illegible]
est [illegible] omnes [illegible] biberint et quomodo
[illegible] homo bibat [illegible]
[illegible]
et [illegible] [illegible].

1 Praesentis [illegible] Quare Regnum [illegible]
[illegible] est tam amplum quod [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] qui illud [illegible]
2 Quando Christus [illegible] [illegible]
[illegible] biberit et quomodo et quia [illegible]
et [illegible]
Quam pulchrum est [illegible] et quare
Christus Dominus [illegible] [illegible]
[illegible] tam parvo [illegible] [illegible].

[illegible]

[illegible] [illegible]

[illegible]

+

A

Avaritiae hominum refutatio-
nem quaere et vide in concione
quadragesimali. Feria 5. post
Dominicam Secundam Quadra-
gesimae. Folio. 200.
Amoris Dei et proximi diffe-
rentiam vide
Primo Amori Dei concionem

R. P. IOANNIS OSORII, LVSITANI, SOCIETATIS IESV, CONCIONVM EPITOME.

DE SANCTIS ECCLESIAE DEI, QVORVM FESTA PER TOTVM ANNVM IN CATHOLICA ECCLESIA CELEBRANTVR.

Opera ac ſtudio,

THEODARDI PAVLI, BOLSVVERDIENSIS, FRISII,
P. D.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica ſumptibus
Arnoldi Mylij.
ANNO cIɔ. Iɔ. XCVIII.

FESTA IANVARII.

IN FESTO SS. MARTYRVM FABIANI ET SEBASTIANI.

THEMA: *Descendens Iesus de monte.* Luc 6.

ADEST nobis, dilectissimi, celebritas Diui Sebastiani, qui iure sibi vsurpare potest illud: *Tetendit arcum* Thren 3.
suum, & posuit me quasi signum ad sagittam; misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Cum se iratum Dominus ostendere vult, arcum sagittamq; arripit: sic Psal. *Nisi conuersi fueritis, arcum suum tetendit, & parauit* Psal 7.
illum, & in eo parauit vasa mortis. His percussit Angelos, Genes 3.6.
primos parentes, & vniuersum hominum genus in diluuio. Sed quod signum erit clementia? *Arcum meum po-* Gene. 9.
nam in nubibus cæli O Domine, arcus signum est pacis, & non potius belli? Maximum summumque est Dei in nos misericordiæ signum, cùm arma Dei tibi dantur: 1. Reg. 21.
cùm in templo nostro suspenduntur arma inimica no- Iudith 16.
bis, sicut Goliæ & Holophernis. Hic arcus est in Maria positus, quæ & nubes est cæli, & templum nostrum. Sic Propheta Christum appellat: *Suscitans suscitabis arcum tuũ;* Habac. 3.
signum pacis & misericordiæ *Ecce Virgo concipiet.* & cæt. Isaiæ 7.
ecce arcum in nube, ad eam ergò accedamus, dicentes, Aue Maria.

In clarissimorum martyrum festiuitate operæpretium erit interrogare, qua de causa in lege gratiæ voluerit Deus effundi copiosissimum sanguinem hominum, cùm in lege veteri animalium irrationabilium sanguine contentus fuerit? Adauget difficultatem, quod lex gratiæ lex est amoris, dulcedinis, & misericordiæ, & in ea effusus erat iam sanguis ille Christi, qui innumeris

redimendis mundis satis erat. Licèt huius rei multas dicere possemus causas, vnicam tamen illam perpendemus, quę ad Ecclesiã spectat. Vidit enim Ecclesia Deum pro ipsa sanguinem fudisse suum, vult & ipsa sanguinem pro eo fundere, vt ei debitum reddat eodem (quod aiunt:) monetæ genere, Hoc Ecclesiæ nomine loquitur

Cur martyrum sanguis in Ecclesia tam copiosè effusus.

Psalm. 115. Psal. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam,* quasi dicat, dignam retributionem minimè inuenio: veruntamẽ ad qualemcunq; gratiarum actionẽ, ecce calicem amaritudinis atque passionis, quem tu bibisti, Domine, pro amore tuo bibere paratus sum, idque faciam cum aperta confessione nominis tui; cuius gratia & saluberrimum est, & omninò gloriosissimum passiones, atque etiam mortem, tolerare. Hanc dignam retributionem Sebastianus reddere voluit; *positus quasi signum ad sagittam.* Fuit enim Christus signum, in quod vniuersus mundus sagittas direxit suas. Sic Simeon: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* &c. Voluit Sebastianus ei rependere, factus etiam signum ad sagittam.

Luc. 2.

Nec verò hoc ira Dei in suos censenda est, sed gratia maxima, & summum beneficium. Hoc enim interest inter reges terræ, & regem cæli: quòd illi dilectis suis officia concedunt minimi laboris, & maximi honoris; minoris periculi, & maioris delectationis: at contrà Deus, quod laboris maximi illud magis reputat, illud amicis largitur suis, *suosque honestat in laboribus.* Christo filio suo concedit humani generis redemptionem laboribus plurimis. Apostolis mundi expugnationem *in laboribus plurimis, in carceribus, &c.* Martyribus deindè simile quid concessum est. Non ergo mali hoc indicium est sed felicis. *Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Pacis signum & omnis boni fuit Dauidi cum Ionatha paciscenti, *Sagittæ intra te sunt:* signum verò iræ, *vltra te sunt.* An non hoc Sebastiano sagittis transfixo dicemus? *Sagittæ intra te sunt: pax ergò tibi est, & nihil est mali.* Simile verò quid loquemur omni afflicto, qui quasi sagittis confixus est; pacis hoc tibi est signum. Sic ille putabat, qui orat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Non est ira DEI ira

Gratia maxima pro Deo pati.

A dissimili.

Sap. 10.

2. Cor. 11.

Philip 1.

1. Reg. 20.

Exemplũ.

Psal. 6. 37.

aut

aut furor in eum, in quo sagittæ infixæ sunt.

Hæc verò tanta sanguinis effusio (plures enim homines sacrificati martyrio sunt in lege noua, quàm animalia in veteri, adeò *vt effuderint sanguinem sanctorum sicut aquam*, & in vnumquemque anni diem plusquam 5000. præclarorum martyrum Hieronymi ætate referri potuerint) non obstat eius dulcedini, & suauitati. Nam passionis acerbitatem gratia tollit, animumque firmat, vt facilè, suauiterque omnia perferat mala. Audi militiæ Christianæ antesignanum: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcimur, sed non perimus. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes, vt & vita IESV manifestetur in corporibus nostris*. Hoc verò, quod de se Paulus testatur de omnibus martyribus, tam viris quàm fæminis, eorum scriptores testantur; qui in tormentis & carceribus, vt in regia saula, & inter prunas quasi in rosis ambulabant. Quod & in pueris & puellis visum est. Inter quos meritò annumerandus est Sebastianus, qui immanissimum Diocletianum adeò liberè increpauit, tam forti ac inuicto animo in stipite fuit, vt quemadmodum sagittis configendi patronum habent, qui primus cor eius transfigat, ne reliquas sentiat: sic ei CHRISTVS IESVS patronus fuerit, qui eius cor sagitta amoris diuini sic sagittauit, vt reliquas nihili duceret. Hanc sensit, qui dicit: *Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua*. Hæ sunt *acutæ in corda inimicorum regis*: quæ in corda infiguntur, cùm de ijs, qui confixi sunt, dicitur: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Has etiam *ardentes effecit*, vt cor inflamment. Quod si cor Dei amore ardet, facilè despicit temporalia incommoda: quia non est ibi amor eius. Sed qui nimium dolet de præsentibus, signum dat, se nō mortuū huic seculo esse: nec gratia vti, vt debet, nec suauitatem legis gratiæ gustâsse.

Dulcedo in passione pro Dei nomine.
Psal. 78.
Hier. ep. ad Chrom. & Hel.
Ioan. Mol. c. 2 præfat. in Martyrol.
Baronius in Martyr. Rō. ca. 5. 6. 7.
2. Cor. 4.
A simili.
Aug. lib. 9. conf. ca. 2.
Psalm. 44.
Coloss. 3.
Psalm. 7.

Sed alius dicet: Martyrium mihi adest nullum; opto quidem illud, sed longè à me est. Licèt calicem Christi non bibas, tamen saltem eum accipe. Est enim calicem accipere, est & calicem bibere. Calicem accipit, qui animum offert Deo suo, prius sui causa passo, paratum ad omnia pro eo ferenda. Calicem bibit, qui mar-

Calicem accipere & biber quid differat.

tyrio coronatur, quod omnibus non conceditur. Multi enim calicem vehementer sitierunt, dum Deo id quotidie offerebant desiderio; sed non est eis datum, vt biberent, & martyrij gloria coronarentur. Nouit enim Dominus infirmos esse quosdam, qui licèt sint robusti, vt gustent, nō tamen sufficientes sunt ad ebibendum amarum illum calicem: quem ipse Christus robustissimus Athleta deprecatus est, dicens; *Pater si fieri potest transeat à me calix iste*. Omnes tamen vult eum accipere, dum ad turbas vniuersas exclamans ait: *Si quis venit ad me, & non odit &c. non potest meus esse discipulus*. Et, *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*. Dicitur verò salutaris calix, Christo quidem, *quoniam per illum intrauit in gloriam suam*: nobis autem, quia *per varias tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*.

Ad bibendū Christi calicē non sunt omnes satis robusti

Matth. 26

Luc. 14.

Calix cur salutaris.

Luc. 24.

Actor. 14.

Vt ea, quæ dicta sunt, edoceret, *descendens IESVS de monte stetit in loco campestri*. Ascenderat ad montem cum paucis, cum perfectis scilicet, qui dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia*. Verè perfectio paucorum est, ideò descendit, vt plures eum sequi possint. Quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia 2. Ostendit in hoc summam in homines charitatem, dum *descendit*, facilem nobis præbens cæli viam: & suauitatem, dum non ardua & sublimia exegit. Posset quidem Deus ab omni homine perfectissima quæque postulare: sed sic in morte staret; nunc verò non sic, sed descendit; quia verè *mandata eius grauia non sunt*. Tu in valle stas? Christus ad te descendit. Secularis es? in eo statu Christum sequere, & saluus eris. 3. Deindè Christus descendit, vt ostenderet vitam Christianam mixtam ex actione & contemplatione. *Ascendit* Christus in montē, vt discas eleuare in Deum mentem per orationē: *descendit*, vt noueris descendere ad opera charitatis. Quidam quidē opera exercent spiritalia; quidam corporalia; sed omnes ascendant, & descendant, oportet. Nec verò se impediunt actio & contemplatio, imò verò iuuant maximè. Et sicut duo instrumenta Musica, cùm pulsantur mutuò se iuuāt; sic actio & contemplatio. Christiani ergò vita perfecta mixta sit oratione & contemplatione, vt sit *circumdata varietate*.

4. Præterea descendit, quia licèt in alto manere posset,

Matt 5. 19.

Cur descendat de mōte.

1.

Ambr in Luc. 6.

2.

1. Ioan. 5.

3.

Simile.

Psalm. 44

4.

non obliuiscitur tamen eorum, quæ inferius sunt. *Ex-celsus Dominus, & humilia respicit descendens* IESVS. Non sic homo, qui in sublimi sedens, etiam suos non agnoscit. 5 Deniq; descendit, postquam ascenderat, vt nos doceat sic locum altum possidere, vt nouerimus descendere agnoscentes nos & vilitatem nostram Quando in sublimi statu es, ne obliuiscaris, quod nihil sis. Ille in loco edito securus est, qui nouit descendere, ac se humiliare. Huiusmodi erat Rex Propheta dicens: *Ego autem vermis sum, & non homo.* *Psalm 112 & 137.* *Psal. 21.*

Conueniunt tunc plurimi, *& multitudo copiosa plebis ex omni Iudæa, & Hierusalem, Tyri & Sidonis.* Non Hierosolymitæ & Iudæi solum Christum sequuntur, sed & Tyrij, & Sidonij. Ne glorietur Sapiens, Sacerdos, Religiosus, quod Christum sequatur; nec putet quod ille solus sit: Verè enim multi seculares sunt, qui Christū sequuntur, quorum comparatione confundi potest Multi enim de infima plebe Christum sequuntur, qui præcedent in regno cælorū multos prælatos ac religiosos. Quis videret nobilem, illustremq; equitem Sebastianū, ducem primæ cohortis, indumentis militum indutū, & diceret, hic præcedet multos Eremitas in regno cælorū? Quem si à foris cerneres, diceres virum huius mundi esse, nihil curantem æterna: sed intus cilicio induebatur: Exterius Imperatoribus obsequens, interius Christo Domino, & sic multos Christo lucrefecit, complures accedens ad martyrium, maximè Marcum & Marcellianum; qui iam penè defecerant blanditijs deliniti. Nullum ergo despicias, nisi te solum Ambr. serm. 20. & 21 in Psalm. 118. NB. *Luc 13. Sub Diocleti. 11. persecutione omnium grauissima, quam visam à Dan. 7. ait Optat. qua Legio Thebæor iugulata est, & 17. Christianorū milia intra* 30 *dies occisa. Surius 20. Ian* ANNO 301. *Eus. l. 8. hist. Eccl Nicephl. li. 7. & Oro. li. 7.*

Omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, &c. Christus enim è cæli monte descendēs, tanta afflu xit diuitiarum copia, vt in eo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, diuites fiamus.* Omnes ergò accedant ad eum, vt aliquid accipiat ab eo. Olim mortuus est Oza, quod tetigerit Arcam: sed iam accedere potes, & Christum tangere Sed ais: ô si quis tunc turbæ illi ad fuisset, vt Christum videre & tangere posset? in potestate tua hoc est: nec hoc solū, sed multo plus; Eū re ipsa digné in Eucharistiæ Sacramēto, & Christū tāges, imò & intra te pones Mirū profectò, qua auiditate tunc oēs turbæ *Coloss. 2. 2. Reg 6 Chrysho. 51 in Math 1.*

Isa. 2. concurrebāt ad Christum simul etiā stupendūm, quam
NB. iam refrixerit Christi deserit. Vides coram te ingen-
Simile. tem auri aceruum, & ebullit continuò cor tuum; secum-
que alloquitur dicens: O quis hæc possideret? Et vides
Sap. 7. Christum in altari, quo *qui vsi sunt, participes facti sunt a-
micitiæ Dei*; hunc infinitum thesaurum non desideras?

Oculi custo- *Et ipse eleuatis oculis in discipulos*. Consideranda exi-
diendi. mia Christi modestia est. Maxima enim custodia oculi
sensusq; nostri custodiēdi sunt; nec sine causa leuandi;
Thren. 3. quoniam *oculus meus deprædatus est animam meam*. Hinc
Mors ascen- omnium nostrum perditio ortum habuit: *Vidit enim
dit per fene- mulier lignum, quòd erat pulchrum visu, aspectuque delectabi-
stram, Ier. 9. le*. Hinc malum omne Dauidi, quòd deambulans in so-
Gene. 3. lario vidit Bersabee. Sensus ergò tuos constringe, & dic:
2. Reg. 11. *Pepigi fœdus cum oculis meis*, &c. Idipsum præsta, ne & tu
Iob. 31. pereas cum senibus illis, qui videntes *pulchritudinem Su-
Dan. 13. sannæ exarserunt in concupiscentiam eius*.

Beati pauperes, &c. Vide de ijs in festo omnium San-
ctorum. Addit verò cælestis magister: *Beati eritis, cùm vos
oderint homines*, &c. Dicit quidam: Si scirem me electum,
& prædestinatum à Deo, omnia quæ mundi sunt despi-
cerem, & lætissimus essem. Et bene dicit: sic enim ad
Prædestina- suos Christus ait; *gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in
tionis signū. cælis*. Vis signum tibi dari prædestinationis? Considera,
Simile. an in te sit crucis signum Sicut enim oues sua signa ha-
Reprobatio- bent, vt à Dominis agnoscantur: sic oues suas Christus
nis signum. cruce & tribulatione signat: dæmon verò suas delitijs,
Iob. 19. ludis, diuitijs, & seculi vanitatibus. Sic cum Iob factum
est, cui tanta spes erat, quia se tribulatione signatum vi-
dit. Hinc Sancti lætati sunt tribulationibus. De omnibus
Apoc. 7. enim dicitur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione*.
Sed vt excellentius nobis esset exemplum, seipsum no-
1. Petr. 2. bis Christus proposuit Hinc Petrus: *Christus passus est pro
Hebr. 12. nobis, vobis relinquens exemplum*. &c. Et: *Recogitate eum, qui
Martyrum talem aduersus semetipsum sustinuit contradictionem, vt non
constantia defatigemini animis vestris deficientes*. Hinc omnes marty-
vnde fuerit. res didicerunt patienter aduersa tolerare. Cùm enim
Aug. in Psal. Ecclesiæ nobilissima pars martyres sint, ad Christum
63. & expos. spectabat eos non verbo tantùm, sed & opere edocere.
1. in Psal. 2. Hinc Paul. *Curramus ad propositū nobis certamen, aspicientes
Hebr. 12. in authorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito*

gaudio sustinuit crucem, &c. Hoc vires addidit Sebastiano. Hoc nos in hanc pugnam vt intremus, maximè mouere debet, *vt si socij passionum fuerimus, simus & consolationum in gloria*. &c. *Amb. in lib. 22. & Ps. 61. Orig. hom. 9. in Iud. 7.*

IN FESTO S. AGNETIS Virginis & Martyris.

THEMA: *Simile est regnum cælorum decem virginibus*. &c. Matth. 25.

INter Mariæ nomina clarissima vnum illud est VIRGO VIRGINVM, & VIRGINVM REGINA. Et meritò: Ipsa enim statum Virginitatis voto firmatum in lege gratiæ inchoauit: & illa hunc magno in pretio habuit. Cùm verò à Dei matre in tanto pretio habitam Virginitatem viderunt cùm mares tum fœminę, hanc plures maximè coluerunt: impletumque est illud Psal. *Adducentur Regi Virgines post eam*, id est, post Mariam: &, *proximæ eius adducentur tibi in lætitia & exultatione*, id est tanquam pedissequę post eam. Inter Virgines verò, quæ illam secutæ sunt, præcipuam dicamus B. Agnetem, ætatis 13 annorum, sed ei erat senectus mentis immensa, verè prudentissima virgo. Sed adeò est diuina virtus hæc Virginitatis, vt maximè nobis necessaria gratia sit; vt ergò de ea loquamur, ad Virginum Reginam accedamus. &c. *Virginitatis votũ in lege gratiæ à Maria inchoatũ. Psal. 44. ANNO 304. 21. Ianuar. Surius. Amb. lib. 5. de Virg. Ser. 90. lib. 1. Offic. c. 1.*

Inclyta, illustrisq; est ciuitas illa Ierusalem, cuius innumeri sunt ciues conscripti, & omnes Reges sunt à minimo vsque ad maximum, omnes coronas Regum habent in capite incorruptas: de quibus Psal. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso* Et Ioan *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Sed inter hos reges Regem esse, quantum obsecro erit? Reges terræ regnant, sed pauperibus dominantur: at qui inter cæli reges rex fuerit, principabitur innumeris Regibus. *1. Cor. 9. Matt. 25. Apoc. 2. Luc. 22. Omnis beatus rex est.*

Sciendum ergò omnem beatum Regem esse, & coronam regni habere, gloriam scilicet essentialem. Sed aliqui sunt beatorum, qui super hanc alia insigniuntur corona, qua cæteris beatis præeminent. Sicut enim apud *Amb. in Luc. 19. Arethas in Apoc. 2.*

Aug. libr. de agon. Christ. c.2. Romanos diuersæ fuerunt coronæ, quibus donabantur, qui strenuè se gesserant in re militari: ita sancti Patres docuerunt, quòd superessentiale diuinæ beatitudinis præmium, quod dicitur aurea Corona, superadditur alia corona accidentalis, quæ ijs conceditur, qui aliquod præclarum facinus in militia spirituali gesserunt. Cuius rei figura præcessit in Exod. quo loco ait Dominus: *Facies mensam de lignis Setthim, & inaurabis eam auro purißimo* (hæc est figura mensæ cælestis, de qua CHRISTVS: *Vt edatis & bibatis super mensam meam*:) Et additur: *Et facies ei aureum labium per circuitum, & ipso labio coronam interrasi'em* (qua significatur præmium essentiale Sanctorum;) *& super illam alteram coronam, AVREOLAM*, quæ datur ijs, qui insignem obtinuere victoriam. Hæ AVREOLAE tres sunt, Virginitatis, Doctrinæ, & Martyrij, secundum tres hostes, contra quos pugnamus; secundum vires, quibus pugnamus; secundum tria, quibus vincentes, CHRISTO configuramur. Inter has verò si comparatio fiat, vicissim se superant: Aureola Doctoris excedit in obiecto scilicet veritatis: Aureola Martyrij in vnius pugnæ arduitate: Virginitatis aureola in hoste fortissimo perpetuoque, contra quem pugnatur: est enim caro maximus inimicorum; quæ à Christo non est victa, sicut mundus & dæmon: fuit enim illi per omnia obedientissima, nec vllo prædita fomite. Gratiam interim meruit & assiduo præstat; & sic illam superauit, quamuis illam ipse in se non vicit nec cum ea vnquam pugnauit.

Pierius lib. 7. 21. 41. 43. Hierogliph Aureola.

Exod. 25.

D. Thom. in Suppl. 3. p. q. 96. de aureo lis 13. artic. Rhodig. lib. 3. lect. antiq. c. 33 & libr. 4 cap. 15.

Aureolæ tres.

Ioan. 16. Confidite ego vici mundũ. Et. iam Princeps huius mundi eijcietur foras.

Beata verò Agnes in cælesti regno duplici ornata Aureola est, Martyrij scilicet & Virginitatis, quam consecuta est difficillimis victis inimicis. Fuit deuotio suprà ætatem, virtus supra naturam, quòd tredecim annorum Martyr fuit: detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati; imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Istius ætatis puellæ toruos vultus parentum ferre non possunt: hæc inter cruentas manus carnificum impauida, hæc stridentium cathenarum grauibus tractibus immobilis fuit. Nouum martyrij genus: nondum idonea pœnæ, & iam natura victoriæ; magistra fit virtutis, quæ per ætatem discipula esse non poterat. Flere

Agnetis duplex aureola.

Ex Ambros. lib. 1. de virgin.

Certamen Agnetis mirabile.

omnes,

omnes, ipsa sine fletu: stupore vniuersi, quòd iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Non timet minitantem iudicem, non audit suadentem nuptias; non carcerem, non cathenas horret, non ignem veretur, sed ignis ipsam quam non tetigit; non denique ferrum. Ceruicem dat fortiter, stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cernetes trepidare carnificem, cùm puella non timeret sibi. *Si non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*, verè dignissima est AGNES coronâ, tam acri superato certamine. 2. Tim. 2.

Vidimus certamen martyrij, certamen castitatis si inspiciamus, non minus apparebit. Insanit præ amore iuuenis elegans, nobilis, diues, præfectique filius, sed à Virgine repulsam passus est. *Recede*, inquit, *à me pabulum mortis, fomes peccati, nutrimentum facinoris, discede à me, quia iam ab alio amatore præuenta sum.* Sic sic Virgines respondere debent impudicis nuncijs. Offert illi multa pretiosa, permittitque maiora, sed virgo *vt stercora reputauit*. Quod Agnetem continuit, illud fuit: *Alteri desponsata sum, qui ornauit me pretiosis margaritis, & circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis.* & cæt. Quid de virginitate præstantius dici potest, quàm DEVM sponsum mereri? Amicitia animarum cum DEO sæpe in Scripturis sponsatio dicitur: hinc Paulus. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere CHRISTO.* Licèt verò omnis anima fidelis Sponsa Christi dicatur, maximè tamen virgo, quæ sicut HESTER corona insignitur regni, & perpetuò cùm rege manet: quia *virgines sequuntur Agnum quocunque ierit. Vna* inquit Sponsus, *est columba mea, perfecta mea*: quæ vna? Virgo vtique: hæc enim fide & operibus reliquas antecedit: *quæ cogitat, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore, & spiritu.*

Ambr. ser. 9. de hoc festo.

Phil. 3.

B. Agnetis verba.

2. Cor. 10.

Virgo præcipua sponsa Christi.

Apoc 14.

Cant. 6.

1. Cor. 7.

Sed vt ne putent virgines totum se perfecisse negotium, necessarium fuit hodierno explicari Euangelio, sine oleo charitatis virginitatem satis non esse; esseque virgines fatuas, quæ seruata virginitate oleum charitatis non seruauêre. Audiamus iam Christi verba de hac re.

Chrys hom. 79 in Matt. 23

Differentia inter virgines.

Simile est Regnum Cælorum Decem Virginibus.

Eccle.

Ecclesia cur virgo dicatur. Ecclesia Christi Virginibus similis dicitur propter puritatem & integritatem fidei, qua virgo est: veritatem enim habet sine erroris scoria. Omnes reliquæ sectæ si aliquam docent veritatem, eam mixturis errorum innumeris congestam docent. Hinc Psal. *Psal. 118.* *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* *Psal. 18.* *Lex Domini autem immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiā* *1. Tim. 3.* *præstans paruulis.* Hæc fidei integritas, quæ ab Ecclesia retinetur significatur in Christi veste inconsutili, in qua *Cypr tr. 3. de simpl prael. seu vnit. Ecc.* nihil dissutum aut disruptum est: quia in Ecclesia, quæ Christi vestis est, summa est integritas. *Isa. 49.* Hanc quia hæretici scindere audent dicuntur adulteri, meretrices: Ecclesia verò virgo dicitur integerrima: in qua quia à Deo positi sumus, ei gratias agamus, *Col. 1.* *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.*

Iudith. 3. *Isa. 62.* *Accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso. &c.* Mos illius regionis erat eis, quos cum honore vellent excipere, cum lampadibus occurrere. *Lampas fidē & verbum Dei notat.* Lampas verò primò significat fidem, & verbum Dei, quod meritò lampas dicitur: *Psal. 118.* *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Sed fatua virgo est, quæ oleum charitatis lampadi non adhibet: quia sine dubio *extinguetur in nocte lucerna eius*, si eo caruerit; fides enim saltem in morte deficiet. *Pro 6. & 31.* Vel per lampades intelliguntur ipsi fideles, qui obuiam exeunt Christo Domino, dum seipsos accipiunt: *Lampas iustū denotat.* hac enim dote Dominus hominem super cetera animātia ornauit, vt sui Dominus esset & suarum operationū, & impleret se oleo charitatis, ac lumine fidei. Cumque homo, sic est dispositus, *lampas & ardens*. *Iustus lāpas est contēpta.* De hac lampade, iusto scilicet, fide & charitate ornato, loquitur *Iob. 12.* Iob *Deridetur iusti simplicitas Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum* *Mundi sapiētia in quo cōsistat.* Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. *Greg. lib. 10. Mor. c. 16. in Iob 12. c. 17* Iustus verò contrà simplex rectusque est, hunc despicit humana sapientia: *Lampas* igitur *contempta est apud cogitationes diuitum*, idest, elatorū & superborū. *Iusti sapientia in quo posita.* Hi videntes iustos non sequi, non amare, quæ ipsi diligunt temporalia, eos irrident, sed apud se in cogitationibus suis, quia publicè non audent reuerentia Christianę religionis pressi. Exempla. Sic Dauid apud patrem lampas contempta

tempta erat, cum diceret: *Est adhuc puer paruulus, qui pascit oues.* Vis videre aliam lampadem contemptam? aspice Paulum, qui de se ait. *Epistolæ graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.* An non lampas contempta Agnes, quæ in lupanar dicitur? An nō lampas contempta omnis martyr, quem mundus vt latronem & sacrilegum reputauit? Sed quosque *parata ad tempus statutum,* extremi iudicij: tunc enim cum Deo iudices venient, qui nunc pro Deo iniustè iudicantur, vt impleatur illud: *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes* &c. Tunc implebitur illud. *Nimis honorati sunt amici tui Deus* &c. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerūt.* Efficitur ergò in membris, quod in capite Christo præcessit qui *lampas* est, & *lux vera.* Quàm hæc contempta lampas fuerit, manifestum est: sed ad illud tempus, de quo ait Psal. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo, vsque in tempora restitutionis suæ.* Nemo ergo lapidem hanc contemnat: cui enim nunc non ardet ad veniam, sine dubio tunc ardebit ad pœnam.

1. Reg. 16.
2. Cor. 10.
Matt. 19.
Psal. 138.
Sap. 5.
Isa. 62.
Ioan. 1. 7.
Psal. 74.
Act. 3.

Prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus; non sic fatuæ. Hinc lumen adfuit prudentibus; defecit verò fatuis. In Leuit præcipit Dominus: *Ignis in altari meo semper ardebit; quem nutriet sacerdos appositis lignis.* Et olei plurimam copiam in templum duci iussit, vt lampades semper arderent. *Deus noster ignis consumens est:* eius gratia & charitas ignis etiam est, qui in cordis altari semper ardere debet. Omne opus bonum nutrimentum eius est, quo stat crescitque ignis: opera misericordiæ sunt oleū oliuarum, sacramentorum frequentia, opera afflictionis, consideratio diuinorum. Vis innumera colligere ligna, quibus ignem hunc accendas & nutrias? ingredere in Christi vitam, in beneficia tibi collata, ea sæpè mente volue, ea considera, *& in meditatione tua exardescet ignis.* Quòd si tanta vis amoris in Agnete fuit, in cuius corde nihil aliud visum est, quàm Christi amor, verè hoc igne consumpta est, non extrinseco, qui eam tangere non præsumpsit, sed intrinseco, quem diuinis amor succenderat. Sed audi quid acciderit fatuis.

Leuit. 6.
Exod. 27.
Deut. 4.
Cant. 48.
Psal. 38.

Clausa est ianua. Et, Nescio vos. Aliquando omnibus nobis tempus illud sine dubio adueniet, quo nos videamus

Christus ianua gratiæ.

mus vndique circundatos peccatis omnibus, & legionibus dæmonum, qui parati erunt vt lupi ad capiendam prædam. Sed quod hoc tempus? Et quando hæc erunt? Cito vtique. Hæc est hora mortis. Quid tunc facturi sumus? quod nobis effugium? solus Christus Dominus, qui est ostium & ianua nostra; *salui erimus ab ira per ipsum.* Si hæc clausa, væ nobis: at *si quis per ipsum introierit, saluabitur.* Sed cui ianua aperta est? *Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam* Et Isa. *Aperite portas, ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem* Sed postquam ingressæ sunt prudētes, *clausa est ianua* fatuis: quid faciet misera anima, quam vniuersus infernus persequitur, in quā diuina desæuit ira cum venerit ad Christum, in quo solo salus, & audiat, *Nescio vos* Non me agnouistis in vita, nec vos agnoscam in morte; non ad me pertines. *Quid facietis in die visitationis, ad cuius confugietis auxilium?* Quis vos liberare poterit? Non est Domine alia salus, nisi in te, & per te, &c.

Ioan.10. Rom.5 Psal.117. Isa 26. N.B. Psal.10. Deut.32.

IN FESTO CONVERSIONIS S. Pauli Apostoli.

THEMA: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9.

Maxima profectò orationis vis est: hoc verè testatur Pauli conuersio, quæ fructus fuit orationis Stephani, qua pro persecutoribus orauit. Nam non haberet Ecclesia Paulum, nisi pro eo orasset Stephanus, exemplo magistri sui cælestis, qui pro crucifigentibus orauit, dicens: *Pater dimitte illis; quia nesciunt, quid faciunt* Erat *Saulus consentiens neci Stephani, & custodiēs vestes lapidantium,* vt in omnibus lapidātibus ille lapidaret. Orat Stephanus; *Domine, ne statuas illis hoc peccatum:* & exaudita fuit eius oratio: cæli enim aperti sunt ei: & oratio, quæ funditur pro inimicis, cælos inuenit apertos. Mira profectò orationis vis: & quoniam spiritus precū deficit, ideò omnibus caremus bonis. Si verò tantus fructus orationis Stephani est, oratio Mariæ vacua à fructu nequaquam erit: Eam ergò humiliter oremus, &c.

Oratione Stephani cōuersus est Paulus. Aug. ser. 4. et de S. Steph. et 1. in cōuer. S. Pauli. Luc. 23. Spiritus precū quia deficit, omnibus carem⁹ bonis. Lætitiæ ratio in con. Pauli.

1\. Præcipuo gaudio Ecclesia celebrat Pauli conuersionem; & iure id quidem. Sicut enim cum Dux fortissimus

ad alium deficiens cum lætitia excipitur, vt in Abner ad Davidem deficiente videre est: ita nunc Dux præclarus synagogæ eam deserit, & qui prius magnam cladem Ecclesiæ inferebat, nunc supplex ad eam venit, vt pro illa pugnet, quomodo cum lætitia excipiendus non est? Gaudet nunc Ecclesia, quæ prius doluerat in partu Pauli; sicut Rachel in partu Beniamin, de qua tribu Paulus fuit Sed & Beniamin figuram typumq; Pauli express sit, de quo Iacob in benedictione prophetice dixit: *Beniamin lupus rapax mane rapiet prædam, & vespere diuidet escas, vel spolia*, id est, prius rapiet, & postea diuidet escas. Attēdite raptorem; *Saulus adhuc spirās minarum, & cædis*: postea verò Christi voce prostratus escas fidelibus diuisit. Sicut verò Beniamin minimus natu fuit inter filios Iacob, ita Paulus postremus ad Apostolatum vocatus est. Qui ergo filius doloris dictus fuit, nunc nomine mutato filius dexteræ, & filius gaudij efficitur.

A simili. Exemplū. 2 Reg. 3. Typus. Gen. 35. Phil. 3. Aug. ser 14. de Sanct. quod est 1. in conu. S. Paul. Gen. 49. Typus. 1. Cor 15.

2. Hodierna dies lætitiæ est, quia in ea Dei gloria manifesta fit in Pauli conuersione, illiusque potentia mirabilis. Vt enim hanc efficeret mirabilem conuersionem, non hominem misit aut Angelum, sed ipsemet Christus in arenam descendit. Venerat prius homo factus, vt debellaret aëreas potestates, nūc à dextera patris gloriosus descendit, vt Saulum debellaret. Et ideò Ananias ad eum ait: *Dominus IESVS, qui apparuit tibi in via.* Et ipse Dominus: *Ego sum IESVS NAZARENVS, quem tu persequeris.* Et ipse Paulus. *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi: ego enim sum minimus Apostolorum.* Honorificentissimum id Paulo fuit, quòd is, qui pro omnium salute semel descenderat, iterum pro salute Pauli descenderet: & ideo hac de re gloriatur dicens, *Ego Paulus vinctus IESV Christi*: non solùm quia Romæ vinctus Christi causa, sed singulari ratione, quia à Christo victus est, eique se tradidit vinctum, & ab eo *Euangelium didicit, non ab homine, neque per hominem, sed per reuelationem IESV Christi.* Sicut verò Paulo cedit id in gloriam, ita & Christo Domino. Hodie enim illud effecit verè, quod olim in figura cùm ex petra aquas largissimas eduxit. Si hodie asperum desertum cras videres in hortum voluptatis amœnissimum mutatum, diceres. *hæc mutatio dexteræ excelsi*: id in Paulo factum est manifestè

Gloria & potentia Dei mirabilis in conu. Pauli. Act 9. 2. Cor. 11. Eph. 3. Gal. 1. Exod 17. Num. 20. Psal 113. Simile. Psal. 76.

nifestè, cùm repente factus est ex summo summus, ex maximo peccatore, & persecutore, summus propugnator & prędicator Ecclesiæ.

Lucæ 15. 3. Denique dies ille lætus est non terræ solum, sed vniuerso cælo: si enim *gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, supremum erit gaudium super primo peccatore, miram pœnitentiam agente. Præcipuè verò si attendas, quæ in hac conuersione singularia sunt.

Cõuersionis Paulinæ mirabilia.

I. I. quòd in Paulo, vt in semine, surgit nunc vniuersa gentilitas.

2. II. quòd licèt omnis conuersio sit mirabilis, tamen Pauli conuersio miraculum est in ipso genere gratiæ, tum quia illum Deus conuertit, qui conatu maximo gratiæ obicem ponebat; tum verò quia maxima cælesti luce perfusus in puncto prodijt tanquam vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Potentiam iræ suę ostendit Deus in Pharaone, qui ei restitit: sed potentiam gratiæ & misericordiæ hodie ostendit in Saulo. Magna Dei misericordia est, cùm peccatorem reuertentem excipit, vt filium prodigum: sed maior miseratio est, cùm diu peccatorem sustinet, expectat, *rogatque, quæ pacis sunt.* Summa verò illa est, cum vocatus quis resistit, Deus verò per vim illum superat, & ad se trahit. Hoc enim cum Paulo effectum est. Et hoc etiam illud est; *Compelle intrare.* Et ideò Ecclesia orat. *Rebelles nostras ad te propitius compelle voluntates.* O summe Deus, coge sic nos, vt ad te veniamus.

A dissimili

1.Tim.1.
Ezech.28.
Rom.9.
2.Tim.2.
Luc.15.
Rom.5.
Luc.14.

4. Mutatio ista fuit leonis ac lupi in agnum, quæ naturæ impossibilis est, & ipsi gratiæ rarissima. Lupus erat, cum dicitur: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis.* Sed qui prius, vt Beniamin, *lupus rapax*, nunc agnus est. Et impletum est illud, *Habitabit lupus cum agno*: & de agnis illis est, de quibus dicitur: *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.*

Isa.11.
Matt.10.

Hic verò attendendum est etiam in malefactis electorum aliqua reperiri, ex quibus Deus maxima bona educit: & licet in eo, cùm peccator est, malum illud sit, Deus tamen illud vertit in bonum. Sicut in Moyse vidit zelum pro iustitia, cum occideret Aegyptium, & ducem Israëlis fecit: ita in Paulo nimium zelum legis videns, non ex malitia, sed ignorantia procedentem, fecit eũ Apostolum gentiũ. Ducẽ enim egit pro iustitia stre-

Aug. lib. 22. cont. Faust c. 70. 25. 68. 69.
Exod. 2.

suum sublata ignorantia, qui acriter pugnauit pro lege. Vnde ipse ait, *Misericordiam consecutus sum; quia ignorans feci in incredulitate mea*: At Pharisæi Christum persequebantur odio iniquo, & malitia. *1 Tim. 1.*

Cum ergo sic Saulus viam ageret, *subitò circumfulsit eum lux de cælo*. Initium totius boni hominis LVX est. Cum in corde peccatoris dicit Deus, *Fiat lux*, sicut initio mundi dixit, mox tenebris depulsis videt homo æterna bona, & tunc homo in se redit. Hæc lux effecit exterius in oculis Pauli, vt apertis illis nihil videret: lux verò interior effecit in mente, vt nihil videat, quod aliquid esse reputet temporalia; sed *quæ fuerunt lucra, arbitratus sit detrimenta, propter eminentem scientiam IESV Christi.* Lumine etenim cælesti vidit cælestia, & ideò vniuersa caduca nihili putauit. Sed expendendum est, non solùm luce perfusum Paulum, sed circumfusum: quia *scuto circundabit te veritas eius*. Veritas lux est, quæ nos circundat, & merito, quia *Diabolus circuit, quærens quem deuoret*: ideò opus est hominem diuina circundari luce, vt nulla parte nos dæmon impetere posset.

Lux hominis totius boni initium. *Gen. 1.* *2. Cor. 4. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* *Phil. 3.* *Psal 90.* *1. Pet. 5.*

Captiuauerat intellectum lumine, nunc voluntatem in captiuitatem redigit verbo, dum ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sicut Saul persecutus est Dauidem, & eos, qui ei adhærebant, ita Saulum Christum & eius discipulos. Attendit ad se vocem factam. Ideò nanque in concione non proficis, quia non tibi dictam putas, sed alteri. Non sic Dauid, qui ait: *Audiam, quid loquatur in me Dominus*. Hoc verbo molliuit Christus Pauli cor, cum dicit, *Cur me persequeris?* Non enim dicit proditorem, sed, qua de causa in me insurgis cum nihil malì à me acceperis? ME, inquam, *qui te genui dereliquisti*: ME, qui te redemi, *qui tradidi meipsum pro te*. In Deum arma sumit, qui in eum peccat, quia nescit Deum. 2. ait Me: Licèt enim in gloria ad dexteram Dei patris sederet, se tamen dicit læsum: quia eius Ecclesiam, fidem, legemque persequebatur. Hoc verò est Christo adimere regnum suum: hoc est pellere eum è domo propria, quæ est credentium corda. 3. ait, *Me persequeris* quia vnum sunt membra cum capite. Si hoc attenderemus, & proximos tanquam Christi membra inspiceremus,

1. Reg. 18. & seqq. *Psal. 84.* *Deut. 32.* *Gal. 2.* *N. B.*

mus,& tanquam eius templa, non tam facilè proximũ læderemus verbo,& opere.

Hanc verò vocem Saulus audiuit *cadens in terram.* Voce enim Maiestatis Deus intonuit. Primum quod Deus animæ ostendit est infinita Maiestas, in quam peccauit: qua visa anima se nihil esse videt, & cor transfigitur hoc verbo, vt dicat: Egoné tantum Deum contempsi? tunc cadit homo in terram, humiliatur Deo, seque agnoscit,& aptus efficitur, vt sapientia repleatur, cuius initium timor Domini.

Psal.110.

Stimulus est veritas.

3 Esd 3.4. Eccl.1. Aug. lib.18. de ciuit Dei. c.36. Ose.14.

Addit verò Christus: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare,* id est, contra veritatem pugnare. Stimulum dicit veritatem: nam *Verba sapientum stimuli.* Premi Veritas potest, sed non opprimi 2. *durum est tibi* contra bonitatem & misericordiam meam calcitrare: potentior est enim bonitas mea malitia tua. Multis stimulis nos Deus pungere solet, graui infirmitate, tribulatione, dolore; noli calcitrare, *sed conuertere ad Dominum Deum tuum.*

Iustificatæ mẽtis signũ.

Sed quid respondet Paulus? *Domine, quid me vis facere?* Vt perfectus loquitur. Signum est optimæ & iustificatæ mentis, in Dei manibus se relinquere: dicereque Deo & confessario, vicario Dei, quicquid præceperis, faciam.

Psal.67. Aug. in Psal. 67. Phil.3. 1 Cor.15. et 3. 2. Cor 12. Gal.1. D. Thom. in 2 Cor.12. Aug lib. 12. de Gē. ad lit. c.26 27. Ep 111. de vid. Deo ad Paulinam. c.12. de Paulo & Moyse.

Et erat tribus diebus non videns; & non manducauit, neque bibit. Quid ergo faciebat? Certè extasi raptus erat in paradisum. Vnde ad Ananiam Dominus: *Ecce enim orat.* Impletumque est in Paulo illud Psalm. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu,* id est, in extasi mentis supra se *raptus vsque ad tertium cælum, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: nec enim ab homine didicit, sed à Christo *in mentis excessu*. Euangelium accepit, quod statim vniuersæ Ecclesiæ prædicauit. Sed quodnam est illud *tertium cælum*, ad quod raptus est? 1. Ad cælum empyreum, vt ea videret, quæ ibi erant, 2. ad altissimam aliquam cognitionem, quæ omnem naturalem excedit, & quod plus est, vt videret ipsum DEVM per essentiam ita clarè, sicut eam vident Angeli primæ hierarchiæ: qui sic vident Deum, quòd immediatè in ipso Deo recipiant illuminationes, & cognoscant diuina mysteria: & sic vidit Paulus. Paradisus

verò

verò, ad quem se raptum dicit, eadem diuina visio est; quam prius cælum dicit propter celsitudinem & claritatem; nunc paradisum propter iucundam suauitatem, de qua dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*. Et ideò mirum non est, quod *plus omnibus laborauerit gratia Dei*, quia thesaurum oculis vidit proprijs. Simili ratione, qui cælestia contemplantur, magis laborare solent: quia in contemplatione quasi vident cælestem thesaurum, ad quem prædestinati sunt ab æterno. *Matt.25.* *1.Cor.13.* *Chrys. 9. ho. de laudib. Paul.* *Electi cur plus laborent.*

Vas, ait Dominus, *electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel*. Non iam VAS iræ, sed misericordiæ. Sicut figulus, vt vas perficiat pulchrum, lutum conculcat non semel, sed bis & ter, vt lenius sit, & vas fiat melius: Ita Paulus vt perfectior euadit, lumine illustratur, voce docetur, deiectione humiliatur. Quali verò charitate in Deum & proximos arserit, quis dicendo consequi valeat? Charitatem in Christum ostendit, cùm vniuersas creaturas in arenam vocat super hac re dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi*? Dilectionem verò hominum immensam ostendunt illa verba: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: Et illud. *Quotidie morior propter gloriam vestram fratres*. Nulla mater sic tenerè dilexit filios, vt Paulus homines. *Simile.* *Rom 8.* *Rom 9.* *1.Cor 15.* *2.Reg 1.*

Vocatus verò à Christo statim eum prædicauit tanquam perfectus: *& continuò*, ait, *non acquieui carni & sanguini*. Mirantur vniuersi tantam mutationem. Et sicut de Saule dicebatur, *Num & Saul inter Prophetas*: ita de Saulo dicebatur, Num & hic inter Apostolos? Et sicut Balaam abijt, vt malediceret Israëli, benedixit eum mirante Balac: ita Saulus processit, vt malediceret populo Dei; sed obscurantur eius oculi, dum nihil videbat; audit diuinos sermones, cadit, vt resurgat & videat; & laudare eos incipit, quos persequi ante voluit. &c. *Gal.1.* *1 Reg.10. & 19.* *Num.24.*

FESTA FEBRVARII.

IN PVRIFICATIONE B. Mariæ Virginis.

THEMA: *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ.&c.* Luc. 2.

PRoponitur nobis hodie vltimum mysterium infantiæ Saluatoris,omni plenum dulcedine. Est in infantia sua Christus *fons ille paruus, qui posteà creuit in fluuium magnum,& in aquas plurimas redundauit,vt hauriamus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Quis verò hodiè desperet has consequi aquas per Mariam, quæ eas diuidit,cum eam tam magnificam videamus,vt omnibus offerat filium in medio templi. Gratias tanto beneficio agebat Psal.dicens: *Suscepimus, Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*Grata fuit oblatio Abigail Dauidi,qua placatus fuit ipsius animus: sed multò gratior fuit oblatio Mariæ hodierna, qua Filium suum Patri obtulit: quid ergo hodie Mariæ negari poterit. Sacerdos Heli Annæ offerenti Samuelem dicebat: *Reddat tibi Dominus semen pro fœnore hoc, quod commodasti Domino*: ita Mariæ offerenti Christum vniuersi homines vt filij dantur.Felices nos,quibus tanta Mater donatur in matrem, ad eã vt filij accedamus.&c.

Hest.1. *Isa 12.* *Oblatio Mariæ gratissima* *Psal.47.* Exemplũ. *1.Reg.25.* *1.Reg.2.* Exemplũ.

In immensum excedit beneficium populo Christiano collatum,cum nos Deus *eduxit de potestate tenebrarum, & direxit gressus nostros in viam pacis*, qua ambulantes in cælestem Hierusálem perueniamus. Ductores verò viæ huius hodie nobis præstat, verum Moysen IESVM & MARIAM,qui rectam viam perpetuò tenuerunt Additur etiam hodie nobis Simeon de tribu Leui,tanquam alter Aaron,qui nobis idem monstrat iter. Iam Maria præcedente, columna ignis & nubis nos præcedit. Sed eorum consideremus vestigia.

Luc 1. *Col.1.* *Exod.14.*

Homo quod non ... legi dei

Vniuersa mundi perditio,hominumque strages inde procedit, quod homo legi Dei subijci non vult, sed se habe-

habere quasi dominum vt non habeat, cui obediat. Hinc apud Hierem. dicitur. *A seculo confregisti iugum, rupisti vincula; dixisti, non seruiam. A seculo*, id est, ab initio. Cum verò aduertat dæmon hac ratione hominem à se deiectũ; hac misera nostra tempestate eâdem arte homines curauit euertere, dicens, assertos nos in libertatem, nec obedientia mandatorum astrictos, dum in Christum credamus. Sed licèt hoc sit manifestum mendacium, tam sumus tamen libertatis amatores, vt doctrina eam prædicans multos sibi conciliet auditores. Hinc verò prouenit iniustis, vt legem Dei onus reputent, quam summam gratiam reputare deberent. Hoc enim ministri Regum magnifaciunt, quod plurima eis Rex præcipiat: quòd si nihil præcipiat eis, de hoc conqueruntur, & despectos se dicunt. Sic homo summum duceret beneficium, si plura maximaque ei Deus præciperet, & obnixè postularet, cum Psalm. *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper*. Iniusti autem legem Domini onus & sarcinam dicunt. de qua re loquitur ad Ierem. Dominus. *Si ergo interrogauerit te populus iste, quod est onus Domini? dices ad eos; vt quid vobis onus? proijciam quippe vos.* &c. Et paulò post: *Quia dixistis sermonem istum onus Domini; & misi ad vos dicens, Nolite dicere onus Domini, propterea derelinquam vos, & dabo vos in opprobrium sempiternum* qua eis Deus dicat: Legem meam onus dicitis? ego dabo vobis onus, quod verè onus sit, perdamque vos, quia proijcitis legem meam, quasi onus. Ex hac verò peruersa libertate incidunt in omnium miserrimam seruitutem: quia cùm Deo subijci nolunt, vt filij, serui fiunt iniquitatis, mancipia dæmonis, varijsque desiderijs seruiunt. Excutere vis iugum suaue Christi, onus eius leue, ponetur super te iugum ferreum, onus graue. Quis verò tam amens, qui potius dæmonis seruus esse malit, quam Dei filius? Dæmoni subesse, vt mancipium; Deo, vt liber?

subijci, eius est perditio.
Hier. 2.
Gen. 1. 2. 3.
N. B.
Gloriandum nobis, quod multa Deus præcipiat.
Simile.
Psal. 118.
Iniusti legẽ Dei sarcinã dicunt.
Ierem. 23.
Ibid.
N. B.
Christus cui legi subiacitus.
Gal. 4.
Matt. 5.

Vt ergò malum hoc de medio tollat, venit Christus, vt nos non solùm redimeret, sed verbo & exemplo doceret Legi Dei subijci. Iam puer clamat exemplo, quod postea docturus est verbo: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Legi per omnia subijci voluit, etiam cui non tenetur, vt discamus legi nos subijcere, ad quam tenemur.

Et Virgo sanctissima, quā lex manifestis excipiebat verbis, hodie purificationis legi se subijcit. Et postquam exemplo nos docuit, verbis posteà instruit: *Tollite iugum meum super vos.* &c.

Maria tēplo magis mūda. Sed interim Mariæ non obedientiam tantum, sed humilitatē inspiciamus: 40. diebus abstinuit à templo quasi immunda esset, cùm mundior esset templo. Sicut enim cum antiquitus ingressa est arca Dei templum, *impleuit Maiestas Domini templum*; sic hodiè factum est: adeò *vt magna sit gloria domus nouißimæ plus quam primæ*, non propter operis magnificentiam (quæ minor erat prima) sed eò quod Christus & Maria præsentia sua erant templum hoc illustraturi. Cùm ergò Maria templi illius gloria esset, ab eo se abstinet, donec implerentur dies purgationis suæ: humilitate enim vniuersa dona sua Maria decorauit, & auxit. Dedit enim illa ei humanam naturam pulcherrimam, ex regia prosapia Dauidis, teneram, passibilem, vt per omnia posset fratribus assimulari, dedit ei lac in nutrimentum; viscera in cubiculum, & totum se in ancillam Similiter Christus Mariæ dedit summam puritatem, profundissimam humilitatem, eximiam obedientiam: & quemadmodum Regina Saba plura dedit Salomoni, sed maiora recepit: ita multa Christo donauit Maria, sed plura ab eo recepit. Cùm ergò videret Maria Christum lege non teneri, & tamen legi se subijceret: ita voluit illa purificari non obligata legi. Verè, inquit Bernard beata Virgo non tibi opus est purificatione. Esto inter mulieres tanquam vna illarum: quia sic est Christus in medio puerorum tāquam vnus illorum.

Typus. 2. Par. 7. Agg. 3. Rupert. Lyra Hie. in Ag. 2. Aug. lib 18. de ciu Dei c. 45. 48. Ribera in Agg. 2. Typus. 3. Reg. 10. 1. par. 9. Serm 3. de purific.

Purificationis legē cur obseruauerit Maria. Audito igitur nomine purificationis continuò ad Mariam pertinere posse incredibile apparet. Quid enim in illa purificandum erat, cuius puritas cælorum & Angelorum excedit puritatē? Maria enim summè Deo suo coniuncta erat: ex quo consortio quid illi prouenire poterat, nisi lux immensa, quæ purissimū quid est: Quid ergò Mariæ cum purificatione? quam lex exceperat manifestè, *Mulier, quæ suscepto semine.* &c. manifestum ergo est propter nos purificatam, vt nobis esset exemplo, qui purificatione egemus *Facti enim sumus immundi omnes nos.* Sicut ergo *impleti sunt dies purificationis Mariæ*: sic implendi sunt

Leuit 12. Orig. ibi h 8. Beda in Luc. 2. Isa. 64.

di sunt nobis dies purificationis nostræ. Sed quot dies? *quadraginta*, qui significant pænitentiæ tempus, quod nobis in hac vita concessum est. Hi dies nobis dati ad diluenda peccata, implendi aliquando sunt. Sed quid nos manet post hos dies? Masculum pariens post 40. dies templum ingreditur: qui virilia agentes virilia opera pepererunt statim consummato vitæ huius cursu Deo præsentantur in cælo. Sed vbi iam hæc opera magna? vbi pœnitentiæ opera grandia? Dæmon extinxit, manentque nobis debilia & facilia solùm, oratio tepida, eleëmosyna minima, castigatio modica. Quid ergo his sperandum, qui opera quidem virtutis exercent, sed debilia & fœminea? Vtique quod in lege sequitur: *Fœminam* pariens expectabat *alios 40. dies*, vt pura esset, & templum intrare posset: sic cum constet *nihil conquinatum aut immundum cælum intrare posse*, quod hic purgatum non est plenè, illic sine dubio purgandum esse. Sed ô delicati, quænam facilior purgatio, huius vitæ, an futuræ in purgatorio? Purgationem huius vitæ vocat Spiritus sanctus lotionem aquæ. Modo lauatur lepra nostra in aqua, vt Naaman: Sed alterius vitæ purgatio qualis erit? *Sedebit Dominus quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentũ.* Ignis acerrimi purgatio illa erit, modò verò aquæ. quæ erit facilior? Quæ verò sterilis erat maledicto legis subiacebat: qui enim opera pœnitentiæ nulla pepererunt, maledicti sunt. Hi audient: *Ite maledicti in ignem æternum*. Et; *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, auferet eum, & in ignem mittet, & ardet* Caue ergo, ne tibi adimatur tempus pœnitentiæ. Væ tibi, si tibi inutiliter prætereat.

Masculi lex typicè.
Leuit. 12.
Fœminæ lex typicè.
Apoc. 22.
Purgatio huius an futuræ vitæ quæ facilior.
Zach. 13.
Erit fons patens.
4 Reg. 5.
Mal. 3.
N B.
Matt 25.
Ioan. 15.

Ascendit ergò Maria in templum, & *tulerunt IESVM in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Offertur CHRISTVS patri secundum Legem, dicentem: *Omne primogenitum, adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*. Et vt impleatur Lex illa. *Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus, quam iumentis: mea enim sunt omnia*. Litera quidem legis huius iam cessauit, sed spiritus eius adhuc durat. Ab omnib⁹ enim nobis exigit Deus primogenitum, amorem scil. primum ac potissimũ, qui causa est reliquorum amorũ. Ne verò tibi durũ

Exod. 13. & 34.
Num. 8.
Primogenitũ nostrum.

videatur, audi rationes. Prima est, quia *mea sunt omnia.* O si nosses homo, quid sit Deus tuus, tunc verè omnia ei deberi videres. Bonitati infinitæ quid non debeatur? Omnia eius sunt. 2. quia primogenita occidit Aegypti, & Israëlem seruitute liberauit. Petit similiter à te hunc primogenitum tuum amorem, quia vniuersa peccata tua deleuit, ex seruitute peccati eripuit, & ex inferno liberauit. Tot inferos merebaris, quot mortalia peccata admisisti: nec verò minus beneficium est, non trudi te in infernum, cùm commeritus esses illum, quàm te iam damnatum inde eruere. Quid non deberet damnatus ei, qui se ab inferni pænis liberaret? Sed est alia maior & potentior ratio, quòd hoc operatus est sanguine, vitaque *immaculati agni filij sui primogeniti:* iustè ergò ei debemus primogenitum nostrum. Insuper primogenitum iumenti Deus petijt. Iumentum tuũ sensualitas est, primogenitus eius appetitus inordinatus vindictæ, luxuriæve. Occide bestiã hanc; quòd si non occideris, occidêris tu: *si enim secũdùm carnẽ vixeritis, moriemini.* In omnib. his exemplo nobis sit beatissima Virgo, quæ hodie primogenitum suum Patri offert, qui omne bonũ est eius. Sed quali charitate exprimi non potest: ita nos Deo offeremus nosipsos, omniaque bona nostra, quæ possidemus, voluntatem nostram cum eius sanctissima voluntate omnino conformantes.

N.B.

Galat. 6.

Sed quid amplius Deo defert Maria cum filio? *Par turturum aut duos pullos columbarum.* Non defert Agnum, quem omnes fere offerebant. Iam enim seipsum patri pro nobis offert Agnus immaculatus, manè in pueritia, & vesperi in passione; sed pauperum oblationem offert, *par turturum.* Sed Domina vbi Magorum thesauri? Iam erant in pauperes erogati. Dilexit illa summè paupertatem, & ideò thesauros non recondit. Sed altius aliquod hic latet mysteriũ. Oblati erant in lege innumeri Agni, sed omnes illi vmbra erant, & vacua ac egena elementa: quia remissionem peccati non conferebant. Sed hanc hodie implet *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* oblatus in templo. Reliqui seruabant legem, quoad præceptum: Christus verò, quantum ad consummationem. Non incipit tantum Christus, sed consummat, ac perficit inceptum: *quia ipse cepit & saluabit nos.* Hinc Paul. *Qui cepit in vobis*

Columba cur oblata & nõ agnus.

Exod. 29.

Num. 28.

Phil. 1.

vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Offertur *1. Theß. 4.*
autem hodie in terra res infinitè grata, & per quam o- *Matt. 10.*
mnia nostra grata sunt: *qui gratificauit nos in dilecto filio* *N.B.*
suo: & adeo ei grata sunt, vt calice aquæ cælum iam eme-
re possimus, si eum Deo offeramus. Sed dicis. Ego iam
multa obtuli Deo meo, nec tamen video retributionem. 1.
At vide, si obtuleris Deo primogenitum tuum, id est, a- 2.
morem tuum præcipuum: deinde, an cum spiritu & fer- 3.
uore, & pura intentione Deo placendi: denique *quod
leue & momentaneum tribulationis supra modum gloriæ pon-
dus operabitur in te.*

Quid igitur nobis significat Mariæ oblatio? His aui- *Aues oblatæ*
bus designatur vita actiua & contemplatiua. Columba *quid desig-*
enim gregatim volat, turtur sola. Ambarum cantus ge- *nent*
mitus est: & omnibus fidelibus dicitur: *Mundus gaudebit,*
vos vero contristabimini Plorat iustus, quia in exilio ver- *Ioan. 16.*
satur: *quamdiu sumus in hoc corpore peregrinamur à Domi-* *2. Cor. 5.*
no Efficiturque in eo illud Psal. *Fuerunt mihi lachrymæ pa-* *Psal. 136.*
nes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè, vbi est Deus tuus Et, *Super flumi-*
Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. &c. *Hæc re-* *na Babylonis*
cordatus sum, & effudi in me animam meam. q. d Sicut nimio *Psal. 41. &*
igne applicato ollæ feruenti, ebullit aqua sursum, & ef *42. 83.*
funditur: sic anima mea igne contemplationis feruens *Simile.*
in se effunditur, dum lachrymis exterius fusis feruens *Turturis*
intus desiderium declaratur. Cùm ergò cor tuum his *natura.*
impleueris gemitibus, Deo turturem obtulisti. Ferunt
etiam columbam cùm ad aquas venerit accipitris voli *Orig. hom. 3.*
tantis insidias vmbra in aquis inspecta deprehendere, & *in Leuit.*
oculorum perspicatia fraudem venientis periculi eua *Columbæ*
dere: quod si etiam tu ita perspicere poteris diaboli insi- *natura.*
dias & cauere, in sacrificium columbam obtulisti. Flu *N.B.*
enta verò in quibus inimici insidias videre poteris, scri-
pturę sunt, fides, & oratio. Columbæ, quamdiu in valli- *Ezech. 7.*
bus sunt, trepidant, quarum imitari præcipimur inno- *Hieron. ibi.*
centiam, simul & timorem: quia *beatus iustus, qui semper* *Prou. 8.*
est pauidus Columba sine felle est & simplex animal: ta *Aug. tract.*
lis iustus esse debet; pacisque amicus. Columba ex arca *6. in Ioan. 1.*
emissa rediit; quia iustus *non quærit quæ sua sunt*, vt Cor- *Gen. 8.*
uus, *sed quæ Iesu Christi* Quod verò postea emissa non re- Allegoria.
diit, significat in fine seculi sanctorum fore requiem, *1. Cor. 15.*
cum tradetur regnum Deo Patri. In his omnibus, qui

columbam imitatur, ipsam spiritualiter Deo offert.

Redimitur Christus 5. siclis. Leuit. 27. Num. 3. NB.

Sed oblato Christo patri, eum Maria redimit quinque siclis secundùm legem. Venite ô mortales ad has nundinas. Hodie in templo venalis Christus proponitur, & tam vili pretio; vt quinque ematur siclis. Quis tali pretio Deum sibi non emat? O maxime Deus, quis te venalem hominibus fecit? & qui vendendus esses pretio infinito, infimo emeris? quis nō aliquid substantiæ, punctū honoris, delectationem turpem pro Deo habendo non dabit? Minimo voluit haberi pretio, & nō caro, vt ab omnibus emeretur, & nullus excludatur pauper. *Venite ergò, emite absque argento, & absque vlla commutatione.*

Isaiæ 55.

Timoris effectus. 1. Isaiæ 66. Timidus pro salute Spiritu sancto ducitur. Prou. 14.

Vidimus Mariam, Christumque nos in hac via præcedentes, oculos nunc conuertamus ad Simeonem. De quo 1. dicitur, *homo erat timoratus.* Quod si Deum timebat, inhabitantem in se diuinum spiritum habebat: iuxta illud, *Super quem requiesces spiritus meus, nisi super humilem, & trementē sermones meos:* Qui nihil timet, nihil pauet, illum iam reputa superatū a dæmone. *Sapiens timet, & declinat à malo; stultus cōfidit & transilit.* Timor maximè colligit hominem: quia timor est de malo imminenti, quod facilè potest vitari. Quod verò difficilè vitetur, prouenit ex debilitate virtutis. Hic ergò timor, qui nos intra nos colligit, & ab occasionibus separat, maximè est necessarius viro Christiano, vt seruetur incolumis. Sic Loth timens tutum se non credidit, nisi se abderet in speluncam. Sic Dauid fugit timens Saulem, & à regno illius exuit, tandem confugiens in Geth. Qui sic timet animæ suę periculum, fugit omnem occasionem peccati: qui secus, sustinebit dispendiū animæ suæ. Hinc Sap. *Callidus videt malum, & abscondit se, innocens pertransijt, & afflictus est damno.* Secundus timoris effectus est, cùm malum, quod timetur, difficile vitari possit, & sic homo succumbat, facit eum quærere aliorum opem & cōsilium. Consilium nobis quærendum est à Confessarijs, & omnibus, à quibus possumus sperare auxilium, & similiter aliorum opem implorare debemus. Vnde Iac. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Et Paulus orationes fideliū pro se sæpius expostulat.

Timor quis & qualis sit necessarius. Exempla. Gene. 19. 1 Reg. 23. Prou. 22. 2. Iacob 5. Apoc. 3.

Deindè de Simeone dicitur, *Expectabat consolationem Israbel,* saluum conductum, vt ex hoc regno in aliud transi-

transiret;libertatis chirographum, vt à seruitute liber esset;regis diploma,vt regni æterni ei daretur possessio. Sanctitatis est insigne, ait Ambr. bonum commune omnium desiderare. Insigne optimi sacerdotis Simeon: non enim peccata grauia ad altare deferre deberet sacerdos,quæ lachrymis dilueret.Si enim peccatum mortale non est Christiani hominis (vt Aug. dicit) quanto minus sacerdotis?

Ambro. in Luc. 2.
lib. de bono martyr. c. 2.
Ambr. lib. 1. offic. c. 28.
Chrys. serm. cont. concubinarios.
Augu. serm. 36. 37. 64. ad frat. in Erē.
Cypr. serm. 5. de lapſ.
Greg. hom. 17. in Luc.

Accepit eum in vlnas suas. Conuenienter præmisit, quod *homo esset timoratus*, vt ostendat reuerentiam,qua eum accepit in vlnas. Vult enim tractari, manibusque tangi Deus, sed summa cum reuerentia. Accedebat Moyses intrepidè ad rubum,in qua Deus erat, sed Dominus ad eum: *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Ad spinas vocatur Moyses,& sine calceamentis:quia qui calceatus incedit, etiam inter spinas intrepidus est:sed qui discalceatus ad spinas venit, cum pauore & consideratione accedit. Ad Deum ergò accessurus, trepida, time, reuerere,sed nihilominus accede. Quidam præ timore fugiunt,similes Dauidi, qui videns Dominum percussisse Ozam,timuit. Alij verò intrepidè, vt Oza,accedunt. Illi præ reuerentia non communicant. Hi sine reuerentia accedunt. Vtrumque vitandum nobis est, ad Christumque accedendum,sed cum timore & reuerentia. Sic timoratus Simeon *in vlnas accepit Christum Dominum.* Prætereà non contentus ore laudare Christum, in vlnas eum accipit: quia vltra confessionem etiam manus & opera sibi exhiberi vult Deus noster. Qui inclinati aquas bibebant,manus in terra ponebant,& reprobati sunt:sic illi reprobantur, quorū os in sapientia est, sed manus in terra sunt. Qui verò ore & manu aquam lambunt,eliguntur ad victoriam ab inimicis reportandam: quia opera iusta gloriâ digna sunt. Etideò audient iusti, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum*, quia opera misericordiæ exhibuistis,&c.

10.
Exod. 3.
Reuerentia summa erga Deum habenda.
Typus. N.
2. Reg. 5.
Phil. 2.
In vlnas accipiendus quomodo sit Christus.
Iud. 7.
Typus.

IN CATHEDRA S. PETRI I.

THEMA: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16.

Vox prauorum, Quis noster Dominus est? Psal. 11. Iustorũ verò legem pone mihi Domine viam iustificationũ tuarum. Psalm. 118. Simile. Simile. Simile. *Dionys. c. 6. de cæl. Hier. Hier. epist. 4. ad Rustic.*

PRauorum ingenium est, nolle esse quempiam, qui suis resistat cupiditatibus, sed vt eis liceat per cuncta vagari, nec *sit pratum, quod non pertranseat eorum luxuria.* Sicut contra iustorum est, velle legibus coerceri, vt à vetitis abstineant Hinc ortum habuere plures hæreses, quæ ordinem Hierarchicum euertere voluerũt Præcipuè verò sedem Petri, & eius cathedram, negantes illius supremam authoritatem: sicut qui Rempublicam euertere conatur, primùm principem illius impetit. Nobis verò contraria via procedendum est. Sicut enim qui Rempublicam commotam sedare vult, primò Principem statuit: & sicut pictor non prius quippiam imaginis pingit, quàm caput eius absoluerit: ita nobis primũ constituendus est Petrus caput, & eius Cathedra, & magisterium. Et hoc est, quod hodie celebrat Ecclesia.

Psal. 103. D. Thom. 1. p. qu. 96. Aristot. 1. Polit.

Contra eos, qui hunc Ecclesiæ ordinem turbare conantur, non fides tantùm, sed & naturalis ratio manifestè pugnat. Hic enim ordo principatus, quo alia alijs subduntur, in omni re creata inuenitur. Angeli enim Angelis principantur, & inferiora corpora à superioribus gubernantur. Et inter ipsa animantia rationis expertia principes sunt. Apes Regem habent, auibus principatur Aquila, bestijs Leo, serpentibus regulus, piscibus draco, quem *Deus formauit ad illudendum mari*, quasi rex. Et homo ipse in statu innocentiæ hominis principatui subditus fuisset: quia cùm homo sit animal sociale etiam in statu innocentiæ socialiter vixisset: socialis verò multorum vita esse non posset, nisi aliquis præsidens intenderet omnium bonum. Ex quibus manifestum est, in natura lapsa opus esse superiore, nõ tantùm vt cùm multa ordinentur ad vnum, vnum sit principale & dirigens, sed cùm (vltra prædictas rationes) vrgeat necessitas corrigendi, castigandique, ac coercendi impios.

pios. Adeò verò hoc verum est, vt licèt *in inferno nullus* *Iob. 10.*
ordo, sed sempiternus horror inhabitet, nihilominus tamen *D. Thom. 1.*
inter dæmones sit ordo principatus. Ex quo patet, quàm *p. q. 109.*
stultè locuti sunt, qui hunc ordinem Hierarchicum tol-
lere voluerunt, cùm sit illa *castrorum acies ordinata*, in qua *Cant. 6.*
duces & magistratus sunt. Potuit quidem Deus homi-
nes administrare, vel per seipsum, vel per solos Ange-
los, sed noluit, nisi per homines: vt & Paulo accidit,
quem etiam in tertium cælum raptum ad Ananiam *Actor 9.*
Christus mittit.

Cùm verò regimen hominum (quod est diuinissimũ) *Monarchicũ*
hominibus Deus tradiderit, oportuit in Ecclesia illud *regimen in*
esse perfectissimum. Hoc verò est Monarchicum, quo *Ecclesia sem*
vnus est supremus Princeps, simile illi, quod à natura *per necessa-*
est in rebus, in quibus fit reductio ad vnam primam & *rium.*
simplicissimam causam. Et hoc regimen constituit sem *In Synago-*
per Deus, cùm regimen ipse ordinauit. Hinc in Deut. *ga.*
constituit summum sacerdotem, cuius iudicio in omni *Deut. 17.*
re dubia standum erat. Hoc gubernandi genus optimũ *D. Thom. 1.*
esse probat D. Thom. quia gubernatio est directio gu *p. q. 103. ar. 3.*
bernatorum ad finem, qui est aliquod vnum: quia vnũ
pertinet ad rationem boni: & omnia sicut appetunt bo-
num, ita appetunt vnitatem, sine qua esse non possunt.
Hac ergò ratione cùm Ecclesiam suam perfectissimam *In Ecclesia.*
esse Christus voluerit, instituit, vt *vnus* esset supremus
Pastor, vnum ouile, vnus Princeps: & hic est Petrus, & il- *Ioan. 10.*
lius successores, quibus dictum est: *Pasce agnos meos, &* *Ioan. 21.*
pasce oues meas, id est, fideles, & Episcopos. Et nunc ait:
Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, su-
per te.

Sed in hoc gubernationis genere Monarchico, illud
inconueniens posse esse videtur, quod si Monarcha ma *Põtifex ma-*
lè gubernaret, difficilè posset adhiberi remedium. Sed *le pascere*
huic difficultati Christus omnipotens occurrit, effici- *non potest.*
ens, vt PAPA malè pascere gregem non possit: quia Pe
tro dictum est. *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: &* *Luc. 22.*
tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et tandem cla *Iansen. c. 66.*
uium potestas Petro traditur, & eius successoribus: ad *conc. Euang.*
quarum potestatem multa pertinent: scilicet, Vniuer-
sam Ecclesiam regere, Episcopos in diuersa loca desti-
nare, Euangelium in toto orbe prędicare, omnem dare,
aufer-

auferre,& moderari iurisdictionem,& plura huiusmodi, suprema denique in omnibus authoritas. Et hoc est, quod hodierna festiuitate Cathedræ Petri celebramus, cùm Magister,dux,& Princeps Ecclesiæ, Petrus constitutus, Antiochiæ septem annis sedit;deindè Dei iussu,& reuelatione trãstulit Cathedram in Romanam vrbem, vt ibi Ecclesiæ caput esset,vbi caput orbis erat: vbi eius Successores vsq; in hanc diem perseuerãt, & perseuerabunt vsq; in mundi finẽ. Romanus ergò Pontifex caput est Ecclesiæ à Christo,& Petri successor. Hæc est veritas fidei,& definita in Concilio Cõstantiensi, & in Concilio Florentino,vbi vnio Græcorum & Armenorum facta est:denique in alijs œcumenicis Concilijs.

Martellus Papa & Martyr. epist. 1. ad episc. Antioch.

c. quamvis distinct. 21. Mart. V in Conc. Const. c. definimus in Clement.

Ne verò vlla relinqueretur Apostolis inuidiæ occasio,cùm omnib. Petrus præficeretur, examen primùm fidei,deindè charitatis proponit Christus,in quibus Petrus vniuersos excessit manifestè. Ideò nunc interrogat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et, *Vos autem quem me esse dicitis?* Notat Hieronymus, Christi discipulos Deos hic nuncupari, distinguens eos ab hominibus. Hinc Petrus. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* Qualis ergò fidelis esse debet? Homo electus, Sacerdos, Rex, Sanctus, Homo Dei. Hinc vitio datur fidelibus, quòd homines sint, id est, *secundùm carnem ambulent*. Fidelis enim, qui eleuatus fuit à spiritu ad cælestia, si postcà terrena sapiat, descendit, & vilescit:sicut qui assumptus in regiam dignitatem, vilia tractaret. Mirum profectò hoc est, quod cùm propensi adeò simus in propriam excellentiam, vt eam nimio affectu quæramus, non tamen attendimus maximum, quod genus simus Dei.

Examen fidei à Christo institutum.

1. Cor. 3.

NB.

Sed potestas Clauium Petri fusius à nobis explicanda est. Cùm interrogasset cælestis Magister discipulos, *Vos autem quem me esse dicitis?* Petrus solus omnium vices gerens respondet: *Tu es Christus*:&c. Tam aptè quæstioni à Christo propositæ respondit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: Et, *Tibi dabo claues regni cælorum*. Mira profectò Petri dignitas, qua Christo persimilis apparet. Dixit Angelus: *Dabit illi Dominus sedẽ Dauid patris eius*; eadem nunc sedes Petro conceditur, de qua Psal. *Et in Cathedra seniorum laudent illum.*

Psal. 106.

Tanta

Tanta verò hæc potestas est, quæ nomine Clauis exprimitur, vt multis impossibile apparuerit homini concedi: ideo tamen non est incredibilis iudicanda. Ex quo enim Deus homo factus est, homines exaltare voluit, & diuinissima eis opera communicare: quia *gratiā & gloriam dabit Dominus*. Vt enim olim Pharao in Aegypto annulum dedit in manu Ioseph, quod erat regium sigillū, quo veluti Rex efficere poterat in regno, quæ vellet: ita homini cōceditur peccata dimittere, gratiā in Sacramentis donare, cæli ianuā dignis aperire, quasi Deus homo esset. In lege Moysis sacerdotis & sacrificia erant à Deo instituta, & ad hoc tribus Leui electa: sed eorum potestas Clauis dicta non fuit: quia peccata dimittere nō poterant, nec gratiā conferre: Deus solus tūc claues seruabat. In lege verò gratiæ summa & mirabilis potestas est gubernandi, leges condendi, excōmunicandi, indulgentias concedendi, à peccatis absoluendi, gratiā donandi, cælū aperiendi. Et hæc dicitur potestas clauiū Ecclesiæ. Has Claues primum habet Christus Rex à seipso, tāquam Deus: tanquam homo ratione excellentiæ. Hinc Pater. Et dabo illi Clauem domus Dauid super humerū eius. Sed discessurus Christus ab Ecclesia secundùm visibilem cōuictum, cùm ei homines rationem reddere de peccatis non possent: reliquit Vicarium seu hominē, cui claues regni cælorum commisit, qui peccata cōdonare, & cæli ianuas aperire posset. Ideò Christus Rex regum ait: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos* i. eadem authoritate & potestate in mundum. Et ideo sicut Christus potuit regna tollere, si ad redemptionem humani generis expediret: ita eius Vicarius, si ad Ecclesiæ gubernationem & extensionem conueniens sit. Hinc ad Ierem. dicitur: *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas, dissipes, ædifices, & plantes*. Hæc enim potestas fuit necessaria Ecclesiæ ad finem suum consequendum.

Potestas Papæ quanta. Typus. *Psal. 83.* *Gene. 41.* *Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 7.* *Exod. 28.* *Claues Petro traditæ.* *Ierem. 1.*

Nos verò omnes hac Clauium potestate, quæ in vtilitatem nostram concessa est, vti debemus. 1. obedientes Romani Pontificis decretis, illiq; adhærendo in omni determinatione fidei & morū. Ipse.n. est *Petra refugiū erinacijs*. Deindè Indulgētias & Iubilæa magnificiamus, quibus peccatorū nostrorū pæna tollitur. Sed præcipuè Clauium potestate, quę omnibus Sacerdotib. tradita est,

vtamur,

vtamur, confitentes peccata nostra, vt eorum remissionem percipiamus. Qua in re malè negligentes sumus, serò & malè dispositi ad hoc Sacramentum venientes. Si Deus tibi iniungeret, vt pro peccatis tuis in fouea viueres, nihil non esset, vt in illud inferni pœna tibi commutaretur: sed ecce ait: Dole, & confitere. Sed quænam illa satisfactio? Certè nulla: nisi eam Dei misericordia satisduceret. An satisfaceret Regi proditor, si diceret, Peccaui? Id facit Deus. O indulgentia nimia, facilitas veniæ summa? Quis remedium adeò facilè tanto morbo tollendo non assumat? Ad annum expectabis viuificare animam tuam? Vulnus corporis statim curas, & animam tuam negligis? Vbi mens, vbi ratio? Quia peccata statim non exuis, in alia prolaberis & accidit: *Computruerunt vt iumenta in stercore suo.* Ardet infernus sub pedibus, tenui filo fragilis vitæ teneris, ne eo descendas, & tu rides, & negligis? Accede ergò ad Petri claues, &c.

N.B.

Ioel. 1.

IN FESTO S. MATTHIAE APOSTOLI.

THEMA: *Cecidit sors super Matthiam.* Actor. 1.

Verbi diuini dignitas.

QVanta res sit diuinum verbum, & quo loco nobis habendum, ostendit primùm omnium, quòd Christus Dominus, vt illud doceret, è sinu Patris in mundum venit; vt qui antea nobis *loquutus fuerat per Prophetas, nobis loqueretur in filio.* Et vt assumpta humanitas conueniens esset instrumentum, diuina explicans, vncta fuit summis gratijs. Sic ille de se explicat illud Isa. *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me,* &c. Eadem verbi diuini dignitas colligitur ex electione Matthiæ. Cùm enim in diuini verbi præconem vnus esset eligendus Iudæ loco, tanta hæc erat dignitas, vt Apostoli ausi non sint hunc eligere, sed Deo id commiserint, dicentes: *Tu Domine, qui corda nosti omnium ostende, quem elegeris ex his duobus accipere Apostolatus locum:* Sicut enim Christus ad hoc muneris à patre electus est: sic vires eius in terra non debuit gerere, nisi ab eo delectus. Et nos pu-

Hebr. 1. *Psal. 44.* *Actor. 10.* *Luc. 4.* *Isaiæ 61.*

Rom. 10.

filli audemus diuina tractare, sed audemus electi ab Ecclesia. Sicut enim initio mundi primas creaturas Deus se solo condidit: sed nunc idem eas efficit medijs causis secundis: Sic initio mundi, Ecclesiæ scilicet suæ, prædicatores ipse per se elegit, nunc verò per Ecclesiæ prælatos. Vt verò res tanta, qualem ostendimus esse diuinum Verbum conuenienter & dicatur & suscipiatur, necessaria est gratia, quam petamus per Mariam. A simili.

Duæ præcipuæ sortes in scriptura numerantur; altera bonorum, altera verò malorum De bonorum sorte gloriatur Paul. *Qui nos dignos fecit in partem sortis sanctorum.* Et vt in hanc sortem gentes ducèret, se vocatum Paulus ait in Actor *Vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remißionem peccatorum, & sortem inter sanctos, per fidem.* Altera dicitur sors Malorum, de qua Eccl *Anima nequam disperdet, qui se habet, & in gaudium inimicis dat illum, & deducet in sortem impiorum.* Sed eorum vanitatem ostendit Ierem. *Dissemi-nabo eos quasi stipulam, quæ vento rapiatur in deserto Hæc sors tua parsque mensuræ tuæ à me, dicit Dominus; quia oblita es mei, & confisa es in mendacio.* *Coloss. 1.* *Actor. 26.* *Eccli. 6.* *Ierem. 13.*

Gratiæ status sors dicitur, quia quemadmodum cùm sortes mittuntur, omnes pauperes & diuites scripti sunt schedulis, quæ sunt in vrna: nec bona alicui sors venit humano aliquo respectu; sed quia Deus sic vult: ita ex confusa hominum multitudine sine vllo merito elegit Deus ab æterno, quos voluit, ac prædestinauit eos, ante quam quicquam boni vel mali egissent: sic *Iacob dilexi,* inquit, *& Esau odio habui.* Eodem etiam pacto gratiam primam confert sine vllo hominis merito, sed sola sua voluntate: *Saluum me fecit, quoniam voluit me Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Gratia enim saluati estis per fidem: & hoc non ex vobis. Dei enim donum est.* *Gratiæ status cur sors sit* *Aug. conc. 2 in Psal. 30. vers. in manibus tuis sortes meæ in Psal. 67. inter medios cleros. Epist 180. ad Honor. Greg. lib. 5. in 1. Reg. 14. Psal. 17. Rom. 9. Ephes. 1. Ephes 2.*

Sed obijcis: si sorte mihi donanda est gratia, nō ex operibus: nullā præstemus diligentiā, sed dormiamus in vtranq; aurem. Absit. Tanta enim est diuina in nos bonitas. vt ꝙ in eius sola potestate est, in tua posuerit, dans tibi necessarium auxilium; vt gratiam possis obtinere, si *Gratia quomodo nō excludat opera bona.*

illo vti velis, potes gratiā obtinere, nō ex te, sed ex Deo. Datur tibi facultas elegendi sortem, quā malueris. Deus tibi præsto est, si gratiæ sortem volueris. *Nam sicut manus Helisæi erant super arcū Regis Ioas*, vt quoties emitteret, toties percuteret Syriam: sic omne opus tuū, vt gratiam assequaris, nullū est ex te; sed quia Christi meritum & auxiliū, Dei manus, tibi adest; cùm de peccato doles, gratiā cōsequeris. Iratus est Helisæus, quod plures nō misisset sagittas: maiorem nos irā meremur, quo plura opera bona nō præstamus. Si sortes essent, quibus nō aurea pocula, sed regna darentur, quis non vteretur tanta potestate? In hoc verò tempus Quadragesimę aduenit, vt qui in sorte fuisti peccatorum, transferaris in gratiæ sortem. O felicissimus tu, si in hanc sortem translatus fueris.

4. Reg. 13. Allegoria. *N. B.*

Cecidit sors super Matthiam. Sors bonorum sors gratiæ diuinæ. Sed insuper cecidit super Matthiam sors alia præclara, Apostolica: nam *annumeratus est cum vndecim* Apostolis. Licèt omnis prima gratia sorte detur, mera scilicet Dei liberalitate sine meritis, tamen excellentissima gratia Apostolica maximè datur hac sorte, quæ gratiam illam longè superat, quæ alijs sanctis conceditur. Ideò Christus ad Apostolos ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis*. Gratiam Apostolorū superabundasse *in omni scientia, prudentia, signis, et virtutibus*, latè ostendit Paul. *Primitias enim spiritus* illi habuerunt, in gratia confirmati sunt, ad omnia miracula potestatem acceperunt, mundi vniuersi Pontifices & omnis terræ principes facti sunt. Similes lapidi pretioso, qui dicitur Abestos, qui colore est ferreus, & semel accēsus nec aqua nec alia vi extingui potest, nasciturque in Arcadiæ oris: sic nec Apostoli semel diuino igne succensi extingui vnquam potuerunt, vt Paulus dicat: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio an angustia?* &c. Et hæc omnia maximè necessaria erant in B. Matthia, vt defectum Iudæ suppleret, cuius summum facinus fuit.

Sors Apostolica præclarissima. *Ioan. 15.* *Ephes. 1.* *2. Cor. 12.* *Rom. 8.* Simile. *Plin. lib. 37. cap. 10.* *Alb. lib. 2. Mineral. tract. 2. c. 1.* *Isidor li. 16.* *Rom 8.*

Huius rei historiam narrat D. Lucas. *Exurgens Petrus*, tanquam caput, Christiq; Vicarius in terris. Chrys. Vide, quàm se ostendat principem in Apostolorū choro? vbiq; primus loquitur. & meritò: ei enim dictum fuit: *Et tu aliquando cōuersus confirma fratres tuos*. Veritas. n. Catholica est, Petrum & successores eius, habere authoritatem gubernandi Ecclesiā, & necessaria decernendi, & eorum

Chrys. hom. 3. in Actor. 1.

omnium, quæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem spe-
ctant. Ad hæc omnia Christus ei potestatem suam dele-
gauit. Ideò exurgit hodie in medio Apostolorũ, & ait.

Viri fratres. Hæc erant nomina Christianorum anti- *Vir.*
qua. *Viri*: quia in lege virorum sumus. Puer nænijs gau-
det, vir rebus serijs: paganus tẽporalibus, fidelis æternis.
Hinc Paul. *Cùm essem paruul⁹, sapiebã vt paruulus: loquebar vt* *1. Cor. 13.*
paruulus: postquã aũt factus sum vir, euacuaui quæ erãt paruuli.
Nolite ergò paruuli effici sensibus. &c. Nomen secundũ fi- *1. Cor. 14.*
delium fuit *Fratres*. *Omnes vos fratres estis*, ait Christus. Et *Fratres.*
Multitudinis credentium erat cor vnũ & anima vna. tum pro- *Matt. 23.*
pter Ecclesiam: quia militamus sub vno duce; tum pro- *Actor. 4.*
pter charitatem, quę efficit, vt omnes vnum simus. Hoc *Ioan. 16.*
verò speciale nouumque mandatum legis gratiæ est. *Ioan. 17.*

Erat autem turba hominum 120. Ponit iustorum nume-
rum: de iniustis enim dicitur; *multiplicati sunt super nume-* *Psal. 39.*
rum. Et; *Stultorum infinitus est numerus*. Non numeratur *Eccl. 1.*
scoria, sed argentum, vel aurum: non numerantur pa- *Beda in*
leæ, sed triticum: sic iusti frumentum sunt areæ Dei & *1. Esd. 2.*
numerantur: peccatores vero paleę igne comburendæ,
scoria; ideoque non numerantur.

Oportet impleri Scripturã, &c. Ecce quæ ad iustos Petrus
loquitur: tanquã Doctor Ecclesiæ explicat scripturam
authoritatiuè, & Psal. 108. de Iuda scriptum ostendit: in
quo 30. notantur maledictiones, correspondentes 30. ar-
genteis, quibus Christum vendidit. Et sicut Serpens
maledictus fuit super omnia animantia terræ; quia dia-
boli fuit instrumentum: sic Iudas super omnes homi-
nes: quia diaboli fuit organum ad Christi necem. Et
quia peccatum eius fuit contra Spiritum sanctum ex
pura malitia, ideò omnem Apostolorum pro eo in-
tercessionem exclusit. Petrus infirmitate peccauit;
Paulus ignorans fecit; & ideò misericordiam consecu-
ti sunt: Iudas malitia multa aditum præclusit oratio-
ni & misericordiæ: persimilis factus gemmæ, quæ di-
citur Chalacia, cuius naturæ vis tanta probatur, vt *Plin. lib. 27.*
omni tempore frigida sit, nulloque calescat ab igne: *cap. 12.*
sic Iudas in medio ignis frigidus: *ignem venit Christus mit-* *Solin. 50.*
tere in terram, & verba eius ignis ardens, opera eius ignem *Albert. lib.*
spirantia; adhuc Iudas frigidus est, malitia plenus. Ex *2 cap. 7.*
quo patet, peccata in Deum maximè cauenda; vt malè *Luc. 12.*

communicare, quo efficitur *reus corporis & sanguinis Domini.*

Iudas proditor cur electus. Sed cur in Apostolum Iudas electus est, quem Dominus sciebat diabolum futurum? Eligitur non per imprudentiam, sed per prouidentiam. Quanta est veritas, quî nec aduersarius minister infirmat? Quanta moralitas
Ioan.6 & 13. Domini, voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi, vt tu à socio, ab amico desertus, proditus, traditus, moderatè feras Vt ergò in hac tribulatione, sicut & in alijs, socium Christum habeas, & eo inspecto consoleris, ideo & hanc passus est tentationem.

Qui annumeratus erat in nobis. Diabolus moribus, A-
Prælatis etiam malis obediendum. postolus officio. Licèt ergò Superior & Prælatus sit Iudas, ei teneris obedire: accipe ab eo quod bonũ est; quod malum relinque. Apis florem carpit, spinã cauet. Vuam
Chrys. Augu. tract.46. in Ioan. cape, spinam caue. Quod præcipit docetque tanquam Ecclesiæ Prælatus, tibi accipiendum est; quia à vite illa procedit, quæ ait: *Ego sum vitis vera.* 2. aduerte in Iudæ
Ioan. 12. reprobatione; dum vnum eijcit, alterum eligit. Eijcitur
Matth.23. Saul, vngitur Dauid. Reprobatur Iudas, eligitur Matthi-
Super cathedram Moysis seder. &c. as. *Qui ergò stat, videat, ne cadat.* Ne superbias, quia vides te in Dei domo esse; eijci potes, ideò tibi cauendum timendumque. *Seruite Domino in timore.*
Psalm.2.

Iudas omni damnato peior. *Diffusa sunt omnia viscera eius* Ille seipsum suspendit, à nullo iugulatur carnifice; quia peior omni homine, & ipso dæmone, qui etiam superbiens Deum magnificit, ideò vt maximo voluit ei æquari: at Iudas Deum adeò
1. vili pendit, vt dixerit: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis*
Matth 26. *eum tradam* Deindè immensus Iudæ casus considerandus est, qui ex altissimo Apostolatus gradu cadens, in
Marc.14.
Luc.22. vltimas inferni cauernas se deiecit: & tanta sunt eius
2. tormenta, vt sub eo quiescere possent omnes damnati.
Iudæ tormẽta maxima. Hinc colligendum, quo tandem deuenit ille, qui diuina indignè tractat; & medicinis in animæ salutem institu-
3. tis ipse magis infirmatur, confessione & communione malè peracta. Tertio, corpore humano retineri non poterant viscera, quæ tantum facinus admiserunt: nec per

Auaritia omnem virtutẽ proijcit. os, quo Christum suscepit & osculatus est, anima exire voluit. Et deinde proiecit intima in morte, qui in vita intima proiecerat. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam:*
Eccl. 10. *hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua*

pro-

proiecit intima sua. Intima in vita proijcit auarus ; quia omnem virtutem à se abijcit,& omnem curam in temporalibus ponens viscera sua eijcit,sicut aranea. Affectus est Saul preciosis & pinguibus Amalech , & regno expulsus est:affectus est Iudas pecunia,& Apostolatu deijcitur,daturque Matthiæ meliori. Semper ergò nobis timendum. *Exempl.*

Tu Domine,qui corda nosti omnium. Tu qui stateram iustam manu tenes,ostende, in quā partem iustitia inclinet. Affectus fuit Samuel erga Eliā: *sed Dominus,qui intuetur cor,* elegit Dauid:sic nunc electus est Matthias. *Ceciditque sors super Matthiam.* Est sors ministerij , est & sors gratiæ. Sors ministerij est dignitas & officium , quod reuereri in Ecclesia tenemur;quod huic vel illi à solo Deo conceditur. In hanc sortem omnibus venire non licet. At in gratiæ sortem , quæ præcipua est , omnes venire possunt : omnibus parata est sors ista,cuiuscunque gradus sint:& qui melius vel plus cucurrerit , eam obtinebit. Potes tu præcedere cursu , gratia , sanctitateque tua prælatū ? curre,cōsumma cursum citius, si potueris. *Cecidit ergo sors ministerij non solùm super Matthiam* , Sed & gratiæ, maximeque primitiarum spiritus, & omni bono spirituali Apostolus ornatus est,&c.

1.Reg.26. *Sors ministerij.* *Sors gratiæ omnibus parata.* *2.Cor. 9*

FESTA MARTII.

IN DIE S. IOSEPH.

THEMA : *Cùm esset desponsata mater IESV Maria Ioseph.* Matth.1.

MVLIER *bona pars bona.* id est, optimum, quod in domo habere potes, hoc est , si habueris mulierem bonam . Quæ pars Ioseph? quæ hæreditas eius? Maria;in cuius commendationē Euangelistæ pauca dixerunt,satis putantes dictū, cùm eam Dei matrem dixere: sicut Iosephi merita commendarentur, satis dictum est,cùm dicitur Sponsus Mariæ,vir eius, & Christi parens, Optima profecto pars Ioseph Maria,quam oremus,vt gratiam nobis impetret.

Eccl.26. *Mulier bona optimum est quod in domo habere potes.*

Psal. 67. *Mirabilis planè Deus in sanctis suis*, adeò vt in eorum minimo plura sint mirabilia, quàm in vniuersa natura: gratia enim super omnem naturam est. Sed in quibusdam Sanctis maiora dona gratiæ Deus posuit propter excellentissima munera, ad quæ eos delegit. Vt ergò gratiam Ioseph datam cōtemplemur, munera, ad quæ eum Deus elegit, videamus.

Eccl. 25. 26. 1. Sponsus Mariæ est, eiusque vir ac caput. *Mulieris bonæ beatus vir.* Et, *Beatus, qui habitat cum muliere sensata.* An nō beatissimum dicemus virum Mariæ? Desponsatio Mariæ cum Ioseph à Deo facta est, *qui habitare facit vnius moris in domo*: vt esset ei adiutorium simile sibi. Cùm enim homo sit animal sociale, indiget alterius conuictu & colloquio. Sed cum quo Mariæ loquendum est, nisi cum sponso? cum eo de diuinis colloquia habebat, ei cordis illius æstus patebant; ille rubum illam ardentem videbat, audiebatq;. O felix homo, qui talia audire meruisti! vna salutatio totā domū spiritu S. impleuit, quid non efficerēt tot salutationes, tot colloquia? Verè fuisti, ô Ioseph, *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, &c. Quot gratiarum aquas recepit, qui tam propè fontem habuit? quis adeò propinquus igni, qui nō ardeat? Prima ergò celsitudo Ioseph sit, quod vir Mariæ est. Sed cùm caput mulieris vir sit, caput Mariæ Ioseph est. Quantus hic homo est, qui caput Mariæ esse meruit? Tanquam capiti obediebat Maria; tanquam capiti reuelationes fiebant, de fuga in Aegyptum, & de reditu: Non tamen ideò Ioseph excelsior quàm Maria: sicut nec Maria, licèt mater Christi, Christo excelsior: quia licèt officio caput est, sed gratia multò inferior; & in gratia Maria caput est Ioseph. Ex hoc autem colligitur maxima gratia Ioseph, vt caput Mariæ esset. Et sic adimpleta est in hoc figura Patriarchæ Ioseph: qui sicut dominam intactam seruauit Domino; sic iste: sicut ille panem in Aegypto seruauit, sic ille Christum.

[Margin: Psal. 67. Gene. 2. Luc. 2. Psalm. 1. *Ioseph caput Mariæ, quia vir eius. Maria Iosepho excelsior. Ber. hō. 2. sup. Missus.* Gene. 29. Typus.]

2. Secundùm verò quòd dignitatem Ioseph maximè ostendit illud est, qđ parens Christi Domini est: Hinc ait Maria: *Ego & pater tuus dolentes*, &c. Fuit pater putatiuus: pater, quia ipsū aluit. Pater insuper legalis, nō naturalis. Spiritus .n. Sanctus quasi frater eius, sponsam illius sibi desponsauit, cuius opere Christus cōceptus est: qui Spi-

[Margin: Deute. 25. Ruth. 4.]

ritus sancti non dicitur filius, sed Ioseph: illum enim genuit S. sanctus Iosepho, & ei lex eum filiũ dedit. Quo facto S. sanctus frater Ioseph habitus est, & Iesus filius legalis Ioseph. Ex his sequitur 1. quod Ioseph tanquam pater Christo nomẽ imposuit. Sic enim Angelus ad eũ: *vocabis nomen eius Iesum.* 2. Iesum Iosepho, vt patri obtẽperasse, vt Euangelista ait: *Erat subditus illis*. Ergo sequebatur eos, eorumq; imperium. Mira profectò dignatio. Sed quid magis mirabimur, tantamne Dei humilitatẽ, an tantam hominum sublimitatem? 3. quod suo labore Christum aluerit, tanquam filiũ: fuitq; illi comes perpetuus in omni peregrinatione sua 4. summo honore à Deo Ioseph habitus est, summoq; à nobis habendum. Primus Ioseph Saluator mundi dictus est, quanto magis noster, qui panem de cælo verum mundo vniuerso custodiuit? *Fidelis planè seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam:* quam? Mariam & IESVM. Primo datus est annulus, sic & huic, qui Christus est, in quo principium fini, & primum vltimo coniunctũ est, Deus homini. Aurum humanitas est: Lapillus huius annuli diuinitas est. Hunc in manibus portauit Ioseph, cùm Christum, non semel vt Simeon, sed multoties in vlnas suscepit suas. Torquis aurea in collo eius, brachia sunt Christi in collo Ioseph. Stola byssina iustitia est, de qua in Euangelio commendatur, *quod esset iustus*. i. omni virtute ornatus. Quæ non est posterior Iosephi nostri cõmendatio, quod *laus eius sit in Euangelio*. Quanta enim gratia & sanctitate fuerit præditus ostenditur per opera, sicut rationibus ostensum est.

Spiritus sanctus frater legalis Iosephi.

Matth. 1. *Luc. 2.* *Hieron. aduers. Heluid. de perpet. virg. B. Mar.* Allegoria. *Gene. 41.* *Matth. 1.* *Ioan. 6.* *Matth. 24.* *Matth. 1.*

Cùm esset desponsata mater IESV Maria Ioseph. Mutuò sibi respondent casus & eius reparatio: Adam & Eua coniuncti matrimonio virgineo, causa extitere perditionis nostræ: remedij initium sumitur ab alio matrimonio virgineo Ioseph & Mariæ. Desponsatur autem Maria, ne videatur adultera; & partus eius celetur diabolo. *Antequam conuenirent.* Iam erant in vna domo Ioseph & Maria, aliàs bene famæ illius non esset consultum. Nec postea eam Ioseph cognouit, vt impiè voluit Heluidius.

Hieron. aduers. Heluid. & in Matth. 1. *Chrys. hom. 5. in Matth. 1.* *Canis. lib. 2. cap. 10. de B. Marc.*

Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ostendit quo in loco diuinus thesaurus inuentus est. Ager vterus

1. Cor. 15.
Ambr de instit. virg. ca. 14 & 15 Et in Psal 39. epist. 62.

est virginis. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*, totus de Spiritusancto: quia licèt carnem habeat vt homo, tamen adeo spiritui subditam, vt eam spiritum dicere possis: non solùm quia Spiritus sancti opere conceptus, sed etiam quia Spiritui sancto in omnibus paruit.

Aug ser. 14. in nat. dom. qui est 18. de temp.
Iustitia Ioseph
Allegoria

Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere. Quis infinitum hunc thesaurum inuenit? Ioseph, qui illum non plenè agnoscens, dimittere voluit Mariam. Videt grauidam sponsam Ioseph: nescit infinitũ thesaurum in ea latentem. sed angelus eum edocet; edoctus illam summo gaudio seruat; eique cum ea accidit, quod Moysi cũ rubo. Non audebat Moyses aspicere rubum, sciens Deum ibi esse: ita summa apud Mariã reuerentia vsus est Ioseph, postquam nouit Deum in ea descendisse, *vt saluum faceret populum suum* Maxima verò apparet iustitia Ioseph, qui verbum non dixit asperum: in his enim sancti viri turbari nimiũ solent. Dubius quidem Ioseph erat. Vidit illam grauidam, & se illam non tetigisse nouerat: Videbat econtrà eximiam virginis religionem ac modestiam, vt in dubium eius castitas venire non posset. nihilque leuitatis in illa esse, nec loquacitatem, nec otium. Videbat verò diuinum quid in Maria Deum portante. Voluit igitur occultè dimittere Mariam. Mirum in hac re silentium Mariæ. Si enim illa spõso mysterium reuelasset, proculdubio crederet. Ille quoque nihil dixit tum quod vt indignus ab ea recedere voluerit, tum quia tempus aduentus Messiæ aderat, suspicatus mysterium. Voluit autem Deus Mariam non loqui mysterium hoc: quia per angelum reuelare disposuit. Hoc sciens Maria, quæ Spiritus sancti afflatu regebatur semper, modestè tacuit. Attendite ergò Mariæ fidem, spem, humilitatem, patientiam, & silentium.

Chrys. hom. 14. in Mat. 1. Aug. serm. 16. de verb. domin. & epist. 54.
Hier. in Matth 1. Chrys. hom. 4 in Matt. 1. Orig. hom 1. in diuersis.
Mariæ fides.

Et ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. &c. Cõtinuo angelo reuelanti credidit nulla hęsitatione. *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* &c Ioseph filius Dauid dicitur, quia de stirpe eius. 2. quia sicut
1. filius in patris ius succedit, ita Ioseph in ius Dauidis, cui
2. promissum erat: *De fructu ventris tui ponam super sedem*
Psalm. 138. *tuam* 3. filius Dauid est secundum spiritum, quia virtutes
3. eius hæreditauit. Hinc Bernard. Verè de stirpe regia

Ioseph. quomodo filius Dauid.

descen-

descendit vir iste; nobilis generatione, nobilior mente: planè non degenerans à Patre suo Dauid, filius Dauid non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione. Quem tanquam alterum Dauid *inuenit secundum cor suum*, cui *incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit*: cui ministrat Iesus & Maria Quis videret te, Domine, quasi fabri filium ei obsequentem, eum iuuantem? Fabri munus te maximè decet, vt veluti alter Noë Arcam ædifices, qua salui homines fiant à diluuio peccatorum. Sicut verò Christus vt filius Iosepho obsequitur, ita vt Pater eum alit ac nutrit. Maximi meriti est eleëmosyna pauperis; sed multo præstantior ea, quæ in Deum ipsum exercetur, & quam Deus immenso præmio in cælo munerabit.

Bern. ser. 2. super Missus est.

Psal. 88.

Act. 13.

Psal. 50.

Christus cur fabri filius.

Typus.

Sed illud nobis attendum est, vt Iosephum in iustitia, in castitate, in patientia, in detractione fugienda, in obedientia diuinorum mandatorum. &c. imitemur. Præcipit Angelus: *Fuge in Aegyptum*: non facit vllam moram, non causatur multa incommoda: non responsat, dicēs: Paulò antè dixisti eum Saluatorem mundi, nunc meo præsidio in fuga indiget; sed obedit: ita & nobis faciendum. Monuit Angelus Ioseph, & credit: monet te, & non credis, non assentiris: caue, ne te Angelus deserat. Simili etiam ratione ac cum Maria se nobiscum Deus gerit. Tribulationem immittit, qua fides, spes, humilitas ac patientia nostra probetur: & cum fortiter dimicatum à nobis fuerit, tribulationem tollit. Citò ostendet se nobis charissimum fratrem ac patrem. Sic cum Maria actum est. &c.

Chrys. ho. 8. in Matt. 2.

IN DIE S. BENEDICTI Abbatis.

THEMA: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matt. 19.

SIcut in intellectu est cognitio primorum Principiorum, in quibus errare non potest; & est discursus, quo ex principijs conclusiones deducit, & in his errare potest: ita est in voluntate amor finis & beatitudinis,

In electione finis voluntas aberrare nō potest.

Iustus et peccator in fine conueniant: in mediorum electione discrepant.

nis,in quo voluntas aberrare non potest: est verò electio mediorum, in qua à recto deuiare potest. In amore beatitudinis conueniunt iustus & peccator, sed in electione mediorum dissimiles valdè sunt. Peccator putat beatum se futurum, si vniuersa mundi bona congreget: Iusti contra aiunt; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Meritò inquirendum est,quænam istarum viarum recta sit,& nos in beatitudinem ducat.

Boëth.l.3. de consf.phil. D.Tho.1.2. q.2.a.1. Arist.1.pol.c. 6.7.& 5. Aug.l.20 de ciu. Dei. c.3. lib 17.c.20. Chrys. serm. cont.concubinar.& ho. in Eutrop.

In diuitiarum copia beatitudinem non esse constat: quia bonum hominis in retinendo beatitudinem consistit,non in emittendo: at diuitiæ magis in effundendo nitēt:quia auaritia semper odiosos facit, claros largitas. 2. res omnes licèt prætiosæ ac altæ videantur, pauperes sunt ac miseræ: non ergo hominem fœlicem reddere possunt. Vis nosse res omnes pauperes esse? attende: honor indiget substantia & amicis ; substantia eget officijs,cura,sollicitudine ; munus eget diuitijs, curis, amicis. Mundi igitur vniuersas res congregans, idem facis, ac si plurimos congreges pauperes in domum tuam, vt ditescas. Beatitudo autē hominis in ea re esse debet, quæ adeò diues sit,vt diuitem constituat possidentem,& nullius rei egentem.

Vera beatitudo in quo consistat. Theophrast. Apophtegma. Apophtegma. 2.Cor.8. Gloss & D. Thom ibi. Qui omnia relinquit, Deo solo contentus est. Vixit Anno Domini 542.

Vera ergò beatitudo inchoata in hac vita,& perfecta in futura,consistit in Dei consecutione,& temporalium despectu. Quod naturali lumine Philosophi assecuti sunt. Qui cum coram Philippo Alexandri Patre disputarent,quę res maxima esset; vnus eorum respondit: *Verè in rebus humanis nihil magnum, nisi animus magna despiciēs.* Hic maior est, quàm qui vniuersum mundum lucretur. *Plus enim est mundum contemnere, quàm acquirere.* Hinc *altißima* dicitur à Paulo *paupertas*, quia qui contemnit diuitias altissimus est, & eleuatus super temporalia. Hoc verò illi impleuerunt,qui *omnia* Dei causa *reliquerunt*. Quidam namque Deum habere volunt,sed socios cum Deo cupiunt,diuitias,honores, & alia. At verò qui omnia relinquit, nihil aliud vult, socium Deo non quærit : solo Deo contentus est; ideò rectè dicit. *Ecce nos reliquimus omnia.* Præstitit hoc B. Benedictus, qui cum puer esset mundum reliquit, Deo solo contentus: & regulam tradidit,discretione plenam, qua idem docuit. Quidam autem iusti perfectius CHRISTVM sequuntur, qui-

dam

dam minus perfectè. Quidam mandata seruant, quidam verò etiam consilia.

Sed nosse cupis, qua ratione, qui perfectioni student, omnia relinquunt? Quod facit vt peccatores diuitias quærant, efficit, vt iusti contemnant easdem. Ratio, qua diuitiæ quæruntur, est; quia illis habitis omnia habentur. Vnde Arist. Pecunia est omnia, & ea habita habemus omnium rerum fideiussorem. Et Sap. *Pecuniæ obediunt omnia*. Et Horat. *Et genus & formam REGINA PECVNIA donat*: Diues amicos facilè inuenit, consanguineos, delitias; & deniq; omnia in mundo sunt venalia pecunia. Vt ergò omnia habeat & possit homo diuitias quærit. At verò is, qui perfectioni studet, attendit non esse illi conueniens vniuersa posse: infirmitatem enim suam agnoscit, & in malum procliuem animum; & ideo timet, ne potestate abutatur: relinquit diuitias, quibus potest vitia perpetrare. Et ideo aiunt. *Ecce nos reliquimus omnia*, Quod omnium perfectissimè post Apostolorum tempora Benedictus præstitit; ante cuius; nocturnæ orationis tempora præuenientis oculos in luce mirabili, desuper fusa, omnis mundus, velut sub vno solis radio collectus, adductus est: qua videntis animus dilatatus est, vt in deo raptus videre sine difficultate potuerit omne, quod infra Deum est. Animæ enim Deũ videnti, angusta est omnis creatura. Et sic vniuersum mundum coram se positum videns eum despexit, qui superior mundo factus erat.

Perfectioni studens cur relinquat omnia. *Arist. 5. Eth. c. 5.* *Eccl. 10.* *Horat. Epist. 6.* *Eccl. 31.* *Beatus diues, qui inuentus est sine macula.* *Greg. dial. 2. c. 35.* *Aug. epist. 112. de vidē. Deo. c. 12.* *Omnia relinquentes Christum sequentur.*

Sed quia non satis est omnia relinquere, hoc enim & Socrates fecit, & alij multi, qui diuitias contempserunt, adiungit, quod perfectum est, *Et sequuti sumus te*. Homo, licet in natura perfectus; à Deo conditus, & gratia ornatus fuerit, non tamen peruenerat ad eum finem, ad quem in mente diuina prædestinatus fuerat. Debet ergo homo labore ac opere suo se perficere; donec ad eum statum perueniat. Quia verò exemplar, cui conformari oportet, est in diuina mente, in luce inaccessibili, oportuit exemplar aliquod ei ostendi, quod sensu percipi posset, vt rectè opus suum perficeret. Proinde Christus, verbum Patris, homo visibilis factus, effectus est hominis exemplar, quod intuentes eum sequeremur, & sic perueniremus ad finem vltimum, ad

Hier. in Mat. 19. l. 2. adu. Iouin. Epist. 13. ad Pauli. & ep. 26. ad Pammac. 28. ad Lucin. *Lactan. lib. 3. diuin. instit. c. 23.* *Cic. 5. Tusc. quæst.*

quod

quod in mente diuina prædestinati sumus. Oportet ergo Christũ sequi ac imitari, vt dicamus: *Et secuti sumus te.* Huc ergo vniuersa cura, ac labor noster intẽdere debet, vt Christũ sequamur, ac imitemur: & summa hæc gloria nostra est: quoniam *gloria magna sequi Dominum.* Omnia enim, quæ gloriosa habentur, in hoc vno reperiũtur Si autem nobilitas, fortitudo, sapientia, gloriosa putantur; hæc verò sunt in iusto; verè nihil magnum, nihil gloriosum est, quod in eo non est, qui Christum sequitur.

Eccl. 23.

Qui ergò omnia reliquit, & Christum secutus est. merito ait: *Quid ergo erit nobis?* Magnum quid Petrus dixit, *Ecce nos reliq. omnia, & secuti sumus te*: sed maius est, quod nunc interrogat: *Quid ergo erit nobis?* Vtinam homo mercedem ac præmium perpenderet; si enim ea rectè perpenderet, alteri quàm Deo non inseruiret. Optamus obsequia nostra videri, in pretio haberi, ac præmio affici: quòd si id non fiat, perdita dicis. Perdita ergò crede vniuersa, quæ mundo, carni, ac dæmoni præstiteris obsequia: nec enim illi attendunt, nec soluere possunt. Et non solùm mercedem non dabit, sed nec agnoscet te mundus: quin potius irridebit te, ac subsannabit. Stultum est dæmoni obsequi: quo enim plus ei seruieris, eo plura tormenta dabit. Et *qui seminat in carne, de carne metet & corruptionem.* En mercedem eorum, qui mundo, dæmoni, & carni seruiunt. Sed *seminanti iustitiam merces fidelis.* Quæ merces? Deus certè, qui in hac vita possidetur à suis per gratiam, & est eis centuplum, quàm dimiserunt: in alia verò vita per gloriam infinitam. Hinc Abrahæ dicit: *Noli timere Abraham; quia ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Quid ergo magnum dici potest, quod pro Deo relinquitur, si eius loco Deus datur? Verè peccator omnia amittit Deum relinquens: qui verò omnia reliquisse videtur, vt Deum habeat, relinquit nihil. Quid enim aliud sunt, quam NIHIL, omnia peritura, ac caduca?

Merces nostra perpendenda.

N. B.

Simile.

Perdita sunt quæ mundo impenderis.

Greg. lib 4. Mor. c. 13.

Gal. 6.

Prou. 11.

Gen. 15.

Deum relinquens omnia amittit.

Attendamus eorum mercedem, qui omnia pro Christo relinquunt. *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione.* &c. Regenerationem dicit corporum resurrectionem, & mundi renouationem, quæ in iudicio futura est, *cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ: tunc & vos sedebitis super*

Sancti quomodo sint iudicaturi cum Christo.

Sap. 3.

1. Cor. 6.

super sedes duodecim iudicantes tribus Israel. Iudicabunt e- 1.
nim sancti impios, tum collatione sui cum illis; tum cō- 2.
probatione sententiæ Christi contra impios latæ: tum 3.
quia membra Christi & regni ipsius consortes cense- *Simile.*
buntur cum ipso facere, quod ipse faciet: sicut qui regi à *Sotus in 4.*
consilijs sunt, iudicare dicuntur cum rege eius regnum. *in materia*
Modus verò iste iudicandi peculiaris nescitur, nec sciri *de iudic.*
potest, nisi Deus reuelet, videbimus verò cum in iudicio. *Aug. lib. 20.*
Solus autem Christus sua potestate iudicij sententiam *de ciui. Dei.*
feret: Apostoli verò, vt regni principes, vt regni consi- *c. 3. D. Tho. in*
liarij, eandem sententiam proferent, vt in iudicandorū *suppl. 3. p. q.*
notitiam veniat. Pronuntiabunt ergo illi sententiam, & *89. a. 1. 2.*
docebunt omnes, quid cuiq; diuina iustitia pro suis me- *Bed. in Matt.*
ritis tribuat. Non solùm Apostoli, sed etiam omnes, qui *19. & in*
pro Christo bona omnia reliquerunt. Quia abiectio o- *1. Cor. 6.*
mnium est signum eximiæ humilitatis, quam sequitur exaltatio. Nulla autem maior exaltatio, quàm alios iudicare. Quod in hac vita D Benedictus fecit, qui infidelem quendam Gallam nomine solo visu in terram deiecit: & rusticum vinctum liberauit.

Centuplum quid sit. *Hier in Matt. 19.*

Centuplum autem hoc. quod in hac vita promittitur, quid est, nisi spiritualia bona, quæ loco temporaliū dantur: ea vero centuplum sunt, quia excedunt in immensum omnia caduca, & peritura. Centuplum etiam 1.
est delectatio, quies, & pax, quæ datur pauperibus vo- 2.
luntarijs, quæ excedit omne mundi gaudium. Quia verò Luc. ait & Marc. *Qui demiserit fratres, sorores, agros* &c. *centum recepturos*; attendendum est, hoc etiam Apostolis & pauperibus voluntarijs cōcessum. Reliquerunt enim domum vnam, fratrem, agrum &c. in domibus verò fidelium recipiuntur, agris omnium aluntur, sorores ac fratres plurimos reperiunt, ac tandem vitam æternam ad quam hodie assumptus est Benedictus, quem duo eius Monachi strata pallijs, atque innumeris corusca lāpadibus via, recto orientis tramite, in cælum tendere viderunt, & audierunt: *Hæc est via, qua dilectus Domino cælū Benedictus ascendit.*

Greg. 2. dial. c. 37.

Huius verò vitæ æternæ memoria perpetua conseruanda est, vt Dei mandata seruemus. Pactum tecum init Deus, *Relinque domum* &c *centesimum fructum habebis: sed insuper vitam æternam promittit*; non iam centuplum, sed millies

Pactum Dei nobiscum.

millies millia infinita bona. Quis ergo non cum Deo paciscatur? quis alteri adhærebit? quis non timebit te, & obsequetur tibi, ô Rex gentium, qui tuos muneras infinita ac æterna mercede? &c.

IN FESTO ANNVNTIAtionis B. Mariæ.

THEMA: *Missus est Angelus Gabriel à Deo.* Luc. 1.

1. Tim. 3. *Eph. 3.* *Festum annuntiationis est vniuersale.*

CElebramus hodie magnum illud Sacramentum diuinæ pietatis, de quo Paul. *manifestò magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne: sacramentum absconditum à seculis in Deo*, id est, in Dei notitia. Cuius autem hoc festum sit, meritò dubitari potest: quia vniuersale est festum Dei, Mariæ, Angelorum, Hominum, & totius vniuersi. Est Dei, vt mox ostendemus, & festum misericordiæ ac bonitatis ipsius. Est festum animæ Christi, quando illa omnibus gratijs ornata fuit, & in suppositum Verbi assumpta. Est festũ Mariæ, quia nunc est ad infinitam dignitatem matris Dei exaltata Est festum totius humani generis, quod in natura Christi humana vsque ad Deum exaltatum est. & nunc remedium illius cœptum. Est festum totius vniuersi, quod in homine assumptum & honorificatum est. Est festum Angelorũ, quod per illud ruinas implendas vident. Est etiam festum hoc præcipui gaudi ac lætitiæ: adeo vt D. Augustinus testetur, animæ eius tam dulcem fuisse huius mysterij considerationem, vt ea nunquam satiaretur. Nec mirum; cum & ipse Deus præuidens hoc mysterium ab æterno maximè delectatus sit: Vnde ait, *Ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* vt ergo nos in consideratione tanti mysterij delectemur, & simul proficiamus, gratiam nobis concedi exoremus per Mariam.

Aug. lib. 9. conf. c. 6.

Pro. 8.

Quia diximus festum hoc vniuersale ac omnium esse, ostendamus primùm hoc esse Dei nostri festum. Vt autem id doceamus, sciendum est, festum vt agatur, duo necessa-

necessaria esse, primum nouitas, secundum solemnitas, lætitia, & gloria. *Nouitas huius festi.*

Nouitatem facilè ostendemus. [Audi Ierem. *Creauit Dominus nouum super terram; mulier circundabit virum.* *Ierem. 31.*
Certè cùm *Verbum caro factum est*, carnem induit tanquam vestimentum, & *habitu inuentus vt homo.* Nulla quidem in Deo mutatio fuit (quia impossibile est Deum mutari) sed nouitas maxima Deo resultauit ex induta humanitate. An non nouum ac mirabile est, illum, qui ait, *cælum & terram ego impleo*, intra vterum virginis concludi? An non nouum, quòd in Incarnatione duæ naturæ vniuntur in vna persona, diuinitas scilicet & humanitas: adeo vt sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus sit CHRISTVS? An non nouum, quod ex vnione naturarum in vna persona sequatur; vt nulla operatio sit adeo propria vnius naturæ, quæ alteri non tribuatur? quod DEVS facit, dicitur homo facere: Et quod homo facit aut patitur dicitur DEVS facere Et ideò verè ac propriè dicimus, DEVM in vtero virginis clausum, & nasci, ac tandem mori. Eâdem ratione dicimus, hunc hominem verum esse DEVM, creâsse cælum & terram. & cæt. quia vna est persona DEVS & homo. Et hæc nouitas præcipuè ostenditur in communicatione idiomatum: quoniam verum est de hoc infante, qui in vtero Virginis nunc clauditur, quod est DEVS omnipotens, infinitus, creator cæli & terræ, immortalis. & cæt. *Phil 2.* *Mal. 3.* *Ego Deus, et non mutor.* *Ier. 23.*

DEVS est passibilis, homo, 'mortalis, & reliqua similia. Sed omnem nouitatem excedit, dum gloria ac pretiositas non apparet in veste, quam DEVS induit. *Amictus enim fuit lumine sicut vestimento: & Dominus regnauit, decorem induit:* at nunc cùm *diues esset, pro nobis egenus factus est: & exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo:* in qua forma *non venit ministrari sed ministrare*. Adeò verò abiecta vestis fuit, vt dicat Isaias. *vnde nec reputauimus eum*, propter vestis humilitatem. Sicut enim Deus induit primum Adamum eiectum de paradiso, veste vili, pelle animantis, labori apta: quoniam in laborem eum misit: ita cùm secundùm *Vilitas Christi in veste.* *Psal. 103.* *Psal 92.* *Phil. 2.* *2. Cor. 8.* *Matt. 20.* *Isa. 53.* *Gen. 3.* Allegoria.

Adam

Adam in laborem mitteret, laboris vestem tradidit. Tāta erat humanæ naturæ grauitas, tantum pondus, vt moueri in cælum non posset, nisi veniret inde Deus, & vestem indueret laborātium. Hinc Christum videbis iam sudantem, iam lassum, iam sanguineū fundentem. Sed tanta est nouitas, vt deesse videatur gloria & Maiestas illius.

Gloria in incarnatione Christi.

Hic iam diuinam in nos misericordiam conspicimus. Nouitatem sine mutatione ille sumpsit, dum homo passibilis ac mortalis fit: gloriam verò ac Maiestatē in nos transfudit. In incarnatione ergo & nouitas profectò magna, homo Deus est, & Deus est homo: & gloria hominis resultat ex humilitate Dei. Nam *repletus est ignominia pro gloria*; quia vt Deus hominem glorificaret, ignominiam assumpsit. Gloria verò hominis est, cum Deus dicitur. V*idete*, inquit Ioan *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus*: Et, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*: *si filij, & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*: at parum hoc est, cùm Deus sit; quia Deus homo fieri dignatus est. Magna profectò dignitas humanæ naturæ est, quam sic Deus dilexit, vt sibi vinculo tanto vniret. Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factús naturę, noli in veterem vilitatē degeneri conuersatione redire.

Hab.1. *1. Ioan.3.* *Ioan.1.* *Rom 8.* *D. Leo ser. 1. de nat. Dom.*

Sed ex hoc mysterio non solùm gloria & honor in hominem resultauit, sed etiam ipsi Deo gloriosissimum fuit ac honorificum, quòd homo fieret. Ostendunt hoc Angeli in Christi natali: tunc enim non solùm hominibus gratulantur, sed Deo etiam gloriam decantant dicentes: *Gloria in excelsis Deo*: Et ratio est manifesta: quia cum ex vniuersis ipsius operibus gloria illi resultet, quo pacto ex Dei opere eximio, & quod opus eius est per excellentiam, gloria illi non resultabit? Quia in opere redemptionis humanæ ostendit infinitam misericordiam, amorem, ac bonitatem suam, cui in hoc tempore felici; quod plenitudo temporis dicitur, voluit satisfacere, & omni miseriæ nostræ surcurrere, mittens filium in mundum. Amori quidem & bonitati suæ fecit satis, dū non tantum sua dat, vt antea, sed seipsum, manibusque proprijs, non alienis, salutem nostram operatur. Vt qui

Luc.2. *Isa.40.* *Opus illius coram illo.* *Gal.4.*

manu

manu sua nos condidit, manu item propria nos redimat. Simul verò summa nobis præstita misericordia. Decreuit enim homo fieri, vt tanta in nos ostensa dilectione homines quasi cogeret eum redamare: & sic *aquæ exarderēt igni.* Hic amor volūtate propria fecit martyres varia tormenta sustinere, nec sustinere solùm, sed sibimet infligere. Hic adinuenit cilicia, flagella, vigilias, inedias, lectos asperos: & *fecit carnem crucifigere cū vitijs & cōcupiscentijs suis.* Ideò amor græcis dicitur γλυκύπικρος, id est, dulce amarum: estque similis api, habenti mel & stimulum. In alia vita omninò dulcis est: in hac verò dulcis & amarus: habet enim suas dulcedines, & simul amaritudines, vnde gloria magna Deo resultat, quod amor talem in se vindictam, exercet, qua homo, qui fuerat Dei inimicus, agnoscens eius bonitatem, de seipso supplicium sumit. *Isa. 64.* *Gal. 5.* Simile.

Sed quomodo Mariæ festum sit, videamus. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ &c. & nomen Virginis Maria.* Attende noua, quæ Mariæ acciderunt. Virgo mater facta est: an nō hoc adeò nouum, vt visum simile non sit, nec vnquam futurum sit? Deinde mater parentis sui Maria fit, quod omninò nouum est: *quia opus factum est in diebus nostris, quod nemo credit, cùm narrabitur.* Sed nunc gloriam & splendorem Virginis attende. Erat illa prius Deo paratum cubiculum, omni lapide pretioso ornatum: nulla enim erat gratia, nulla virtus, nullum donum, quo illa careret. Nec solùm hæc omnia habebat, sed in gradu perfectissimo. Quem ergo splendorem, quod lumen intra eam fuisse credendum est, cùm Sol iustitiæ intra eam ingressus est, descendēs è sinu Patris in vterum virginis? matris? qui sua præsentia vniuersas Mariæ virtutes supra modum auxit, & lumine cælesti domū illam repleuit. Tunc verò mira egisse Christum in Maria, ostendit ipsa, cùm ait, *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est. &c. Sed missus est Angelus Gabriel.* *Quomodo festū Mariæ.* *Abac. 1.*

Supremum autem nuntium, quod in mundo fuit hoc est; & cui æquale nunquam erit? Mittitur enim à magno Deo è cælis, super negotio summo, in maximum stil. Dei opus: quia nihil potest maius fieri, quàm Deus homo: Et *Gabriel* mittitur ad hoc nuntium, qui inter-

Bern.serm.1. super Missus. pretatus dicitur, Fortitudo Dei: & à Bernardo dicitur supremus Seraphinorum. Nam ad rem tantam mittendus fuit Angelorum supremus. Ad quem mittitur Gabriel? *Ad Virginem desponsatam viro.* Potuit Deus secundum Adam condere sine matre, sicut primum; at noluit. nam matrem ei dedit. 1 quia voluit honorare humanam naturam, quam assumebat. Esse verò matrem Dei, dignitas est infinita. Vnde sicut Patri infinita est gloria, quod Christus sit eius filius: ita suo modo gloria est infinita matris, eundem habere filium. Est enim substantialiter mater filij. Humanæ ergo naturæ concessa in hoc est maxima dignitas. 2. nostra intereat, vt nobis esset non solùm Pater Christus, sed etiam mater Maria virgo: quæ nobis mediatrix fidelis existeret. Bonus intercessor Ionathas, qui Saulis filius, Dauidi amicus erat: Maria mater Dei est; & mater, soror nostra, quia mater Dei est: & ab eo obtinere potest, quæcunque petierit. *Pete Mater mea*, ait Salomon, *nec enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Optima planè aduocata, quæ à Deo obtinere potest, quæ vult, & nobis compatitur miseris. 3. Mittitur verò ad Mariam Angelus, vt eius assensum petat; sine quo Deus hoc opus perficere non vult. Sed Domine rem tantam voluntati puellæ committis? Ita planè fieri decet, tum propter honorem liberi arbitrij: tum vt vniuersus mundus ei gratias agat, quòd nobis Deum dederit. Hinc Augustinus, innumeras de hoc ei gratias agit: serm. 2. de annunt. domin.

Aug. li. 9. de ciuit. Dei. c. 15. & 17.

1. Reg. 18. 19. 20.

Aug. epist. 51. 52. 53. 54. ad Macedon.

3. Reg. 2.

Bern. ser. 1. in Assum. Mar.

Qua in re duo præcipuè aduertenda sunt. 1. quod Maria sua bonitate ac gratia omnem mundi vicit malitiam, quæ summa est; & Deum in mundum adduxit, renitentibus omnium hominum peccatis. 2. quod adhuc maius est, quòd cum Deo in arenam descendit, eumque quodammodo superauit. In arenam descendunt hac parte omnipotens Deus, infinita potentia, ira ac iustitia: illâ verò puella parua & humilis. Sed quibus armis contra Deum præualere potuit? *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in crine colli tui.* Oculus ei erat vnus, intentio vna, amor vnus. Illa in omnibus gloriam Dei quæsiuit, cum solùm diligens. vnde vna cogitatio, vna oratio, eaque mirabilis, & perfecta procedens ex vita omni virtute ornata. Sic

Cant. 4.

ergo

ergo orans Maria Deum vincit: obtinet quæ vult; & plura obtulit, quam sancti obtulere, & plura impetrat. Luctatur Iacob cum Deo prudenter, & obtinet benedictionem: at Maria prudentius luctata est, & obtinuit semẽ, in quo benedicendæ erant omnes tribus terræ. Obtinet orans Moyses, vt ira Dei in populum non desæuiat: Maria tamen multò maiora. Et quænam illa? Certè quod flagella debita super se Deus suscipiat, & pro hominis peccato soluat pœnas debitas. Quis tale obtinuit? Oratio Mariæ. O verè *fortis mulier*. quæ Deum superâsti, quæ omnipotentem ligasti, ac inuictum vicisti. Hinc dæmonibus facta est *terribilis*. Gen. 32. Exod. 32. Prou. 31.

Sed quæ Angelus ad Mariam loquatur, audiamus. *Aue gratia plena*. Mensura gratiæ ex propinquitate ad fontem gratiæ accipienda est. 1. Christi humanitas gratia plena: *quoniam in eo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter*. Christus ergo gratia plenus est, vt fons. Quis propinquior huic fonti, quàm mater? in quem libentius dona effunderet, quàm in matrem? Quo ergo Mater fonti propinquior, eò gratia plenior. Indigebat mundus aqua illa viua, quæ est gratia. *saliens in vitam æternam*. Hæc à Deo emanat, vt à fonte: & diuisa est in diuersos Sanctos, sed platea ciuitatis Maria est, ad quam omnes conueniunt. 2. ille dicitur gratia plenus, qui omnia quæ dicit, facitque, gratia condit, quem dicis in omnibus gratiam habere. Meritò Maria gratia plena dicitur, quia in omni opere, locutione, & cogitatione Deo placuit. Gratia plena cum esset, nullus peccato locus relictus est, totam gratia mentem occupauit. Mira res profectò hæc in Maria, vt omni cogitatione, verbo, & opere summè Deo placeret. Quàm hoc mirum sit, cõspicies; quòd opera tua ingrata Deo sunt; quia peccata: & quæ grata sunt, quot imperfectionibus obscurantur? Non sic in Maria, quæ ideò gratia plena dicitur, quia in omni opere suo *gratiosa*, & in omni opere operata fuit ex toto auxilio & conatu gratiæ. Quod maximæ admirationis est in natura tã fragili ac labili, qualis humana est, similisq; Lunæ, quæ tot est obnoxia defectibus. Sed non in Maria, quæ vndiq; gratia & luce plena est, vt ei dicatur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Maria quomodo gratia plena. Ioan. 4. Cant. 4.

Hanc verò gratiæ plenitudinem, simul etiam Verbi incar-

N.B. incarnati mysterium imitabimur nos, si omni præditi fuerimus virtute. Nec enim credendum est in sola Maria operatum, sed & in alios. Sicut enim natus cœpit continuo ad se trahere pastores ac Reges; ita cum humanitas verbo coniuncta est, *mellisflui facti sunt cæli* & plura bona in terram descenderunt. Et licet aliqua videantur sibi aliquo modo aduersari, quæ ad virtutes pertinent, illa tamen simul habeamus; Vt, magnitudinem animi, & humilitatem; submissionem, & in aduersis intrepidū cor; diffidentiam nostri, & propositum firmum in Deū

Rom 8. non peccandi, dicentes: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Sicut igitur salua vtriusque proprietate substantiæ

D. Leo. ser. 1. in nat. Dom. suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, & ab æternitate mortalitas: ita nobis hinc discendum, simul esse Deos & homines. Sanctus enim quisque licet

Greg. lib. 7. mor. c. 15. in Iob 6. homo sit, quia tamen mente super seipsum rapitur, ea parte Deus apparet. Sic Paul. *Aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deijcimur,*

2. Cor. 4. *sed non perimus.* Sic Petr. *Si iustum est potius vos audire, quàm*

Act. 4. *Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ audiuimus, & vidimus,*

Act. 7. *non loqui.* Et Stephanus: *Dura ceruice & incircuncisis cordibus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut & patres vestri.* Hæc autem sancti faciunt non elatione, sed vera charitate & celsitudine spiritus: quod humilitate eorundem & dilectione ostenditur. Hinc ergo tu disce, Deus & homo esse. Deus esto despiciens omnia temporalia; magnanimus ad virtutem, in tribulatione non angustiatus. Sed & hominem te esse non obliuiscaris; humilia te, despice te, subditus esto omni humanæ creaturæ propter Deum, diffide de te, nihil te esse agnosce, sic Deum hominem imitaberis.

Et quia totius mundi festum hoc esse diximus, noua plura, ac pretiosa humanitati vniuersæ ex verbi incarnatione processisse ostendimus. Nunc autem singulis nobis hoc festum venisse percipimus, vt festum hoc nō sit solùm naturæ humanæ, sed singulorum hominum. Ex quo enim factus est homo, nos membra sumus de membro, caro de carne eius, & os ex ossibus eius, & vnum cum illo sumus: Quod si gratia ac charitate ei v-

3 Reg. 17. niri voluerimus, vniuersa bona eius participamus.

4. Reg. 4. Et sicut Elias, Elisæus, vt Paulus, vt mortuum quilibet

suscita-

suscitarent, frontem fronti, oculos, oculis &c. coniunxerunt; quo sic vnum cum illis fierent: Ita profectò Verbum carni vnitum est in Incarnatione, vt vnum sint Deus & homo: & quod homo propter se non meretur, propter Deum Verbum recipiat. Ita ergò si homo Christo vniri velit per gratiam, suscipiet per eum innumera bona. &c.

Act. 20.
Aug. serm. 206. de tempore.

FESTA APRILIS.

IN FESTO S. MARCI Euangelistæ.

THEMA: *Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam.* Luc. 10.

GRauissimum sine dubio negotium illud est, cuius causa 72. discipulos Christus Seruator noster designat, & illos mittit binos. Si enim maximus Rex vocaret in regiam suam omnes Principes suos, & binos eos in legatos mitteret ad vniuersos mũdi Reges & Principes, maximum aliquod negotium esse diceremus: Ita cum Christus Rex Regum postquam Apostolos cõgregauerat, 72. discipulos asciscat & designet, mittatque illos in omnem ciuitatem, & locum; proculdubio causa aliqua grauissima est, ob quam insignes legati in mundum mittuntur. Impletum nunc illud est, quod Psalm. ait. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Deus Abraham CHRISTVS est: cum hoc congregati sunt Principes, cùm discipuli eius ab eo designati ei adhæserunt. Licèt enim in mundi oculis parui & despicabiles appareant, in Dei tamẽ oculis Principes sunt. Nec solùm Principes, sed maximi Principes; quibus vniuersi mundi Imperatores collati, Principes dicendi non sunt. Hanc enim potestatem tribuit Christus disci-

Psal. 46.

pulis,& sacerdotibus,vt verbo suo distribuant regna cælorum, quod terræ Imperatoribus datum non est Dedit disciqulis maxima gratiarum dona, vt Principes dicebat cæli.

Sed qua de causa congregatio tanta facta est,& quod illis committitur negotium pertractandum, cum in omnem mittuntur ciuitatem. Cùm vnus verus esset Deus cæli & terræ plures Dij tanquam tyranni vsurpauerant Dei regnum. quondam dæmones, idola, & vitia dominabantur in terra, ita vt Dei loco haberentur, & tanquam Deus colerentur. Decreuit ergo Deus à tyrannis regnum suum eruere; & sibi dominium vendicare. Hæc causa est tam celebris missionis. Sed quoniam Dij terræ vehementer eleuati erant,id videamus. An non vehementer eleuatus erat fortis ille armatus custodiens atrium suum,qui dicebat sub nomine Assur: *In fortitudine manus meæ feci*. An non vehementer eleuata idola erant,quibus non substantiam solam offerebant, sed filios & filias mactabant. An non vehementer eleuata vitia bruta,de quibus Ioan. *Vidi de mari bestiam ascendentem,habentem capita septem, & cornua decem,&c*. Ecce Deos terræ vehementer eleuatos: ecce tyrannos,qui Dei principatum vsurpauerant. Vt ergo dij isti deprimantur, vt eorum potestas auferatur de terra,congregati sunt Principes cælestes cum Deo Abraham,vt regnum Dei stabiliant. & impleatur per Christum regem, quod Propheta futurum dixit: *Et disperdam nomina idolorum de terra. & non memorabuntur amplius*.

Isa.10. *Psal.105.* *Deut.32.* *Apoc.13.* *Theodoret.l. 8. de græc. affect. cur. qui est de marty.* *Hie. ad Vig.* *Baron.1.To. Annal Eccl. Anno Christi 44. 45. 58.* *Zach.10.*

Ad hoc ergo grauissimum negotium *designauit Dominus, & alios 72. discipulos*. Licèt quidam existimant 70. solùm fuisse,certum tamen est 72. fuisse. Vsu enim scripturæ numero præcipuo dicto paruus illi adiectus aliquando tacetur. Sic in Exod. 70 palmæ & 12. fontes dicuntur, cùm tamen numero fuerint 72. palmæ. Sic Senes electi fuerunt 72. cum tamen 70: tantum dicantur. Erant enim 70 præter Eldad & Medad. qui quidem sicut & palmæ figura extiterunt discipulorum,quos Christus designauit.

Iren.l.3.c.13. *Doroth. in cōp. rer. Ap.* *Eus l.1. Eccl. hist.c.12.* *Amb in Luc.10.* *Hier.ep.127.* *Num.11.* *Epip.l.3. cōt. her.* *Iansc.c.80. conc. Euang.* *Clem.li.1 recogn & l.2. const.Ap.*

Sed non sine mysterio Lucas ait: *Designauit Dominus*; quia hoc opus, ad quod discipuli eliguntur, non perficiet,qui à Deo designatus non fuerit. *Quomodo enim*

Prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10. Et quem Dominus designat, & mittit, sufficientiam tribuit & dona, quibus idoneus sit ad hoc opus. *Anaclet. in ep. 1. ad epis. Ital.*

Notandum est nobis illud, *Et alios*: Elegerat Dominus Apostolos; sed non illi satisfuit, eos elegisse, ideò superaddit discipulos. Quia magnificè facit nobiscũ, & non solum necessaria tribuit, sed multa superaddit. Ideò Psalm. ait: Confessio & magnificentia opus eius, id est opera eius magnifica sunt, & digna laude. Corpori Deus necessaria tribuit abundanter, multo potiori ratione in his quæ ad animam pertinent, non necessaria duntaxat, sed plurima alia abundanter prouidit. Et ideò vt copiosa esset redemptio, cùm alijs vijs posset hominem redimere, voluit optimo modo eum saluare ex iustitia. Et cùm ad hoc satis esset gutta sanguinis, omnem sanguinem fudit. Nec auxilia saluti necessaria duntaxat homini tribuit, sed plurima supperaddit. Ideò ad sponsam ait *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* An non satis erant murænulæ aureæ, ad quid obsecrò vermiculatæ esse debent? Certè quia necessaria tribuit, & insuper conuenientia tribuit & ornantia quia *dat omnibus affluenter, & non improperat*. Sic & cum DEO tuo habere te debes. Ille verò qui ait, satis mihi est, si mandata Dei custodiero, ea, quæ consilij sunt, præstare non teneor: nolo ergo ea facere. alendus à Deo esset pane hordeace aut furfureo: quoniam ille satis est ad vitæ necessitatem. Si ergo Deus tibi magnificus est, cur illi auarus eris? Si innumera ab eo gratis recipis beneficia, cur pauca præstabis obsequia? *Cyrill. Aug lib. 2. quæst. Euan. q. 14. Cant. 2. Iac. 1.*

Sed electos discipulos *bonos* mittit, vt se inuicem iuuent, & consolentur. Hinc Sap. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Melius est ergo duos esse simul, quam vnum: habent enim emolumentum societatis suæ: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ enim soli: quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Sicut enim vna prouincia altera indiget, vt mutua charitatę & conuictu iungantur: sic in gratuitis voluit DEVS, vt nemo sibi sufficeret: nec vllus dicere posset, non indigeo aliorum opera: & ideò dona sua diuisit, vt latè Paulus ostendit 1. Corinthiorum 12. Bini ergo mi- *Prou. 18. Ecc. 4.*

mittuntur; quia nemo sibi sufficit; nemo sibi satis sapit; & licèt alijs sapias, nō tamen tibi in his quæ ad te pertinent. Quod in Moyse & Iethro manifestū est. Loquebatur Deus quotidiè facie ad faciē cum Moyse, quare ergo nō dedit ei consiliū hoc, quod Iethro dedit? Cur Iethro ait, *stulto labore consumeris?* Proculdubio ostendere voluit Dominus, neminem ipsi adeò familiarem esse, nemini tot secreta reuelari, vt ope alterius hominis & consilio non egeat. Ideò ergo Dominus *binos* mittit, vt se inuicem iuuent tanquam duo boues, qui iugum subeunt, vt terram colant.

Sed quibus verbis eos Dominus mittit? *Ite: Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Quis Pastor vnquam agnos mittit in medium luporum? Hoc facit Christus, vt lupos faciat agnos. *Ite,* inquit, *Ecce ego mitto vos.* Vos infirmi estis, sed ego, qui vos mitto, fortis sum. Quis es tu Domine, qui confidenter agnos mittis in lupos? Ego qui verbo condidi cælum & terram: qui mortem superaui, infernum expoliaui; qui mortis & vitæ habeo potestatem. O virtus mittentis! Sed cur agnos eligit, vt lupos superet? Certè vt nomini eius adscribatur victoria.

Sed silentio prætereundum non est, quanta celeritate eos ire præcipiat, cùm ait: *Nolite portare sacculum, neque peram; & neminem per viam salutaueritis.* Per viam ergo salutare, est Euangelium prædicare quærendo temporalia. Vel docet omnia prætermittere, quæ impedire possunt: ideo sacculum relinquite & peram, nec colloquia misceatis cum his, qui in via vobis occurrerint. Sic etiam Elizæus Giezi mittit. Sed quæ tantæ festinationis ratio? Si nosses, ô peccator, maximum in quo versaris discrimen, non tibi appareret multa festinatio. Si infirmus morti proximus est, medicum accersis, vt quàm citissimè veniat: quoniam in maximo periculo est: quid faciet peccator, qui in maiori versatur: ideo
Psal. 30. accelerare oportet, vt ei remedium adhibeatur. Hoc agnoscebat Dauid: *Accelera, vt eruas me.* In hoc opus Christus in mundum venit. Si damnatus homo & in locū supplicij ductus ligno ligatus esset vt strangularetur: si forsan mutata sententia liberandus esset, num maxima celeritate nuntium venire oporteret? Hic status

peccato

peccatoris erat;hoc illius discrimen. Lata erat in eum
sententia æternæ mortis. An non accelerare oportet
eum,qui eum liberaturus est? Peccator iam igne ardere *Iud. Illos*
cæpit,accelerandum ergò est,vt eruatur. Hinc 1. collige, *saluate de i-*
quanta sit peccatoris incuria, qui in tanto constitutus *gne rapien-*
periculo,solicitus sui non est: & quasi securus omninò *tes.*
esset,sic se gerit 2 quanta celeritate currendum sit Chri-
sti ministris,vt de igne rapiant peccatorem. Merito er-
gò Christus discipulis ait: *Nolite portare sacculum,neque* *Iudæ 1.*
peram, & neminem per viam salutaueritis; vos enim mitto,
vt peccatores saluetis *de igne rapientes*. Hinc Sap. *Discurre,* *Prou.24.6.*
festina, suscita amicum tuum. Hinc & Christi discipuli ea
festinatione hoc opus perfecerunt: vt eorum velocem
cursum miratus Isa. dicat: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant.* *Isaiæ 60.*
Sed quod nuntium deferri mundo præcepit? Certè il-
lud mirabile: *Appropinquauit regnum cælorum.* Felix pro-
fecto nuntium, quod meritò Euangelium, id est, bo-
num nuntium nuncupatur. *Iam enim regnum cælorum* *Matth.11.*
vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sicut ergò milites se Simile.
accingũt,vt vrbem direptioni traditam capiant: ita nos *Ios.15.18.*
accingi oportet, vt regnum cælorum capiamus; cùm *Iud. 1.*
iam nobis appropinquauerit,cùm eius fores priùs clau *1.Reg.17.*
sæ iam per Christum reseratæ sint. Quid enim homini *2.Reg.5.*
optandum est,nisi hoc cælorum regnum? Audi ergò, ô *1.Para.11.*
homo,felix nuntium, *Appropinquauit regnum cælorum*,vt *Ambr. in*
sis Rex: solùm voluntas tua deest. *Luc.10. &*

Hac consideratione sancti vires & animum resum- *serm. 15.*
pserunt,vt multa agerent ac paterentur; vt regnum cæ *Greg.hom.5.*
lorum vi caperent. Videbant enim cælos apertos, vt *in Nume. &*
Stephanus: videbant appropinquasse regnum cælorum. *12.20. in Ios.*
Inter quos MARCVS Euangelista,cuius hodie cele- *Actor.7.*
brem diem agimus, Leoni assimilatus est in operibus *Ezech.1.*
suis. Vnus fuit ex 72 discipulis Christi: qui ea fortitudi- *Apoc. 4.*
ne fuit,vt regnum cælorum vi caperet, & socius Pauli *Actor. 15.*
ac Barnabæ factus,posteà in Aegyptum venerit: vbi tan- *Hier. in cata.*
ta sanctitate Ecclesiam constituit, vt omnes ad sui imi *de Script.*
tationem cogeret. Et ipsis etiam Ethnicis tantæ fuit ad- *Eccl. Phil.*
mirationi,vt Philo librum scripserit, de admirabili san *Iud. lib de*
ctitate fidelium sub Marco Beatiss. etiam Petro Aposto *contempl.*
lo amantissimus fuit,vnde ipse ait: *Salutat vos Marcus fi* *1.Petr. 5.*
lius meus. Leoni in operibus assimilatus didicit capere

prædam, & vim facere regno cælorum: qui hodie nobis proponitur, vt eum imitemur; quoniam appropinquauit nobis regnum cælorum. Væ enim ei, qui his auditis non accenditur in pugnam, vt spolia tanta capiat: vt
Iudic. 5. sit ex eis, de quib. dicitur: *Lætabunt coram te sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia*. Assimilemur ergò nos Leoni Marco, cui similis est iustus: & non Sisaræ, qui lac delectationis bibens, & somno correptus, occisus est. Iners miles impius est, qui pugnam inire detrectat: iustus discrimini se dat, & quasi Leo confidit, & prædam regni cælestis capit, &cæt.

FESTA MAII.

IN FESTO SANCTORVM Apostolorum Philippi & Iacobi.

THEMA: *Non turbetur cor vestrum neque formidet*. Ioan. 14.

MOS olim fuit, & nunc est, præclaris Ducibus & strenuis, vt eo tempore, quo cum hostibus confligendum est, orationem ad milites habeant, qua illorũ animos ad pugnam iam iam ineundam, & omnem pauorem ac turbationem ex eorum animis pellant. Ad hæc verò militibus suis proponere solent sui animi fortitudinem, adiutoria, quæ ipsis aderunt, spolia maxima, quæ victoria parta obtinebunt, & similia, quibus milites prompti redduntur ad pugnam. Nec solùm hoc præstitere duces Ethnici, sed & viri sanctissimi, vt Iudas Machabæus, & alij. Aduenerat iam tempus, in quo pugna illa ineunda erat, in qua Christus dux de morte & inferno triumphaturus erat: Apostoli verò de vniuerso mundo, & idolis gentium. Duodecim ideotæ piscatores contra vniuersam mundi sapientiam ac potentiam dimicaturi erant. Armat ergò hodiè Christus pusil-

pusillum gregem sermonibus optimis, vt in pugna fortes sint. Videamus sermones hos optimos in Euangelio nobis proposito.

Non turbetur cor vestrum. Quia maximam vim habet turbatus appetitus, vt ad se rationem trahat, ideò timendus est, cùm vehemens est, & reprimendus, ideò ait Dominus, *Non turbetur cor vestrum.* Mœrore ac formidine angebantur discipuli, quoniam eis dixerat discessum suum, persecutiones, ac discrimina varia, quæ eos manebant: his auditis tristitia ac mœrore turbati sunt. Primum verò, quod fortis curare debet, est, ne cor illius turbetur: eo enim turbato, à quo vires & consilium procedere debent, nihil rectè fit, efficiturque quod ait Psalm. *Cor meum conturbatum est in me.* Si ergo ad discrimina belli corporalis, oportet cor non turbari, multò magis ad bella spiritualia feliciter peragenda necessarium est cor imperterritum. Cùm imminent discrimina, bella, & hostes, tunc optimum est, *gratia stabiliri cor*, ne succumbat homo oneri tribulationum. *Psal. 37.* *Hebr. 13.*

Sed ais, Quomodo non turbetur animus, videns instare pericula, maximè mortis? cùm de Petro dicatur: *Alius cinget te, & ducet, quo tu non vis.* Certè natura refugit certamen, sed gratia illud eligit, & gaudet: appetitus turbatur, sed à ratione tenetur: spei soliditate roboratur, de vicina morte trepidat, sed de triumpho exultat. Quia cùm sciat ad regnum transitum non esse, nisi per passionem, & gaudens metuit, & metuens gaudet. Sicut qui nouit salutem in potione amara esse, timet amaritudinem, sed libens bibit, vt salutem assequatur. Est enim homo interior & exterior: licèt ergò exterior trepidet, interior exultat. Rectè ergo CHRISTVS Dux ait: *Non turbetur cor vestrum.* Licèt enim appetitus timore corripiatur; cor tamen, spiritus, & mens gaudet & sperat. Nouit enim iustus tentationem vtilem esse: quia multos diuturna pax inertes reddidit, quos facilè hostis superat: ideò tentatione exerceri desiderant; quia tanto robustiùs gratiã custodiunt, quanto tentatione concussi infirmitatẽ suam humiliùs agnoscunt. Sicut qui ait: Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego

spe-

sperabo. Non ergò turbatur tunc cor iusti, sed solidatur.

Sed operæpretium erit nosse doctrinæ huius, exhortationisque præconem dignissimum solùm esse Christum. Ille iure ac meritò nobis dicere potest: *Non turbetur cor vestrum*, etiamsi passiones immineant; cùm tanta vos maneat merces, in mansionibus, quę sunt in domo patris mei. Hæc verò prædicatio ad Christum spectat non solum quòd ille dux noster sit, sed simul & viator & comprehensor. Tanquam viator experitur dolores ac passiones, & certamina mundi huius; tanquam comprehensor videt mansiones cælestes, & quæ nos expectat gloriam, Deique visionem. Ideò qui vtrunq; vidit, ea conferre inter sese valet. Nec enim dicere potest, nes-
Isaiæ 35. cit dolores nostros; *quia vir est dolorum*: nec verò quod ignoret ea; quia mansiones videt. Ille ergò doctrinæ huius præcipuus est prædicator; ille dicere valet: *Non turbe-*
Apoc. 1. *tur cor vestrum*: quoniam *testis fidelis Christus, qui est in sinu*
Ioan. 1. *patris*. Ideoque *aspicientes in authorem fidei, & consummato-*
Hebr. 12. *rem IESVM*, qui sic in terra conuersatus est, vt vnum pedem hic in terra figens, alterum in cælo posuerit, taliter in terra conuersemur, vt vnum in cælo pedem ponamus per cōsiderationem & conuersationem; vt cum
Philip. 3. Paulo dicamus: *nostra conuersatio in cælis est*: & cum Psal.
Psalm. 121. *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem*. Sic enim
Psal. 93. non turbabitur cor nostrum. & si *motus fuerit pes*, qui in terra est, *Misericordia Domini adiuuet nos*. Contra verò peccator facit; qui duos pedes cùm habeat, alterum verò in inferno posuit per culpam, qua æternam commeritus est pœnam. Duo tibi pedes sunt, ô homo! primum pro volūtate tua ponere potes, vbi libuerit, vel in cælo cum
Psal. 29. Christo, vel in inferno cum diabolo. Alter pes in manu Dei est, non in tua potestate: *vita enim in Dei voluntate est*; qua finita, vtroque pede in inferno eris. Auerte ergò primum pedem à semitis impiorum; quia descendunt
Prou. 5. vsque ad inferos. Hinc Sap. *de meretrice: pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant*. Culpa & pæna duo pedes sunt, quibus damnatus in inferno est. Si culpam admittis, vnum pedem in inferno posuisti: & id in tua voluntate fuit: vt alterum ponas in inferno pedem per pœnam, in Dei potestate est. In Deum verò

peccas,

peccas, in cuius potestate est animam tuam mittere in gehennam? quid stultius, quid dementius?

Præceperat Christus suis non turbari: illi verò in cordibus dicebant suis, quomodo non turbari nos possumus, cùm tu dux noster recedas, & soli relinquamur? Potentissimas igitur rationes cælestis magister eis proponit, vt omninò non turbentur: quarum illa prior est. Creditis in Deum & in me credite. q. d. quia me vt hominem consideratis, & vos orphanos relinqui creditis, tollite oculos in diuina; & sicut in Deum creditis, ita in me credite; quia ego Deus sum: & licèt secundùm præsentiam humanitatis vos deseram, vt Deus tamen vobis adero.

Sed quid fides homini præstat, ne in malis turbetur? multum certè Facile forsan homini erit, plures diuitias aut honores non quærere: difficile verò est eum non turbari; cùm ea, quæ possidet, amittit Sed hoc difficile fides magna facilè præstat. Sed quomodo turbationem pellit à corde? Certè quoniam illuminat: tenebræ enim timorem incutiunt: lux verò eum tollit; quia quid quęque res sit, ostendit Fides docet omnia temporalia nihil esse, & ideò mala non esse, nec timenda. Vmbra & somnia sunt temporalia incommoda: quare *vanè conturbatur omnis homo.* Deindè fides docet Christum nobis semper adesse, vt Deus est: nihil nobis accidere posse, nisi eo disponente: nec enim passer aut folium cadit absque illius voluntate: & ideo dic. *Deus noster refugium & virtus.* Psalm. 38. Matth. 10. Psal. 90. & 45.

Sed obijcis: Ego fidem habeo, & tamen turbor? Turbaris quidem, vel quia fides tua mortua est: nec fax mortua timorem pellit, sed ardens: vel quia tibi parua fides est; sicut ille qui videns ventum validum timuit, cui dicitur: *modicæ fidei quare dubitasti?* Ideo orandum tibi cum Apostolis est: *Domine adauge nobis fidem* vel quia fidei lumine non vteris, sed *illam sub modio ponis,* vt non luceat. Cùm enim ea quæ fides docet, non consideras, fide non vteris; ea ergò mente tracta, & omnem turbationem facilè pelles. Luc. 17. Luc. 11.

Deindè cùm ait: *Creditis in Deum & in me credite,* non fidem, qua Deo reuelanti credimus, solummodo significauit, sed spem ac fiduciam in Deum, quæ etiam fides sæpe dicitur, intellexit. Huiusmodi firmissima in Deum

spes

ſpes eſt, veluti anchora, qua nauis tenetur, ne procella eam huc illucque diſpergat. Cùm ergò tempeſtates maximas, tentationes graues, oriri perſpexeris, quibuſcum
Pſalm. 43. pugnare debeas, dic cum Pſal. *Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me; ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui.* Non igitur timebis hoſtes tuos, quia *Dominus Deus tuus tecum eſt.* Quæ eſt enim potentia, quam timeas, ſi pro te pugnat omnipotentia? Sed adijcit Chriſtus. *In me* ſpeciali quadam ratione ſperate, qui vobis ſingularia dilectionis ſigna exhibui, de quibus dubitari nullo modo poſſit. Quis dubitet de dilectione illius, qui pro eo vitam dedit? Trepidanti nautæ in horribili tempeſtate, dixit Iulius Cæſar: Ne timeas; Cæſarem enim & eius fortunam tecum defers: licèt mare ſęuiat, confide in Chriſto, quem geſtas: & ſicut ille in ſe vicit, vincet & in te.

Proſequitur conſolationem ſuam Ieſus: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Senſus eſt: Si vobis manſiones non eſſent in domo patris mei, non vos deciperem vanis promiſſis, ſed vobis dixiſſem: cùm hæc ſit cauſa diſceſſus mei. Manſiones verò parare dicitur; tum quia cæli ianuam aperuit: tum etiam quia aſcendit, vt mitteret Spiritum ſanctum, quo ipſi digni redderentur manſionibus. Duplex conſolatio Chriſti diſcipulis his verbis datur. Prior eſt poſſeſſio regni cæleſtis, quod Chriſti diſceſſu, & virili pugna conſequentur. Poſterior, quòd
1. Theſſ. 4. iterum veniet, & accipiet nos ad ſeipſum, & *ſic ſemper cum Domino erimus.* Si noſſe vis, quæ tibi ſint ſpolia, ſi viriliter decertaueris, audi, *Manſiones multæ in domo patris mei ſunt.* Viriliter certantibus viſio, poſſeſſio, ac fruitio Dei merces eſt tua; gloria Angelorum gloria tua erit, imò Dei gloria tua erit. Potuitné maior merces homini proponi? maior theſaurus? maior honor quàm Dei poſſeſſio? In Indis verſatur Hiſpanus; & cum ibi diues ſit, Hiſpaniam ſuſpirat: quomodo nos patriam domum non optabimus?

Sed quomodo in domo vna manſiones multæ? Certè vna eſt domus, vnus denarius; quia vnum eſt obiectum beatitudinis. Sed nihilominus plures manſiones ſunt: quia licèt eundem Deum omnes videant, eoq; fruantur; ſed quiſque pro merito. Sicut idem cib. deguſtatur
pro

pro gustus varietate ac famis : & *sicut stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorũ*, licèt omnes iusti sint in eodem cælo. Ideò curandum nobis est, vt potiorem capiamus mansionẽ Secunda verò consolatio est, quod ipsius absentia nõ perpetua esset: quia inquit: *Iterum veniam*. Recedere videtur Deus à iusto, cum eum deserit, nec consolatur: non propterea turbari debet; iterum enim venit. *Quia post tempestatem tranquillum faciet, & post lachrymas exultationem infundet.*

Pergit adhuc discipulos consolari, & ideo ait: Et quo ego vado scitis, & viam scitis : non qua ego vado, sed qua vos ad me peruenire possitis : quod maximũ est solatium. Thomas verò ait: *Domine nescimus, quo vadis; & quomodo possumus viam scire*? Hæc verba pugnare videntur cum verbis Christi: sed non pugnant: vel quia habitu sciebant; non tamen actu: quia eorum turbatio memoriam ac considerationem tollebat: vel quia scire poterant & debuerant. Respondit itaque Iesus. *1. Cor. 15.*

Ego sum Via, Veritas, & Vita. Non ad verba Thomæ solùm respondet, sed & ad animos discipulorum : non enim confirmati satis erant in promissione illa, *Veniam ad vos*. Ideò declarat viam, & confirmat promissionem. *Ego*, inquit, *sum Via*, per cuius fidem & virtutũ imitationem oportet venire. *Egò sum veritas*, & ideo quæ promisi faciam. Ego sum Vita, qui vos licèt moriamini, reuocare in vitam possum, vt vos mecum assumam, cum venero. Rectè *via* Christus est, quia per Christum fit transitus à peccato in iustitiam, & à iustitia in gloriam, nempe fide ipsius, & obedientia mandatorum eius.

Denique rudes discipulorum animos arguit dicens: *Tanto tempore vobiscum sum*. &c. Multis annis in schola Christi fuimus, nec profecimus. Sanctificandi profectò essemus vna concione, vna oratione, & tamen proficimus nihil. Quis verò Philippi & Iacobi profectus loquatur? Philippus Scythas ad Christum adduxit, & in Phrygia cruci affixus lapidibus obrutus est. Iacobus Christi frater dictus, corpore & animo Christo persimilis, ab incunte ætate sanctus, lapidibus primum appetitus, & præcipitatus, fullonis fuste percusso capite occisus est, &c.

Beda in Martyr. Hier. in catal. de scri. Eccles & in Gal. 1. Egesip. lib. 5. histor. Euseb. lib. 2. cap. 22. Niceph. li. 2. cap. 38. Ioseph. l 20. Ant. ca. 16.

IN FESTO INVENTIONIS S. Crucis.

THEMA: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis,&c.* Ioan. 3.

Militibus vniuersis necessarium est signum, quo ab alijs discernantur. Qui ergò Christo militant signandi erant signo Christi. Hæc verò Crux est, qua signamur in Baptismo in capite, pectore, & scapulis, vt milites Christi simus. Hoc verò signũ olim expressum fuit, quasi signum salutis & vitæ. Et quia signum aliud liberationis non nouimus, præter Crucem, quæ immanitatem & securitatem daret, putant aliqui Doctores positum fuisse in Cain, de quo Moyses: *Posuit verò Deus signum in Cain.* De hoc signo præcepit Dominus vt nulli parceretur, qui non *haberet signum Tau*: quæ litera (teste Hieronymo) crucis habuit similitudinem, quæ in Christianorum frontibus iam pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur. Crucem quoque aiunt esse signum, de quo dicit Angelus in Apoc. *quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Signum ergo liberationis crux est. Et hoc dicunt aliqui fuisse signum, quod super postes domorum Israëlitæ fecerunt ex sanguine Agni, vt Angelus percussor eorum primogenita non tangeret. Et hac Cruce benedixisse creditur Christus suos in cælum abiens. Vnde mos relictus est in Ecclesia, vt omnis benedictio Cruce efficiatur. Crux Christi illa est arca Noe nos saluans ex diluuio. Hæc est Virga Moysis, in qua mira fiunt. Hæc Virga Aaron, quæ sicca cùm esset refloruit. Hæc virga est Angeli, qua tetigit sacrificium Gedeonis, vt ab igne absumeretur. Hæc lignum est dulcorans amaras aquas, & faciens enatare ferrum: quia Deo immisso in aquas tribulationum homo exaltatus est, qui ceciderit. Hæc altare holocausti, in quo oblatum est sacrificium pacis & reconciliationis. Hoc lignum, in quo exaltatus est Serpens in deserto, de quo

Gene. 4. *Ezech. 9.* *Apoc. 7.* *Hier. in Ezech. 9.* *In Eph. 3.* *Epist. 118 ad Fabiol. 7 ad Læt. 22 ad Eustoch.* *Ribera in c. 7. Apoc.* *Exod. 12.* *Actor. 1.* *Gene. 6.* *Exod. 7. 14.* *Num. 17.* *Iud. 6.* *4. Reg. 6.* *Exod. 15.* *Exod. 27.* *Nume. 11.*

quo hodiè Christus. Euangelij iam literam difficilem breuiter explicemus.

Dixerat Ioannes superiori cap. *Iesus non credebat semetipsum eis*, & statim subiungit: *Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, &c.* Nicodemus erat ex ijs, qui crediderũt in Iesum: & licèt alijs se non crederet; huic tamẽ se credidit, & secreta reuelauit. Dicit eum *Pharisæum* & Principem. Pharisæi genus hominũ erat propter sanctitatis & veræ doctrinæ, & arctioris obseruantiæ opinionem inter Iudæos in honore habitũ. Potissimum verò Christi inimici. Dicitur verò *Princeps*, vel quia publicã aliquã gerebat administrationẽ: vel propter nobilitatẽ & opulentiam; quia caput erat alicuius familię. *Venit ad IESVM*, vt ab eo disceret viam vitę; *venerat* .n., *qui docebat iustitiam* Sed *nocte* accessit: quia imperfectus erat: timebat verò Iudæos, qui iam inuidia maxima in Christum laborabant. Sic etiã Gedeon nocte confregit statuam Baal, propter metum ciuium suorum. *Oseæ 2.* *Cyrill lib. 2. cap. 38. in Ioan.* *Iudit. 6.*

Et dixit ei, Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister, id est, missus à Deo es, vt doceas veritatem, tanquam verus Propheta Non amplius tunc nouerat Nicodemus; quia imperfectus fide erat. Sed certũ est venisse à Deo magistrum; quia à patre procedens in se *omnes thesauros scientiæ & sapientiæ Patris reconditos* habebat; imò ipse est sapientia patris infinita. Et ideò venit à Deo magister, quia gradũ ab eo accepit in instanti Conceptionis; & doctrina eius non humana est, sed cælestis & diuina; qualem nemo huius sæculi principũ cognouit. Dicit verò Nicodemus se hoc scire, *quia nemo potest hæc signa facere, nisi esset Deus cum eo* Certè si attendisset miracula, dixisset, *nisi Deus esset*: sed initio prædicationis hanc confessionem licèt imperfectam de Christo facere laudabile fuit. *Coloss. 2.* *1. Cor. 1.* *Hier in Mat. 6. & ep. 137. ad Marcellã.*

Respondit Iesus, & dixit ei Amen, amen dico tibi: nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnũ Dei. Illud *Amen*, significat certè: & cùm duplicatur, est idẽ ac infallibiliter. Subindicatur aũt in Christi responsione, Nicodemum interrogasse, qua ratione in regnum Dei venire posset. Ad quem Christus ait, necessariam esse nouam natiuitatẽ, qua nouum esse acquireret, vt in cælestem beatitudinẽ perueniat, quam intelligit per Dei regnũ: *Tolet. in Ioan 3.* *Cyrill. lib 2. in Ioan. c. 4.* *Aug libr. de pecc mer. & remiss.*

Cypr. ep. 72. li. 2. epist. 1. ad Steph. vel intelligit Ecclesiam Christi, quam nullus ingreditur, nisi nascatur denuo per baptismum. 1. enim natus homo est ex Adam filius iræ: & ideò oportet vt alia natiuitate acquirat esse diuinum Non intellexit Nicodemus hanc spiritualem natiuitatē, sed putauit carnalem esse, & ideò ait: *Quomodo potest homo renasci* &c. Ad quem Christus tanquā Deus, & vt homo potestate excellentia vsus ait. *Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Baptismum instituit nouæ legis sacramentum ad salutem necessarium. Baptismus verò dicitur regeneratio, quia generat filios Dei, & vltra id ianuam cæli aperiat. Et sicut in naturali generatione generatio vni⁹ est corruptio alterius: ita in Baptismo nascitur filius

Rom. 6. Dei; moritur verò vetus homo Hinc Paul Baptismum

Coloss. 2. dicit esse mortem & generationem. Mortem aūt suam

Luc. 12. Christus baptismum appellauit. Dicitur verò mors ba-

Matth. 20. ptismus, 1. quia in cruce proprio sanguine erat abluen-

Marc. 10. dus. 2. quia mors fuit illi velut mortalitatis ablutio, &

Ioan. 21. ad vitam cælestem purgatio: ad cuius imitationē nos baptizamur, cùm regeneramur in ipso. Et cùm nos baptizamur, crucifigimur cum Christo. Si autem crucifixus in baptismo homo est, si peccato mortuus,

Rom. 6. quomodo adhuc viuet in illo?

Explicat Dominus hanc generationem spiritualem per principium. *Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est spiritu, spiritus est*, &c. quasi dicat: Non est incredibile, quod dixi, *oportet vos nasci denuo*: non enim de carnali natiuitate dixi, sed de spirituali, qua homo ex diuino spiritu nascitur; fitq́ homo spiritualis, nouum esse gratiæ accipiens. Sicut ergò à carne caro producitur, ita à diuino spiritu esse spirituale ac diuinū. Hanc autē generationem hominis spiritualē, qua Dei filius efficitur, rectè mirari possumus: quia oēm excedit hominis captum. Et ideò nocte Christus baptismū ostendit, quia nulla humana lux illum attingit. Quinq; sunt generationes Christi, & vniuersæ illæ mirabiles. 1. est generatio æterna, & inenarrabilis. 2. eius generatio ex vtero Mariæ, quæ est ineffabilis & nocte facta. 3. generatio est Christi resurrectio admirabilis, & nocte etiam facta. 4. Christi productio in Eucharistia, mirabilis

planè

planè res,& in nocte instituta. 5. est productio Christi in homine spiritualiter per gratiam baptismi: mirabilis certè, qua ex filio iræ filius Dei & hæres regni constituitur: & ideò nocte tradita Fide ergò nobis tenenda est & admiranda.

Vt verò eam Christus explicet, ait: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis.* &c. Multi Doctores hanc similitudinem explicant esse inter Spiritum S. & natum ex spiritu. Tria enim habet spiritus diuinus, in quibus ei assimilatur homo spiritualis. 1. *quòd spiritus vbi vult spirat*, liber enim est, quia Dominus est: ita qui natus est ex spiritu liber est, nõ seruus. Liber quidẽ à lege Moysi, & lege morali (non quòd eam non impleat, sed facile implet, nec legis seruitute premitur, vt ille, qui gratia caret) liber à seruitute peccati & diaboli, deniq; liber à seruitute corruptionis. 2. *Spiritus vocem audis*, cùm audis loquentes eos, in quibus spiritus loquitur, sed spiritum non vides: Ita opera exteriora iusta, quæ iustus operatur, vides, sed spiritũ eius non vides. 3. nescis, vnde venit aut quo vadat spiritus, id est, vias & cõsilia spiritus nescis. Ita opera iustorũ patent omnibus, at cogitationes, fines, desideria latent mundo. Quidam intelligunt, vt hic spiritus pro vento accipiatur. q. d. Miraris valdè generationem spritualẽ, & ideò incredibilem putas, sed non ita est Si enim venti vias non agnoscis, cùm tamen sint; quid mirum si non assequaris vias spiritus diuini. Vides enim eum, qui natus est ex spiritũ mutatum, audis verba eius diuersa ab alijs, vides illius opera bona; sed vnde processerit illa mutatio, nescis, vel quo tendat. Videtur aqua & verba Baptismi, sed Spiritus sanctus, qui est principium generationis, & beatitudo, quæ est finis, non videntur.

Hier. epist. 150. ad Hedib. q. 9.
Aug. tract. 12. in Ioan.
Ambr. lib. 2. de fide ca. 3.
Gregor lib. 26 mor. c. 13.
Hilar. lib. 2. de Trin.
Rom. 6.
Rom. 8.
1. Cor. 2.
Dionys. de cæl. hierar. cap. 15.
Chrys. hom. 25. in Ioã. 3.
Cyrill. lib. 2. ca. 49 in Ioan. 3.
August. in q. vet. & noui testam. c. 59.

Miratur adhuc Nicodemus, & ait: *Quomodo possunt hæc fieri?* Ad quem IESVS: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Vitio datur magistro legis, quòd hæc ignoret: quia in lege de hac futura regeneratione multæ figuræ præcesserant, & vaticinia Prophetarũ *Quòd scimus, loquimur*, &c. id est, testis oculatus sum eorũ, quę dico; non audita loquor, vt Prophetæ; sed visa, ideo testimonium meum accipiendum est. *Si terrena dixi vobis*, &c. Per terrena aiunt Chrysost. & Cyrill. intelligi

Chryſ. hom. 24. in Ioã. 3. Cyrill. lib. 2. ca. 49 in Ioan. 3.

ſpiritualem hominis generationem: per cæleſtia verò verbi Dei proceſſionem, cuius comparatione prior generatio terrena eſt. q. d. Si minora non creditis, quomodo maiora credetis? *Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit*, &c. Dixerat, *quomodo cæleſtia* credetis, nunc ait, & illa quidem credi mihi oportet; quia nullus ſic ea valet enarrare, vt ego: quia nemo aſcendit in cælum vt ea videat niſi ego, qui eram in cælo, & deſcendi, vt vos docerem; credite ergò mihi.

Iſaiæ 12. Pſalm. 79. Ruffin lib. 1. hiſtor. Eccl. cap. 7. 8. Socrat. lib. 1. cap. 17. Theod. lib. 1. cap. 18. Zozom. libr. 2. cap 1. Euſeb. libr. 1. de vita Conſtãtini c. 22. & hiſt. Eccl. lib. 9 ca. 8. Niceph. li. 8. ca. 29. 32. Hiero ep. 13. ad Paulin.

Et ſicut Moyſes exultauit ſerpentem in deſerto, &c. q. d. Non ſolùm mihi credere debetis, & in me, quia de cælo ſum, ſed quia, ſi in me non credatis, peribitis. Quia ſicut illi ſanati ſunt, qui reſpexerunt æneum ſerpentem; ita nunc illi ſalui fient, qui in me crediderint fide viua. Simul rationem præbet, vt ei credatur, & credenda docet, paſſionem ſcilicet ſuam, quam hoc myſterio Deus prætendit ſignificare. A dinuentio mirabilis Dei fuit, cùm exaltari voluit in cruce, & ideò hodiè cum gaudio Eccleſia celebrat Inuentionem Crucis, quam Helena requiſiuit.

Cur inuento ligno crucis gaudeat Eccleſia.

Iure verò inuento hoc ligno, lætatur & Cruce gaudet Eccleſia, atque gloriatur: Duo enim ſunt, quæ maximum homini gaudium parere poſſunt. 1. ſi nouerit ſe à Deo diligi. 2. ſi ſpem maximam concipiat æternæ beatitudinis conſequendæ. Vtrunque autem in cruce maximè inuenit. 1. in Cruce eam dilectionem maximè oſtendit, quando hominem traxit ad ſe, & blanditijs deliniuit: tunc diuinus amor, qui latebat, patuit; tunc diuina bonitas enituit. Cruce igitur non eſt dehoneſtatus Chriſtus, ſed glorificatus. Ipſe crucem ſummè honorauit, cùm eum oſtendit ſummè bonum, ſummè amantem. Maior Deo gloria reſultat ex Cruce, quàm ex totius mundi fabrica: quia in omnibus alijs operibus non eam oſtendit bonitatem ac charitatem, quam in cruce. Ex quibus alia ratio gaudij

1\. *Gloria maior in cruce, quam in mũdi creatione. Rom. 5.*

colligi poteſt ex cruce; quia in ea homo diuinam bonitatem videt immenſam; & gaudet iuſtus de Dei bonis, quia in Deo ſunt, ſicut amic⁹ de bonis amici. Sicut autem vt potentiam ſuam oſtenderet, mirabilia operatus eſt: ita vt bonitatem ſuam notam faceret, mirabilia operari debuit. At id in creatione factum non fuerat:

diuina

diuina enim bonitate conſiderata, mirabile non eſt ſi ſe creaturis communicet; cùm id ſolo verbo faceret: At in cruce hanc oſtendit bonitatem,& diuitias miſericordiæ ſuæ.

Altera gaudendi ratio eſt, cùm ſpem magnam concipit bonorum. Duo nobis optare poſſumus ac ſperare, bona in hac vita tum corpori tum animæ, & bona æterna in alio ſeculo. Vtraque in Chriſto habemus. Quomodo bona temporalia homo non ſperet ab eo, qui vitam dedit & ſanguinem? Quomodo gratiam, peccati remiſſionem non ſperet ab eo, qui ideò in cruce mortuus eſt, vt ea omnia nobis acquireret? Accede, ô homo, ad hanc vitæ arborem, vt ab ira Dei fugias. Et tandem ſpes gloriæ immenſæ in Cruce eſt: immenſæ inquam; quia non poſſunt bona illa immenſa non eſſe, pro quibus filij ſanguinem Pater poſtulauit. Sed quam certum eſt, velle illa nobis dare eum, qui ſanguinem fudit, vt eam obtineremus? Hinc Paulus argumentatur. *Si cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus per mortem filij eius, multò magis nunc ſalui erimus ab ira per ipſum*. Omnis verò materia gaudij in cruce eſt.

2. *Duo nobis ſperanda.*

3.

A minori ad maius.

Rom. 5.

Sicut verò in cruce nobis gaudendum eſt, ita & in tribulationibus, quæ Crux noſtra ſunt, gaudere nos oportet: quia diuini in nos amoris ſignum eſt, & cæleſtis gloriæ pignus, quibus ſpes noſtra maximè roboratur: quia quem *diligit pater corripit*: &, *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, &c.*

Prou. 3.
Hebr. 12.
Rom. 8.
Epheſ. 1.
Rom. 5.

IN FESTO S. IOANNIS ante portam Latinam.

THEMA: *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20.

CVM calicem ſuum bibendum à diſcipulis dilectis Chriſtus ait, ingens eis promiſit beneficiũ; & maius, quàm illud erat, quod ipſi petebant.

Chrys. hom. 66. in Matt. 20. & serm. 8. in Ephe. 4.

Nihil enim in hac vita æquari potest passioni, quæ pro Deo & eius dilectione suscipitur. Honestius enim & gloriosius est Dei causa pati, quàm ad eius sedere dexteram.

Psalm. 144. Hier. lib. 1. contr. Iouin. & in Matt. 20.

Cùm verò *fidelis Dominus sit in omnibus verbis suis*, hodie promissionē hanc Ioanni dilecto factam impleuit: cùm Domitiani iussu in feruentis olei dolium missus est: vnde tamen purior, & vegetior euasit, quàm intrauerat, *& renouata est velut Aquilæ iuuentus eius*, vt in longa viueret tempora. In eo verò dolio calicem Christi bibit; vitā enim pro Christo exposuit: quam licèt Deus miraculo seruauerit, ipsi tamen martyrij corona non defuit. Martyr enim ille censendus est, qui eousque patitur, vt vitam profundat, licèt eam Deus miraculo conseruet.

Tertull. l. de præsc. hæred. Psalm. 102. Ioannes calicem Domini quomodo biberit.

Oleum feruens quid significet. Eccl. 9. Orig. hom. 8. 10. 12. 13. 16. In Leuit. Prou. 22. Psalm. 44. Oleum lætitiæ. Cognitio diuinorū magnam adferi voluptatem.

Sed mysteriō non vacat, quod eius martyrium fuerit oleum feruens, quo immersus est. Eo enim significatur interior olei vnctio, qua à Deo mirabiliter inunctus fuit. de quo Sap. *Oleum de capite tuo non deficiat.* Oleū significat sapientiā & veritatis doctrinā: quia oleum nutrimentum lucis est. Oleum ergò in capite iusti esse debet; quia notitia & cognitio veritatis ei necessaria semper est. Ideò Sap. *Oleum in habitaculo iusti*, siue sapientis. Hoc verò *oleum lætitiæ* dicitur: quia licèt omnis veritatis cognitio lumen sit, & oleum dici possit, tamen oleum lætitiæ sola cognitio fidei dicitur, qua nobis diuina traduntur. Vniuersa Philosophorum scripta aliquam adferunt cognitionem; sed oleū lætitiæ non habent: non enim animam lætificat illa sapientia. At verò diuinorū cognitio maximam animæ voluptatē adfert; & ideò Euangelium dicitur, id est, bonum & lætificans nuntiū. Certè *oleum hoc lætificat cor hominis*. Hoc oleo sapientiæ inunctus est Ioannes super oēs homines puros: illi enim Deus secreta sua reuelauit. Et sicut nunc in feruentis olei dolium missus est corpore, ita eius animus in aliud vas olei feruentis missus est, vbi oleo hoc inunctus est copiosè. Hoc vas fuit Christi pectus, in quo *in cæna recubuit*, vbi mysteria diuina agnouit. Christus in pectore est patris, Ioānes in pectore est Christi Christus sapientia est patris, Ioānes à Christo sapientiam maximam participauit. Quis enim vt

Ioannis animus oleo immersus.

Ioan. 21.

Ioannes diuina secreta nouit? quis sic mysteria Trinitatis penetrauit? *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit* Sed quæ fuit in Ioanne dispositio, vt tantam acciperet gratiã? Certè Virgo fuit mēte, & corpore. 1. Qui purus est animo & corpore, aptus est diuinæ sapientiæ percipiendæ: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* Sicut amicus amico secreta reuelat, ita Christus Ioanni tanquam amicissimo, quem præcipuo amore diligebat. Sicut ergò Christus oleo lætitiæ inunctus est præ participibus; ita Ioannes hoc sapientiæ oleum super Apostolos participauit.

Ioan. 1. *Ioannis dispositio.* *Matth. 5.* Simile.

II. Oleum charitatem significat; quia sicut oleum supernatat cæteris liquoribus, ita charitas omnibus virtutibus. *Maior enim est horum charitas*, quæ reliquis tribuit vitam & pretium; sine qua reliqua nihil prosunt. Hæc verò charitas abundantiùs diffusa est in Ioãnem; ideò oleo hodiè exterius decoquitur, vt interior vnctio ostendatur. Hæc autem charitas in Ioanne apparuit. 1. quia *discipulus est*, quem diligebat Iesus. *Ego*, ait Sapientia, *diligentes me diligo*. Diligit ille nos, & dilectione sua trahit nos ad se, vt sit amor reciprocus, & eum nos diligamus. Cùm ergò Ioannes super omnes Apostolos dilectus sit à Christo, ipse vicissim Christũ super omnes dilexit: quam præcipuam dilectionem ostendit, dum cruci astitit omnibus Apostolis fugientibus. 2. eadem charitas enituit in eo, quòd vt nimium diligenti, virgo Maria ei in cruce commendata fuit. Tunc similis fuit Christus duci, qui victoria parta militibus spolia distribuit: dedit tunc Latroni veniã, peccatoribus merita sua, & Ioanni Mariã, præclarum certè munus. Et hoc oleum charitatis sibi infusum ostendit ipse tum epistolis suis, tum prædicatione, qua nihil præter charitatem resonabat.

Oleum charitatis. *1. Cor. 13.* *Charitas Ioannis summa* *Prou. 8.* *Hier. in Gal. 6.*

Sed cùm in Euangelio Christus negare videtur concessum in regno suo ad dexteram, vel sinistram? nam inquit: *non est meum dare vobis*. Apparet id negatum esse à Christo, sed reuera cõcessum est, licèt obscurè Id nũc in Ioãne videamus impletum Christi regnum duplex est: primum quo in Cruce regnauit: 2. quo in cælis regnat. Vt enim Dauid geminum habuit principatum; primum cùm Saulem fugiens afflictus venit; alterum

Quomodo præcipuam dilectionem Christus Ioanni ostēdit. Allegoria. *1 Reg. 22.* *2. Reg. 5.*

cùm regnare cæpit in Ierusalem : ita duplex regnum habuit Christus. Primum in hac mortali vita, princeps factus afflictorum, quos ad se vocat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Thronus verò huius regni Crux fuit. vnde Psalm. prædixerat: Dicite in nationibus, *quia Dominus regnauit à ligno*. Et ideò in cruce positus est titulus: *IESVS Nazarenus rex Iudæorum*. Secundum eius regnum est, quo regnat in cælis in æternum. Nemo verò in hoc secundum Christi regnum veniet, si sub primo eius regno Crucis non fuerit. In priori ergò Christi regno, quo regnauit à ligno, ad dexteram ipsius Maria est, quæ *stabat iuxta crucem IESV*. ad sinistram verò Ioannes, qui ibi etiam adfuit: & hoc est, quod respondet CHRISTVS: *Calicem quidem meum bibetis*, q.d. Petis locum mihi proximum in regno meo: dabitur quidem tibi; regnabo in cruce, bibam calicem passionis, & eum tibi propinabo; quia iuxta me eris in eo primo regno. In crucis regno tres vides personas Christum, Mariam, & Ioannem. Bibit primùm calicem Christus, de quo dixerat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* Bibit de eodem calice Maria vsque ad fæces: quia plus compassa est de Christi passione, quàm si illa pateretur: quia plus illum diligebat, quàm seipsam. Idem calix propinatur Ioanni; bibit eundem calicem, & quodammodo moritur compassione passionum Christi. Ideò posteà non moritur, & seruatus à Deo est in feruentis olei dolio: quia iam commortuus fuit Christo in cruce. Reliqui Apostoli fugerunt, nec cruci astiterunt, debuerunt verò testimonium prohibere, quòd Christum diligerent vsque ad mortem, & ideò sanguinem fuderunt: at Ioannes dedit prius testimonium hoc, assistens cruci; & ibi offerens se morti pro Christo, & commoriens ei. Vnde Ioannes seruatus nunc à morte est, & per multos annos, ne extingueretur lucerna Ecclesię; impletur ergò oleo, vt diutius viuat, & illuminet. Superuixit enim Christo 68. annis in Ecclesiæ lucernam, ad quam omnes confugiebant in omni dubio.

Matth. 11. *Psalm. 95.* *Ioan. 19.* *Matth. 26.* *Hier. in catal. Script. Eccles.*

Vidimus in Christi regno, quod est Crucis, Ioannem ad sinistram ei proximum fuisse: sed quo in loco est

in alte-

in altero Christi regno, in cælo scilicet? Sedes regni cælestis tribuũtur iuxta sedes regni Crucis: qui hic proximior Cruci est, & Christo crucifixo, in cælo proximior est throno regni Vt verò significaret Christus, quẽ locum in cælesti regno præparauerat Ioanni, cùm in pectore suo posuit & sinu. Dum verò in sinu Christi quieuit, didicit simul, quomodo cruci assistẽdum fuit: quia in dulcedine orationis discenda est nobis constãtia in tribulatione. *Ianse. c. 148. conc. Euang. Emis in fest. S. Ioan. Eua. Aug. tract. 124. in Io. 21.*

Bibit ergò Ioannes multipliciter calicem Christi: bibit enim illum multa passus: relegatus in Pathmos fuit, & nunc in dolium feruentis olei missus. Bibit etiam calicem Christi, dum ei compassus in cruce est: quo loco meruit Mariæ filius esse, quod ei nomen æternum est. Omnis quidem iustus recipit nomen æternum, quod filius Dei dicatur: & hoc nomen Ioannes cum reliquis sanctis habet in æternum: sed alio singulari *nomine æterno* insignitus est, quòd Mariæ filius sit. In tanto apud Deum pretio est, cruci assistere: ea enim de causa hoc nomine insignitus fuit. *Amb in inst. virg. c. 7. Eccl. 15. Ioannis nomen æternũ, quod sit Mariæ filius. Adhortatio.*

Sed nunc à vobis quæro, *potestis bibere calicem Christi?* poterisne, ô homo, multa pro Christo pati? Pro salute animæ tuæ poteris amaram aliquam potionem sumere? Trepidat humana infirmitas, auersatur hunc calicem. Mirandum id valdè est. Facile tibi visum est bibere calicem dæmoniorum, calicem iræ Dei, calicem mulieris Babylonicæ, plenum veneno. Hunc bibisti calicem, cum peccasti, & obstrictus ideò es, vt bibas calicem inferni. Quis hunc calicem bibere poterit? de quo Psalm. *Ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum*. Si hunc calicem bibere non vis, euomenda est potio, quam bibisti ex calice meritricis Babylonicæ: ad hoc Christi calix tibi propinatur. Calix Ioannis ex oleo est, quo euomere solet homo venenum. Poteris tu pœnitentiam agere? calice Christi hausto sanaberis. Salutaris est, bibe illum. *N.B. A contrario. Apoc. 17. Psal. 10. Oleo venenũ euomitur. Psal. 115.*

Iustis quidem tribulationis calicem propinat, & in iustis etiam, cùm eos ad iustitiam reducere disponit: cùm verò impios derelinquit, vt omninò pereant, vltiones adhibere non solet. Ideoque Dauid vitæ huius miserias *mansuetas* dicit *castigationes*; vt ex eis agnosca- *Iusti & iniusti calicem bibunt, sed diuersimode. Ps. 89 et 88. Heb. 12.*

mus iram seculi venturi durissimam : *& tanquam filijs offert se vobis Deus.* inquit Paulus. Qui iniuriatur iniustusque est, omninò est ante alios miser. Miserior autem, si iniuriarum pœnas non luat: minus verò, si luat. Cùm verò Deus hominem flagellauit, statim eius miseretur. *Nũquid cõtinebit in ira misericordias suas?* Nos ergò cum Ioanne calicem Christi bibamus, & in dolium olei feruentis ingredi curemus, curantes vt diuina sapientia & gratia in nobis sint & perseuerent. Ioannes oleo delibutus imago Christi factus est perfecta & perseuerans: eum imitare. &c.

Socrates apud Platonẽ in Georgia.

Psal.76.

FESTA IVNII.

IN FESTO S. BARNABAE APOSTOLI.

THEMA: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15.

Spiritualis ædificij lapides sunt Apostoli.

SPirituale Ecclesiæ ædificium Christus instituens, Apostolos in eius fundamenta elegit, qui sunt prætiosissimi lapides huius ædificij. Ijs verò hoc summè commendauit: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* In illis verò omnes fideles instruebat. Ideò nobis videndum, qua ratione, tum illis, tum nobis hanc dilectionem adeò commendauerit : & primùm de Apostolis & eorum successoribus dicamus.

Amor parẽtibus spiritualibus necessarius.

A simili.

Exempla.

Sicut *disponens omnia suauiter Deus* maximum amorem, eumque immensum parentibus dedit erga filios, quo omnes difficultates, & tædia superarent, quæ cum filiorum educatione coniunctæ sunt : ita in spiritualibus mundi parentibus eximius erat necessarius amor: labores enim huius educationis plurimi, difficultates superandæ immensæ. Quod in Christo, primo omnium parente videre licet, qui summis doloribus in vita & morte perpessis nos genuit & educauit, vt ei simus Benoni, id est, doloris filij Et ipse hoc ait. *Nisi granum frumenti in terram cadens mortuum fuerit, ipsum solum*

Gen 35.

solum manet. &c. Similiter Apostoli mundi parentes, quanta sustinuerunt, vt mundum Christo educarent? Audi Paul. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Erat quasi in continuo partu per multos annos, quis tantum dolorem & laborem ferre possit? Et idem, *supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos, etiam viuere.* Idem de omnibus Apostolis scribit. *Puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit.* &c. *tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc.* Et tandem: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* ô dura generatio. An non eximius ad ea necessarius amor? Ad hoc ergò Christus suos tanto voluit amore flagrare, vt dicere possent: *Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur.* Et illud: *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* Et idem. *Optabam ego ipse anathema esse fratribus meis.* quibus verbis pœnas inferni sensibiles desiderauit. Hinc colligere oportet prælatum, & omnem, qui spiritualis patris officium exercet, quanta debeat ardere charitate in suos: debet enim superare carnales patres in filiorum amore. Parati esse debent vitam profundere pro grege: nulli labori illis parcendum est, nulli substantiæ: quia *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* vitam scilicet exponens pro vobis.

Gal. 4. *2. Cor. 1.* *1. Cor. 4.* *2. Tim. 2.* *2. Cor. 12.* *Rom. 9.* *Chrys. hom. 16 in Rom. 9. lib. 1. de comp. cord. Et lib 4. de sacerd lib. 3. de prouident. Hom 3. & 10 in Gen. 50. 78. in Matt. 24.*

Licet autem singulari, quam diximus, ratione pertineat hoc præceptum ad Apostolos: tamen etiam omnibus fidelibus loquitur Christus: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Dicit autem *præceptum meum, & mandatum nouum,* non quod in lege naturæ, & scripta, non fuerit, sed hoc nouum mandatum & Christi mandatum, non esse illud solùm de dilectione proximi; quod ad omnes homines diligendos extenditur (nullus enim excluditur à præcepto hoc) sed esse mandatum de dilectione, quam Christiani inter seipsos, eò quod Christiani sunt, habere tenentur. Debemus enim Christianos diligere non tantum tanquam proximos propter Deum, sed vt Christianos sub vno capite, & vt *vnius corporis membra* propter Christũ: vt sicut Christus eos dilexit singulari quadã ratione, tanquã *mẽbra sui corporis,* eis sũmè benefaciẽs; sic fideles reli-

Amor omnibus fidelibus necessarius. *Cur nouum & Christi mandatum.* *Rom. 12.* *1. Cor. 12.*

reliquos maximè diligant, quia membra vnius sunt corporis. Hæc est dilectio illa Christiana, quæ initio Ecclesiæ viguit, cùm *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Hæc summum est fidei sacramentũ, id est signum & symbolum Christianorum. vnde Christus: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nulla enim natio, nec vnius sectæ professores ita se tenaciter dilexerunt, aut diligere debuerunt, ac Christiani nominis professores. Et hoc est Christi mandatum & nouum, non legis & naturæ. Sed attende quantam inter fideles vnionem voluit: *Fecit nos Deo nostro regnum, fecit nos ciues sanctorum, domesticos Dei, & fratres*: & quia oriri possunt inter hos iurgia, fecit nos, vnius corporis membra. Et sicut *omnia membra, vnius corporis eodem viuunt spiritu*, eodem cibo: ita nobis dedit eundem spiritum viuificantem, & corpus & sanguinem suum in cibum. Quando vnquam duo membra inter se rixantur? Tantam deniq; voluit esse charitatem, vt oret; *Pater oro, vt sint vnum, sicut ego & tu vnum sumus.* Voluit tanta nos coniunctos esse charitate, vt sit similis ei, quæ est inter diuinas personas, quæ infinita est: & tanta exterius appareat, vt ex ea mundus colligat, Deum aduenisse in mundum, qui eam effecerit. Dilectio propria & specialis virtus iustorum est: hinc Ioan *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui verò non diligit, manet in morte.* Et verè olim tanta hæc fuit dilectio, vt fratres viderẽtur omnes fideles, quos nec lingua, nec natio, nec patriæ consuetudo diuidebat. Hæc facit fideles beatos & fortissimos, sed adest eis. Et hoc priuilegium non datum est miraculis, quæ etiam à malis fieri possunt, sed dilectioni, quę solis inest bonis: *qui enim diligit fratrem, ex Deo natus est.*

[Margin: *Act.* 4. *Tertull. lib. de patien.* *Ioan.* 13. *Amor symbolum Christianorum.* *Apoc.* 5. *Eph.* 4. *Ioan.* 20. *Matt.* 28. 1. *Cor.* 12. *Ioan.* 17. *Aug. tract.* 65. *in Io.* 13. 1. *Ioan.* 3. *Chrys. hom.* 71 *in Io.* 13. 1. *Ioan* 5.]

Sicut dilexi vos: id est, sicut summa vos charitate tractaui & vitam pro vobis dedi; tales vos estote fratribus. Sed obsecro vos, fratres, vbi iam ista dilectio? Vbi viscera misericordiæ in proximo? vbi vitam aut substantiam pro ijs profundere vides? Omnia bona, quæ habes, à Deo tibi donata sunt, sed tibi pauperes constituit testamento non decies, aut centies, sed plusquàm millies; & tamen tu tua tibi seruans pauperes relin-

[Margin: *N.B.*]

quis,

quis miseros Vbi fides in Deum? Vbi obedientia Christi mandato? vbi misericordiæ viscera? Insuper tot odia inter fideles quis ferat? *Sicut dilexi vos*. Si eius dilectio nobis proponitur in exemplum, quàm facilis Christus ad ignoscendum peccatis? quantæ patientiæ in inimicos? quàm beneficus? Disce hinc illud Paul. *Donantes vobismetipsis, sicut & Dominus donauit vobis.*

Col. 3.
Eph. 2.

Modus, quo nos Christus dilexit, idē nobis proponitur.

Vt verò intelligas, quomodo nos Christus dilexerit, addit: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Declarat Christus modum, quo nos dilexit, vt nos similiter diligamus. Summa dilectio est, qua vita exponitur pro dilecto: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis; quoniam cùm peccatores essemus secundum tempus, Christus mortuus est*. Et, *Vix pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori*. Maiorem igitur tu habuisti, Domine, ponens animam pro inimicis. Quo exemplo docet Apostolos, quomodo nec vitæ illis sit parcendum, vt proximorum saluti consulant, vt exponit Ioan. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Idipsum & omnes facere monemur pro spirituali proximorum salute. Et cum dilectio proximi debeat esse propter Deum, inordinata est omnis dilectio, qua Deus offenditur: illa enim non propter Deum est.

Rom. 5.

1. Ioan. 3.

Dilectionis præmium.

Addit cælestis magister: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis*. Proponit maximum quid, quo eos alliciat ad hanc dilectionem: hoc verò est, quòd amici Dei erunt. Amicus regis maximi in pretio habetur, amicus Dei quanti erit æstimandus? *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*. Sed quis modus perueniendi ad hanc amicitiam? Nullus alius, quàm facere, quæ præcipit nobis. Nulla nobis via aperta est vt gratiam Dei consequamur, vt amici eius simus, nisi facere, quæ præcepit. *Qui diligit me sermonem meum seruabit*. &c. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini.*

Simile.
Psal. 138.
Matt. 12.
Luc. 11.
Ioan 14.
1. Reg. 15.

Seruitus duplex.

Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Exponit promissionem factam, quòd ostendet illis hanc amicitiam, vt illis gratiæ secreta reuelet. Sicut autem duplex est timor, seruilis & filialis; ita

ita & seruitus: illa excluditur, non filialis. Nobis ergo ratione status mysteria reuelantur; quia in statu Euangelij *filij sumus & amici.* Ex quo colligitur in statu Euangelij Deo inseruiendum non timore tantum, sed amore; non vt serui, sed vt amici: non quòd timor malus sit, quòd penitus excludatur: sed quia proprium legis sit timor; & proprium Euangelij amor, amicitia, filiatio, licèt aliquid sit timoris. Si solo timore duceris, & benè operaris, adhuc es sub lege; non satis tibi hoc sit, cura vt amore ducaris tanquam filius & amicus. Ne ergò dicas ad frequentandum sacramenta, non teneor sub præcepto, & ad similia; non ergo hoc agam: hoc serui est non amici, qui multa pro amico facit, ad quæ non cogitur, sed amicitia ad illud impellit.

In statu Euangelij Deo inseruiendum non timore tantum sed amore.

N.B.

Chrys. hom. 76. in Io. 15

Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. &c. *Quia* non causam sed signum dicit. Sed quomodo omnia, cùm multa non dixerit? Quia omnia dixit, quæ expediebant.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, &cæt. quasi dicat oportet vos alterutrum diligere, quia à me electi estis in præclarum munus Apostolatus, vt *fructum plurimum afferatis* in mundo: hoc verò sine mutua dilectione facere nequaquam potestis. Ideò *diligite vos inuicem; posui enim vos, vt fructum feratis, & fructus maneat.* Charitas autem est fructus noster: & de hoc nobis mandat. *Fructus enim spiritus charitas.* &c. Hunc fructum omni tempore reddere debet homo; *& erit tanquam lignum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* *Tempus* verò *suum* est omnis vita. Vnde est debitum irreddibile, quod solui nunquam potest: semper debitor manebis, licèt amplius reddas. Vnde Paul. *Nemini quicquam debeatis; nisi vt inuicem diligatis.* Ideò *charitas nunquam excidit*, nec in cælo, vt fidei & spei: quia homo imago Dei est, qui semper cognoscit, & amat: ita ergo homo semper amare debet.

Aug. tract. 87 in Io. 15

Gal. 5.

Psal. 1.

Rom. 13.

1. Cor. 13.

IN DIE S. BASILII MAGNI.

THEMA: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14.

DVrus videtur hic sermo, nec æquo animo & placido audiri potest, nisi adsit gratia, quæ amarum in dulce mutet: hanc nobis concedi petamus per Mariam.

Enumerat Paulus eos, quos sui vicarios Christus Ecclesiæ dedit, & ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* &c. Horum verò Pastorum & Doctorum Principem hodie colimus, qui tantus fuit Doctor & Pastor, vt Magni cognomentum meruerit. Qui sic fuit alienus conuersatione sua ab omnibus caducis, vt non homo, sed Angelus visus fuerit; Moysi, Eliæ, Ioanni Baptistæ, imò Paulo æqualis, & par Apostolis. Et ideò nobis Euangelium proponitur, quo omnium rerum abrenuntiatio docetur, odiumque vniuersorum, etiam animæ propriæ. *Si quis venit ad me, & non odit, &c.*

A laude D. Basilij.
Eph. 4.
Gre. Niss. in vita Basil.
Anno Dom. 369.
Cassian. coll. 3. c. 6. li. 4. c. 34. 35. instit. monast.

Sed graue nimis apparet verbum istud seculi huius dilectoribus. Sed obsecro Domine, vbi est, quod aiebas: *Iugum meum suaue, & onus leue?* quid dulcius hac promissione, quid verò durius & laboriosius, quam sui & omnium abnegatio? Sed lex Christi grauis non est: nec in illa est amaritudo vlla, sed in nobis. Sicut olim manna insuaue fuit peccatoribus, eorum vitio; ita nunc malitia peccatorum fingit grauia esse DEI mandata, *qui fingunt laborem in præcepto*. Sed qua ratione est suauitas in cruce? Sicut nihil honorabilius est, quàm iniuriam pati pro CHRISTO; nihil altius, quàm pro Christo humiliari: ita nihil dulcius, quàm pro eo pati, & omnia propter ipsum relinquere.

Basil. ser. de abdic. sec.
Lex Christi grauis nō est
Matt. 11.
Sed dulcis.
Psal. 93.
Dulce est pro Christi pati. & quare.

re. Persecutio enim promittitur tanquam præmium, dulcis ergo est. Huius rei duplex est ratio; vna ex parte hominis, altera ex parte Dei. Ex parte quidem hominis Deum diligentis efficitur Dei lex suauis, crux dulcis; quia cùm naturale sit amori, velle se ostendere amato; illis gaudet, quibus ille ostenditur. Non autem agnoscitur in bonis amicus, sed in aduersis, & in tolerantia laborum, & in renuntiatione omnium amati causa; ideò in his amor delectatur. Sed videmus in naturali amicitia; sic enim parentibus dulces sunt labores, quos filiorum causa tolerant: quid ergo mirum si idipsum amor Christi faciat? Sicut enim maxima dilectio Dei in nos tunc ostensa est, cùm pro nobis pati voluit: ita hominis dilectio in Deum tunc ostenditur præcipuè, cùm Dei causa patitur, & omnia relinquit. 2. Ex parte Dei ratio est, quòd ipse spirituali dulcedine replet eos, qui sui causa omnibus renuntiant, & crucem tolerant. Vis hoc videre? Relinque consolationes futiles ac vanas, vt Deo vaces, & intuere cor tuum, ac dices: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum.* Potiorem enim & ampliorem videbis in te consolationem, quàm reliquisti. Qui secretum hoc non nouit, crucem fugit: quam si amplecteretur, dulcedine repleretur.

Simile. — *2.* — *Psal. 76.*

Quomodo omnia odio habenda.

Vidimus legis Christi dulcedinem, nunc legem audiamus. *Si quis venit ad me, & non odit patrem.* &c. Mira sunt verba hæc. Quomodo in lege amoris & dulcedinis odium præcipitur? quomodo qui inimicos diligere præcepit, nunc parentes & propinquos odio haberi vult? vt Deus diligatur vniuersa, quæ impedimento sunt, relinquere oportet: quoniam hæc est lex vniuersalis. Cùm ergo ait, vniuersa odienda, docet vniuersa illa amputanda esse, quæ obstant, ne in Deum tendamus. Nec enim Pater odio prosequendus est, vel mater in seipsis, sed relinquendi, si Deo contrarij sint. Simul igitur odisse possumus & diligere: vt cognatione nobis coniunctos ex præcepto diuino diligamus: & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Hoc odium non ex crudelitate, sed ex charitate procedit. Ad eos, qui id præstiterunt, ait Moyses, *custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.*

Greg. hom. 30. in Euang. Luc. 14. & hom 32. Matt. 16.

Deut. 33.

Sed difficile nimium videtur, quod sequitur: *Adhuc autem & animam suam.* Quomodo enim propriam animam odisse possumus? Duplex est amor in animam; alter ordinatus, quo ei volumus gratiam, gloriam, & conuenientia ad hæc media: alter inordinatus, quo ei volumus delicias, voluptates, honores. Sic & duplex est odium: primum, quo animam nostram exspoliamus bonis cælestibus, & gratia: & sic *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Secundum odium iustum ac sanctum est, quo priuamus animam nostram delitijs immoderatis, vt *abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, iustè, ac piè viuamus,* &c. Qui ergò discipulus Christi esse vult, adhuc & animam odio prosequi debet, negans illi concupiscentias eius. Demum sic à nobis diligendus Deus est, vt, quicquid ei aduersatur, reijciamus, etiam patrem, & matrem, & vxorem, & substantiam, & vitam. Illa odit patrem, cui dicitur, *obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Vxorem nesciuit Iob, cùm eam non audiuit. Animam suam odio habuit Martyr, qui vitam fudit Christi causa. Mundum vniuersum, Reges, Impp. & vitam odio habuit Basilius, dum religionis & fidei causa ipsis restitit; nihil veritus eorum potentiam, & vitam propriam contemnens.

Ioan. 12. Aug. lib. 50. hom. hom. 37. Amor in animā duplex sic & odiū. Psal. 10. Tit. 2. Eccl. 18. Psal. 44.

Hæc præcepti sunt: consilij verò est, vniuersa relinquere, vt Deo liberius homo vacare possit, & perfectionem consequi: vt hi faciunt, qui religiosam vitam suscipiunt; exemplum secuti Apostolorum dicentium: *Ecce nos reliquimus omnia.* Qui vxorem ducit, licèt Deum super omnia diligat, tamen cordis partem vxori & filijs tribuit: *Vir enim diuisus est*, ait Paul. At qui religioni se addicit, Deo se totum tribuit, & vniuersa pro eo relinquit: *holocausta medullata* offert, cùm non corpore solùm mundum deserit, sed & corde.

Quomodo omnia relinquenda. Matt. 19. 1. Cor. 7. Psal. 65.

Addidit verò Christus. *Qui non baiulat crucem suam, & non venit post me, non potest meus esse discipulus.* Cuique propria crux à Deo data est, quam portare tenetur. Hæc verò crux plura ligna continet. 1. pœnitentiæ debitæ labores sustinere 2. labores à Deo immissos patienter tolerare, iniurias pati. 3. carnem mortificare; & 4. omnia aspera, quæ in Dei via occurrunt, subire:

Crux vnicuique propria. Anselm. lib. de mensura crucis.

eã enim omnia crucis nomine significantur. Hoc præstabat Paulus, qui ait: *Semper mortificationem Domini nostri Iesu Christi in corpore nostro circumferentes*. Vt verò crucem baiulemus libenter, præcedit nos Christus, *qui exiuit baiulans sibi crucem*: & ideò nunc ait: *Et venit post me. Si oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*; quomodo intrabis gloriam alienam, si pati nolueris?

2. Cor. 4. Gal. 5. Ioan. 19. Heb 13. Luc. 24.

Crucem baiulare quid sit.

Sed aliud est *crucem baiulare, aliud in ea crucifigi*. Crucem enim baiulare, est dolores subire pœnitentiæ, & labores, quos Deus dederit: at crucifigi, est sic coarctari, vt non moueatur homo secundum voluntatem suam, sed secundum diuinum beneplacitum. Qui ergo decreuit in nulla re, vel minima, appetitum suum sequi, sed Deo in omnibus placere, cum Christo crucifixus est, vt Paulus, qui ait: *Christo confixus sum cruci* & Petrus ait: *qui passus est in carne, desijt à peccatis*, id est, qui crucifixit carnem suam, nec peccat, nec desiderijs hominum ducitur, sed Dei voluntate. En hominem crucifixum, & mortuum peccato, de quo Paul. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum CHRISTO in Deo*.

Crucifigi cũ Christo quid sit.

Gal 2. 1. Pet. 4. Col. 3.

Traditam doctrinam duobus exemplis Christus explicat, dicens: *Quis ex vobis volens turrim ædificare*, &c. *Aut quis rex iturus*. &c. Hæ similitudines 1. omni fideli applicari possunt: 2. ijs qui perfectionem profiteri volunt. Vita spiritualis ædificium quoddam est turris altissimæ. Hoc verò ædificium virtutibus consurgit: perfecto verò ædificio Deus in homine habitat. Felix profectò homo, qui sic mentis domum Deo præparauit, vt eum hospitio digno exceperit. hunc enim habens felix est & beatus. 2. attende vitam spiritualem bellum esse perpetuum cum dæmone, mundo & carne, quibus in baptismo homò renuntiauit, & bellum indixit.

I. Simile Euangelicum.

Nunc ergo ait Christus. *Qui vult turrim ædificare, primus sedens cogitat sumptus necessarios*. &c. Sicut ad ædificandam turrim necesse est pecunias congregare; ita ad ædificandam Deo in mente domum regiam, necesse est omnibus renuntiare mei causa. Diuersi profectò sumptus, quia diuersa sunt ædificia. Qui in mundo ædificare

dificare vult, congregat diuitias: qui verò Deo, *dispersit dedit pauperibus*. Attendendum ergo fideli est, si Deum ex toto corde diligat, & an aliquid lateat in corde, quod Deo proponat. Si enim omnibus propter Deum non renũtiat, nihil proficiet, licet ædificium cœperit. Multi ergò nunc fideles sunt, qui Dei causa aliqua opera exteriora, faciliaque præstant, in quibus sibi placent, putantes se Deo gratos esse, cùm non sint: quia integrum cor Deo non dederunt. Sed ais: Hi sumptus tanti mihi non sunt. Quære, pete à Deo; considera Deum omnibus præponendum; & cor inclina, vt Deum primo in loco habeat, & omnia paratum sit pro eo contemnere.

Psal. 111.

Sumptus vitæ de comparandi.

Eodem tendit secunda belli similitudo. Qui enim cum dæmone, mundo, ac carne certaturus est, attendere debet, an possit illis occurrere cum decem millibus, cum impletione decem mandatorum; quia hostes nostri cum 20. millibus veniunt contra nos. Duplicatos milites in nos adducũt, quia duo vitia virtuti sunt opposita, quibus nos dæmon oppugnat. Attamen *plures sunt nobiscum, quàm cum illis*: Licèt enim naturalibus viribus longè nos superet dæmon, mundus, & caro; tamẽ gratia Dei armati superiores illis sumus.

2. Simile. Euangelicum.

4 Reg. 6.

Qui verò religionem ingredi vult, vt Basilius, qui dariorem monachorum viuendi modum ad regulam reduxit, pater omnium religiosorum effectus, & perfectionis antesignanus, attendat se velle turrim altissimã extruere, & domum amplissimam. Attendat ergo, an sumptus necessarios illi statui habeat; ne *mittens manũ ad aratrum, respiciat retrò, & non sit aptus regno Dei*: ne cùm *cœperit ædificare, non possit consummare*. Sicut igitur quisq; fidelium in præparatione animi debet vniuersa relinquere, cùm oportuerit: ita quî perfectionis viam aggreditur, actu omnia relinquere debet. Et hæc abrenũtiatio vniuersorum sumptus sunt, quibus perfectionis status construitur. Dicet igitur cum Paulo; *Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus sum, vt stercora, vt CHRISTVM lucrifacerem*. Si ergo ex corde renuntiat omnibus, sumptus habet. Eodem tendit similitudo belli. Hoc autem distat inter religiosum & secularem fidelem: quod religiosus pugnam init acer-

Religiosorũ scopus.

Luc. 9.

Aug. epi. 38. ad Læt.

D Tho. 2. 2. q. 189. a. 10.

Phil. 3.

Religios. & secularis differentia.

rimam cum dæmone, mundo, & carne: pactum nullum cū eis constituit; non *rogat ea, quæ pacis sunt*: nihil ei permittit, sed in omnibus resistit. At qui in seculo sunt, *rogat ea, quæ pacis sunt*: permittit enim carni, vt vxore fruatur; mundo & eius vanitati in aliquibus inseruit. Nunc ergò, ait Christus, attendere oportet eum, qui me perfectè sequi vult, an tantum habeat virium, an tam forti animo sit præditus, vt bellum indicere possit mūdo & carni, nec cum eis pacisci opus sit, cùm gratia sit stabilitus. Si debilem se agnoscat, melius erit *rogare, quæ pacis sunt*, & aliqua tributa mundo & carni dare; ne regnum gratiæ omninò amittat; quod amitteret, si religionem ingressus primam fidem ac votum irritum faceret.

Remedium imperfectionis.

Sed ais: cœpi ædificare non consideratis sumptibus, & non consummaui: bellum ingressus sum, & superatus; quodnam mihi remedium? Poteris nunc sumptus acquirere, quos non habuisti initio: poteris à Deo oratione & humilitate gratiam obtinere, qua ædificiū consummare, & cū hostibus contendere possis.

1. Cor. 4. Deus meus in te confido non erubescā neque irrideant me inimici mei. &c. Psal.

Ex his parabolis demum colligendum est, omnē fidelem, præcipuè qui religionis viam ingreditur, *spectaculum factum esse, mundo, Angelis & hominibus*, vt videant si ædificium cœptum consummet. Quod si vident non consummari, irrideāt eum. Non autem irrisus est Magnus Basilius, sed admirationi habitus. Nos ergò imitemur eum, omnibus abrenuntiantes, vt Deo vacare, eoque frui possimus. &c.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE.

Ioannis laus necessaria. Amb. in Luc. c. 1 ser trib. de nat. S. Ioan. Bapt. Rodolph. de vit. Christi c. 6. 1. part. Bern.

THEMA: *Quis putas, puer iste erit. &c.* Luc. 1.

IVstum est, ait Ambrosius, vt vocibus extollamus omnes hanc vocem Baptistam: nam hac voce nata muto patri vox restituitur, vt Deum laudet: nullus ergò mutus esse debet in laudibus Ioannis. Sed quam laudem ei tribuemus? Sit illa prior, quòd nascens Ma-

riæ manibus acceptus est: quæ, vt tanti viri natiuitati interesset, mansit in domo Zachariæ mensibus tribus. Et quem mundi Regina angelorumque domina manibus tenet; nunquid dices: *Quis putas puer iste erit?* Mater autem gratiæ quem in manibus teneat nisi filium gratiæ? Et ita se res habet: Ioannes enim sonat gratia. De gratia verò quis loquatur sine gratia? Accedamus ad gratiæ matrem, quæ audiuit, *Aue gratia plena.* *Ioannes gratia.*

Res est consideratione digna, quòd homo in montanis natus, enutriendus inter feras in deserto, adeò pauper vestitu & cibo, tamen tantæ sit maiestatis, vt eum mirentur cælum & terra. Pater æternus de eo ad Filium loquitur: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuã ante te.* Filius concionem longissimam habet ad populum de laudibus eius. Spiritus sanctus sæpe de hoc homine locutus est: Isa. 40. *Vox clamantis in deserto.* quem locum de se ipse Ioannes explicuit. Verè hic homo summæ est magnitudinis, de quo vniuersa Trinitas tam excelsa loquitur. Sed & inter spiritus cælestes Gabriel, qui Christi dixit conceptionem, huius annuntiat conceptum, natiuitatem, vitam, & cibos, & nomen, quo compellandus erat. In terra omnes quoque hunc hominem curant & reuerentur. Audiens Maria eum conceptum, cum festinatione venit, vt eum visitet Christus ad eum diuertit, vt illum sanctificet. Qui montana incolunt, eum mirantur, dicentes: *Quis putas, puer iste erit?* Nec verò solũ in natiuitate omnibus est admirationi, sed etiam in vita. Qui enim nũc dicunt: Quis putas puer iste erit? postea dicunt; *Tu quis es?* Tanta in Ioannem natum & educatum in deserto Iordanis descendit gratiæ plenitudo, vt omnes dicant; *quis hic erit? & tu quis es?* Ioannes enim mundi est admiratio & prodigium sanctitatis. *A magnitudine Ioannis.* *Mal. 4.* *Matt. 11.* *Ioan. 1.* 1.

Sed huic dubio, *Quis putas puer iste erit?* Et, *Tu quis es?* respondeat Angelus, respondeat Euangelista Ioannes, respondeat tandem Christus Dominus. Primò ergò Angelus respondeat, qui vt similis similem agnoscet. Ioannes enim est Angelus puritate. de quo Mal. *Ecce mitto Angelum meum.* In carne enim angelicam duxit vitam, purissimam in castitate, abstinentissimam in cibo; vt de eo Christus dicat: *Venit Io-* *Angeli responsum de Ioanne.* *Mal. 3.* *Bern. ser. de nat. S. Io. Bapt. & ser. 1. super miss. est.*

 annes Luc. 11.

annes neque mandacans, neque bibens. quasi esset Angelus sed nec planè se vestiens. Simillimus ergo Angelo sic ab eo prædicatur apud Lucam. Apparet Gabriel, idem qui Christum annuntiauit, vt Ioannem annuntiet: apparet in templo, in sanctis sanctorum, loco omnium summo, hora incensi, quæ erat sanctissima, à dextris altaris: miram hæc omnia redolent sanctitatem, & felicissimum nuntium.

Luc. 1. *Ioannes quomodo gratia.*

Exaudita est (ait) *deprecatio tua, & vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem*, quod sonat gratia. Sed quomodo homo gratia nuncupari potest? Certè sicut ignitum ferrum ignis dicitur,
1. licèt ferrum sit, quia ab igne possidetur: sic Ioannes
Simile. gratia dicitur, quia licèt natura homo sit, tamen ita ei gratia dominatur, vt aliud quàm gratia in eo non appareat.
2. 2. dicitur gratia, quia est Christi præco, signum gratiæ venientis, initium legis gratiæ: *quia Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem; à diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur.* Si Christum inspicias, & omnia quæ eius sunt, omnia gratiam compellabis. 1. eius aduentus pura gratia fuit. Venit etiam plenus gratia, vt nobis gratiam conferret iniustis. An non gratia multiplex gratiam dare inimico? Fuerat verò hoc tempus gratiæ valdè desideratum. Ioannes huius gratiæ certum est signum: quia *Vox clamantis in deserto.*

Isa 40.

Cùm hanc vocem mundus audierit, certò sciat aduenisse gratiam, Messiam præsentem esse. Sit ergo ei nomen Ioannes, quod gratiam sonat. Sed addit adhuc Angelus: *Erit magnus coram Domino.* Nomen hoc MAGNVS ab antiquis tributum est aliquibus propter egregia facinora. Hoc verò nomen tribuitur Ioanni, sed diuersa ratione. 1. quia iudicio cæli, non terræ, magnus est appellatus. 2. quia coram Domino. 3. quia magnus per excellentiam super omnes magnos. Multi enim magni dicuntur in regno cælorum, sed inter hos excellit Baptista tanquam omnium maximus. & *quisquis de muliere natus est, inferior est Ioanne.* Nam, vt Saluator ait; *Inter natus mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Adijcit amplius Angelus. *Et replebitur Spiritusancto adhuc ex vtero matris*

Alexander Magnus. Cōstantinus Magnus. Pōpeius Magnus. &c.

Aug ser. 2. de nat. Ioan. qui est 21. de sanct.

Matt. 11.

tris suæ. Prius renatus est Ioannes, quàm natus: prius in cælo pedem fixit, quàm in terra. Tantaque gratiæ abundantia ibi ei concessa est, tantus charitatis ardor, naturam perficiens, vt in vtero matris & CHRISTVM agnouerit, & præsentem adorauerit, in eoque exultauerit. Et sic continuò natum filium Zacharias pater alloquitur: *Et tu puer.* &c. Qui enim in vtero positus audiuit & intellexit salutationem Mariæ, natus etiam audit vocem patris ad eum loquentis.

Bern. ser. in nat. S. Ioan. Bapt.

Amb. in Luc. 1.

Iam ad Ioannis Euangelistæ de Ioanne testimonium veniamus. Cum Aquila illa grandis volasset super Cherubin vsque ad Dei verbum, descendens in terram in supremo montium cacumine quiescit in Ioanne: de quo mira perhibuit dicens. *Fuit homo missus à Deo.* Aeterni Patris Apostolus Ioannes est: qui ideo dicitur *missus à Deo*, quia Apostolus missus interpretatur. Et ita missus, vt ad hoc solùm opus conditus fuerit, *vt testimonium perhiberet de lumine.* Lux quidem *in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt*; ideo ad lucem inaccessibilem oportuit mundum duci per lucem mediam, vt sic tenebræ venire possent ad lucem veram. Ideò hic *erat lucerna ardens & lucens*; cui assuefacti mortalium oculi solem videre potuerunt. Erat Deus in mundo, erat in mundo mysterium tantum, nec agnoscebatur: *mundus eum non cognouit*: vt illud clamet, & demonstret mundo venisse redemptorem, Ioannes venit. Missus ergo CHRISTVS est, vt redimat: Ioannes, & ostendat Redemptorem; CHRISTVS in redemptionem, Ioannes in fidem redemptionis, *vt omnes crederent per illum.* Vniuersus ergo mundus fidem Baptistæ debet, debet & animæ salutem, gratiam, & bona omnia. Laborabat mundus peccati peste, cui soli occurrere potest CHRISTVS, hunc ostendit digito Ioannes dicens *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ideò ad eum pater ait: *Ad dandam scientiam saluti plebi eius in remissionem peccatorum eorum* Meritò ergò vniuersus mundus ei congratulatur, & gaudet, vt impleatur illud Angeli: *In natiuitate eius multi gaudebunt.*

Euangelistæ Ioannis testimonium de Baptista.

Ioan. 1

Ioannes Apost. Dei patris.

Ioan. 5.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Luc 1.

Matt.3. Marc.1. Luc.3. Ioan.1.& 3. Sed videamus illustre Christi testimonium. *Erat Ioannes baptizans in Iordane, accedebant ad eum plurimi, vt baptizarentur: accedit & Christus, vt se humiliet coram Ioanne.* & eum quasi magistrum veneretur, & quasi patrem spiritualem. Maxima planè & inaudita dignitas creaturæ. Quis hic homo tantus est, quem sic magnifacit Deus, vt velit pater, Christo docente & prædicante, ipsum docere, & prædicare? An non stupendum, Deum in mundum descendisse, vt doceret eum; & eodem tempore alium esse à Deo constitutum Doctorem? *Verè magnus coram Domino Ioannes*, cui se Christus humiliat, & subdit. Desiderabat mundus nosse, quis esset Messias; Ioannes enim dixerat, se non esse, sed alius, qui eorum erat medius. Pater, qui de cælo testimonium perhibuit; *hic est filius meus dilectus*, & Spiritus sanctus descendens in columbæ specie, & manens super eum testimonium perhibuit; hic sibi Ioannem adiungunt, qui de Christo testimonium perhiberet vice filij, simul cum patre & Spiritu sancto & Christo tribuat authoritatem, dicens: *Hic est, de quo dicebam vobis, &c. hic est filius Dei.* Tam verò fuit hoc testimonium efficax, vt continuò plures sequerentur Christum, quàm Ioannem: *Illum enim oportebat crescere, Ioannem autem minui.* Paranymphus hic erat, ille sponsus. En eximium Ioannis testimonium.

Christi de Ioanne testimonium.

Ioan 1. Matth. & Luc 3. Marc. & Ioan.1. Ioan.1. Ioan.3.& 4.

Sed & aliud audi non inferius. Venit Ioannes, vt homines disponeret ad Christi legem. Vnde Angelus: *Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam.* Et pater. *Præibis ante faciem Domini parare vias eius.* Venit, vt desertum mundi coleret, vt aptus esset Euangelij semini, vt disponeret exemplo suo homines carnales ad Euangelicam vitam. Quid ergò est Ioannes? Euangelicus homo, norma Euangelij, & exemplar omnis perfectionis summa. Considera in eo ardentissimam in Deum & proximos charitatem, zelum eximium, purissimam castitatem, altissimam paupertatem, omnium despectum, asperrimam pœnitentiam, castissimam vitam. Infantulus adhuc desertum petijt, & non abiecit vestimenta, quæ nondum habebat, sed pannos pueriles. O puerum mirabilem, qui quo tempore alij solent nænijs occu-

Luc.1.

Bern ser. de nat. S. Ioan. Bapt. Petr. Canis. de vit. B. Io. Bapt.

occupari, hic cęlestem & angelicam vitam aggreditur: vt vtrum Angelus humanus, an homo angelicus dicendus sit, ignoremus. O puer ipsis etiam Angelis admirandus Angelos ducere vitam à carne & terrenis alienã, mirum non est: est tamen valdè mirandũ, quòd puer, quòd infans hoc aggrediatur. Sed ô puer sanctissime, quæ admisisti peccata, vt tam asperam ducas vitam? Iam *clamat Vox* nostra suo exemplo, quod prædicatura est verbo, *Pœnitentiam agite*. O nimium delicati homines, qui plurima peccata admittentes, pænitentiam non curatis, *Vsquequo paruuli diligitis infantiam*? Videte infantem omnia terrena despicientem, crucem ferentem, se mortificantem: clamantem iam exemplo. Pili enim camelorum carpunt pretiosas vestes: locustæ superfluos & delicatos cibos, &c. In his ergò virtutibus Ioannem imitemur, &c.

Luc. 3.

Prou. 1.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM Petri & Pauli.

THEMA: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. &c.*
Matth. 16.

NArrantibus exploratoribus vidisse se in terra promissa Gigantes, *quibus comparati Israelitæ locustæ videbantur*, fleuit omnis populus ob hanc aduersariorum fortitudinem. At si cognouissent eosdem pro illis pugnaturos, animum resumerent. Ecclesia nuntiat nobis esse sanctos prægrandes in cælo, quibus nos comparati locustæ sumus, inter quos ostendit hodie nobis principes, Petrum & Paulum. Hæc nobis causa gaudij est; pro nobis enim militant, pro nobis orant iugiter. Ad hoc verò illos maximè inclinat, quòd vident Dei cor in nos versum, & in bonum nostrum paratissimum. Sed accedamus primùm ad mulierem sapientem, quæ nobis recõciliationem impetret cum rege Christo, vt Ioab fecit pro Absolone per mulierem, &c. Aue Maria.

Num. 13.
A similitudine allegorica.

2. Reg. 14.

Celebramus hodiè festum duorum hominum, qui

Apoc.11.21. Zach.4. Dionys.li de diuin nomi nib.c 3.& 7 de Eccl. hier ca.1. Apoc 11.21. Zach 4. Aug. serm 6.de verb. Dom.

præcipui fuerunt inter omnes mundi homines: duorum mineralium, è quibus prodijt omnis Ecclesiæ thesaurus: duorum luminarium cæli; luminare maius Petrus est, lucens diei, circuncisioni; & luminare minus Paulus, lucens tenebris gentium, quasi doctor earum. Duorum polorum cæli, super quos vniuersa voluitur Ecclesiastica machina. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia in conspectu Domini. Hi sunt duo filij olei: ambo enim peccatorum veniam adepti, nobis misericordię oleo pleni relicti sunt. Cùm verò horum natalem celebramus diem, etiam Ecclesiæ colimus natalem: Hi enim parentes nostri extiterunt; hi fundauerunt Ecclesiam sanguine suo: eorumque gloriosa mors fuit Ecclesiæ initium ac fundamentum.

Christus quo modo Ecclesiam fundauit.

Sed considerandum est qua ratione, quo ordine imperium suum Christus voluerit in terra stabilire, & Ecclesiam fundare Christianam. Etenim ordine omninò diuerso ab humana prudentia id fecit: successus verò fuit felicissimus; quod omnium mirabilium maximè est mirabile.

Cyrill lib 7. ca. 3. in Ioã. 10. & lib 8. ca. 4. in Ioan 11. Gene.10. Dan.2.8. Hieron.in Daniel 2. Matth.16.

Omnia regna mundi, vt Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, & deniq; omnia alia, armis, vi, potentia, effusione sanguinis inimicorum fundata sunt; quin & regnum, à Deo constitutum in Israël, eodem ordine ac via fundatum est. Post omnia regna ista venit in mundum regnum aliud, de quo Daniel ait, quod *in æternum non dissipabitur*, & cæt. Hoc regnum Ecclesia Christi est, de quo dicitur, *ædificabo Ecclesiam meam*. Est regnum æternum, quia *portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Hanc verò fundat *lapis abscissus sine manibus*, scilicet Christus absq; viri opere conceptus, & *contriuit omnia alia regna*, suum statuens, firmansque in æternum.

Militia Christi & mundi diuersa.

Est verò maximè mirandum, quo ordine illud perfecerit. Alio enim genere belli illud confecit; alia eius est militaris disciplina. Sed quæ ista? Primum omnium ille passus est multa, fudit proprium sanguinem, non inimicorum; pro inimicis orauit, eis benefecit, &c. Quibus factis docuit disciplinam aliam militarem fortiorem, & gloriosiorem, quàm faciant reliquæ;

quæ

quæ consistit in patientia ac tolerantia ad mortem, vt *per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.* Et hac via stabiliuit Christus regnum suum æternum: quod vani Astrologi solùm duraturum esse 365. annos opinabantur.

Hebr. 2.
Cypr. in tract. de vanit. idol.

Eodem verò pacto, quo dux vicit, & pugnauit, milites eius erant pugnaturi. Attende nunc diuersitatem exercituum & pugnę militum huius regni. Vt stabilirentur reliqua regna, electi sunt milites nobiles, potentes, sapientes secundum carnem, fortes; at vt Ecclesiæ regnum fundetur, elegit Christus paucos Apostolos, & hos rudes, ignobiles, impotentes, non sapientes secundum carnem, inermes: & *quæ stulta sunt huius mundi elegit Deus, & ignobilia, & contemptibilia, & ea quæ non sunt.* Hos verò, quos milites suos facit, sic instituit, vt nudi sint, *sine pera, sine calceamento, sine baculo* &, *non vos defendentes clarissimi, sed date locum iræ.* & *sicut oues occisionis.* Et tandem huius belli modus est, mori victores, sanguinem profundere. An non mira hæc pugnandi ars? Certe *noua bella elegit Dominus.* Si quis intueretur Petrum pauperem Romam ingredientem, Paulum vinctum eam intrantem; & ab eis quæreret, quo nunc properatis ô milites? si dicerent, vt Romanam arcem deijciamus; & eius imperium & Aquilas euertentes, Crucis erigamus vexillum; an non eos fatuos existimares? Et tamen ad Petri & Pauli pedes sublimis Roma prostrata fuit.

Aug. lib. 28. de ciuit. Dei ca. 54.
2. Cor. 1.
Matth. 10.
Marc. 6.
Luc. 10.
Rom. 12.
Psalm. 43.
Iudic. 5.

Sed dubitas, quis hic modus militandi? quæ hęc fortitudo? pati, mori, deijci, sanguinem fundere, an non hæc aduersa sunt fortitudini? Minimè; imò fortitudo hæc summa est. Licèt enim fortitudinis actus sit, cùm ratio postulat, inimicum aggredi, eum vincere, ac occidere: tamen præcipuus fortitudinis actus, & supremus est, mala pro virtute tolerare vsque ad mortem. Et ratio est; quia ibi maior fortitudo est, vbi periculum est maius: & sic summa est fortitudo pati vsque ad mortem. Cuius rei præclarum exemplum Titus Liuius memoriæ prodidit. Camillus Gallos è Roma expulit, iam in Capitolium ascendentes: Scæuola verò ingressus exercitum Regis Porsennæ; vt eum occi-

Pati ac mori non aduersatur fortitudini.
Tit. Liu. lib. 2 dec. & l. 5. dec. 1.
Valer. Max. lib. 3 ca 2.
Aug. lib. 5. de ciuit. d. c. 18.

occideret;sed quia errabat, manum igni apposuit coram rege,& constanter eam tenuit, donec in cinerem redigeretur: quo Rex perterritus à ciuitate recessit. Quis horum fortiori animo fuit? A Romanis iudicatum est, Scæuolam superasse animo Camillum: quia tolerantia vsus est, qua manum igne absumi permisit. Quis, obsecro, fortior, Nero qui occidit, an Petrus & Paulus, qui occisi sunt? Apostoli omnes, an tyranni? Absque dubio martyres fortissimi fuêre, qui orbem tandem superarunt moriendo. Iactet ergò Roma suos Cæsares, Camillos, Scæuolas, iactet Græcia Alexandros: at nos ostendemus Christum nostrum, patris fortitudinem, intinctum habentem vestem sanguine proprio fuso: ostendemus Apostolos, Martyres, & Virgines, fortissimos in bello factos, sanguine proprio fuso. Hanc ergò cogita tibi summam fortitudinem, pati libenter; hic est inuictus animus fortis & constans, qui pati multa mala nouit pro iustitia tuenda. O gloriosissimi Principes Ecclesiæ! ô illustrissimi duces! ô veri Christi imitatores! quot carceres sanctificâstis? quot cathenas honorâstis? quot labores tolerâstis? Quis cômemorans vestra facinora non stupeat? Fortes facti in bello nunc coronis æternis donamini. Vis tu cum Apostolis coronari? Decerta, labora sicut *bonus miles Christi IESV*. Sed quis bonus miles Christi? Qui pati nouit, sicut Christus. Si tibi corona placet, non displiceat ipsam elaborare coronam. Dulce est corona frui, sed laboriosum elaborare. Vis coronam? Labora, & elabora eam. Sed ais: Vbi nunc Nero est? Nulli deest suus Nero. Est tibi infirmitas, pauperies? &c. Ecce tuus Nero. Hæc libenter sustine, patienter tolera, & corona donaberis. Hæc est Ecclesiæ fortitudo conspicua; hæc est & tua.

Cypr. lib. de adhor. mart. & de laudibus Mart. Greg. Naziã. aduers. Iul.

Isaiæ 53.

Chrys. serm. in 8. Apost. Petr. & Paul. in Bre. Rom. citatus ab Aloysio.

1. Tim. 2.

NB.

Sed quia in Euãgelio de Petro agitur, de eo aliquid dicemus. Examinatur ille in fide: quia *hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti IESVM Christum*. Hic & in patria *hæc dicitur vita æterna*: hic quidem, quia sine hác cognitione nulli salus æterna contingit. Semper enim hæc cognitio necessaria fuit ad salutem, & omnibus iam præcepta. Cùm enim *non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri*, voluit Pater,

Ioan. 17.

Fides cur omnibus necessaria.

Actor. 4.

vt om-

vt omnes eum cognoſcant, per quem illis ſalus proue-nit, oẽs ei genu flectãt, & gratias agant de tanto bono. Et meritò: *Et noſſe enim te*, ait Sap *cõſummata iuſtitia eſt: & ſcire iuſtitiã ac virtutem tuã radix eſt immortalitatis.* Summa miſeria noſtra hęc eſt, ꝙ nobis Pater Chriſtum donauerit, nec eum agnoſcamus. Agnoſcit Chriſtũ, qui ad eum ſuſcipiendum non accedit? qui ad eum in omni neceſſitate non venit? qui eum facilè offendit? Non vtique. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non obſeruat, mendax eſt.* Sic non agnoſcebant eum, qui dicunt eum Ioannem, Eliam, &c eſſe. Sapient. 15. 1. Ioan. 2.

Vos autem quem me eſſe dicitis? Rem tantam inquiris, Domine, à vilibus piſcatoribus? Vix Angeli reſpondere poterunt. Attamen Petro reuelauit Pater. Audiamus ergò, quid Chriſtus ſit. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* En Petrum, à quo doctrina nobis procedit; En Paulum lac nobis paruulis propinantem. Ambo enim de Chriſto hæc docent: & ab Apoſtolica cathedra ac ſede perpetuo accipimus vinum ſcientiæ, & lac doctrinæ huius ſugimus. Dixerat Petrus, quis Chriſtus ſit. Nunc viciſſim oſtendit Chriſtus, quis Petrus ſit. *Tu es Petrus*: &c. q. d. Cùm me dixiſti Chriſtum, Petram dixiſti, de qua Iſa. *Ecce ego mittam in fundamento Sion lapidem probatum, angularem*: Et, *nemo poteſt aliud fundamentum ponere*, &c. tu ergo mecum eris petra fundamenti: Licet enim ego ſim prima Petra, tu eris ſecunda, quæ etiam dicitur fundamentum. Sed, ô Domine, hanc facis Petram fundamenti, quæ adeò eſt infirma, vt ad puellæ vocem deficiat? Verè fuit Petrus firmiſſima petra Eccleſiæ, & firma facta eſt humilitate, quam occaſione negationis acquiſiuit. Altiſſima Dei domus cõſtruenda erat: fundamentum Petrus erat: maximè ergò humiliandus, vt poſteà firmiter ſtaret, & *cõfirmaret fratres ſuos.* Iſaie 28. 1. Petr. 2. 1. Cor. 3. Luc. 22.

Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Firmiter fundata eſt Eccleſia. Sicut turris firmiſſima eminet doctrina Apoſtolica, quam Pater Petro reuelauit: contra quam *ſuperbæ inferorum portæ non præualebunt.* Sicut ergo herinaceus videns tempeſtatem inſurgere, petræ ali cui firmiſſimæ adhæret, ne fluctibus extra mare feratur: ita tu in omni tentatione & tribulatione Chriſto Fortitudo Eccleſiæ. Simile. Ambr. lib. 5. Hexam. c. 9. Baſil. in Hex. hom. 7.

adhære firmissimæ Petræ. Similiter in omni Ecclesiæ turbatione adhære tu Petro Petræ, Ecclesiæ Romanæ sententiæ: hæc firma est Petra, ne pereas. 2. Cùm ait, *Portæ inferi*, &c. ostendit vniuersam potentiam inferorum in Christi Ecclesiam armandam. Si non impugnaretur Ecclesia, fortitudinem suam non ostenderet: at impugnata, & non expugnata eam ostendit. & dicit: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. etenim non potuerunt mihi. Fundasti enim, Domine, terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi*: Et, *Deus fundauit eam in æternum* Non sic fundata Babylon, nec Niniue: omnes enim perierunt: at Ecclesia, super firmam petram ædificata, stat in æternum: & licèt veniant flumina & venti, adhuc tamen stat. An non flumina irruerunt in hanc domum, cùm persecutiones tyrannorum, Neronis, Diocletiani, Iuliani eam vexarũt? Sed & hæresum venti quo impetu in eam irruerunt? Arrius, Sabellius, Pelagius, Lutherus, Caluinus, & alia monstra: sed illa stat adhuc. *Lauda ergo Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te.*

Psalm. 128. *Psal. 103.* *Psalm. 47.* *Matth. 7.* *Luc. 6.* *Psalm. 150.*

Ecclesia quomodo decrescat. Et licèt hodie videamus magna ex parte præualuisse, non tamen præualebit. Durabit enim hæc Ecclesiastica hierarchia vsque ad mundi finem. Sed aliquando Ecclesia plenior est, aliquando minus plena: dicitur enim *pulchra vt luna*. Obscuratur hac parte Luna, alia clarescit. Obscuratur Anglia & Germania, &c. clarescit Iapo & China. Et sicut luna deficit non solis defectu, sed quia ipsa non respicit ex opposito Solem: sic obscuratur aliqua natio Catholica errorum tenebris, non propter Christum; sed propter hominum instabilem conditionem: & propter eorum peccata eos derelinquit. Gaude ergò, quoniam Ecclesia perpetuò durabit: time verò, ne in te deficiat.

Cant. 4. *Hier. in Abac. 3.* *Greg. hom. 29. in Marc. 16.*

Claues hominibus sub lege gratiæ dedit Christus. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Iam non erunt Cherubin cùm gladio ad paradisi portam, sed tu clauigeris. Ostendit his verbis miram hominum dignitatem; quòd possint peccata dimittere, quod solius Dei erat, 2. ostendit simul mundo iam aduenisse gratiæ tempus, quando hominibus claues gratiæ dantur. Tempore legis naturæ & scriptæ, claues regni cælorũ nulli sunt

tra-

traditæ, imò nec claues gratiæ. At in lege gratiæ, dum copia mensuram excedit, hominibus claues dat, cum gratiæ, tum gloriæ. Has verò claues primùm Petro & eius successoribus concedit; à quo omnis Ecclesiastica potestas dimanat. Ex quo faciè colligitur, qualis quantusque Petrus sit. Est enim Ioseph coram quo vndecim stellæ & manipuli procidunt: primum enim locum inter Apostolos obtinet: Huic præcipuam hæreditatem pater tradit: quam *tulit de manu Amorrhæi in gladio & arcu*; ipsi enim & successoribus Ecclesiam commendauit ob fidei & confessionis meritum. Petrus enim fidelis ei omninò fuit, & confessus illum est, & dilexit super omnes Apostolos, & crucifixus pro eo fuit. Et ideò meritò dicere potest: *Credidi propter quod locutus sum*, id est cor, confessus sum fidem meam: quia *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hinc & nos credimus, propter quod loquimur.* Credidit Petrus, & ideò loquutus est bonam confessionem. Solus is, qui fidem habet, loqui probè nouit: reliqui infideles turpia & vana loquuntur ac docent. Ideoque & Petrus *in excessu suo* memor diuinorum beneficiorum *calicem salutarem accepit*, passionem scilicet, amaram potionem, dum crucifixus est summa humilitate, nolens crucifigi sicut Christus, sed capite in terram verso: & sic in gloria super modum exaltatus. Oremus eum, vt memor sit promissionis suæ, de qua ait; *certus, quòd velox sit depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus noster IESVS Christus significauit mihi; dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis*; intercedatque pro nobis. & cæt.

Gene. 48. Allegoria. Gene. 37. Psalm. 115. Rom. 10. 2. Cor. 4. Sub Nerone. ANNO Domini 70. Sur. 29 Iun. Ber in ser. in vigil. Petr. & Paul. & 3. serm. in eor. festo. 2. Petr 1. Clemens in epist ad Iac. frat dom. Oecumenius in 2. Pet. 1.

Aman f.

FESTA

FESTA IVLII.

IN FESTO VISITATIONIS B. Mariæ Virginis.

THEMA: *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione.* Luc. 1.

MIRARI profestò possumus Mariam exurgentem, euntemq; in montana cum festinatione, vt inuiseret Elisabeth, præcipuè si attẽdamus tempus, in quo facta fuit. Euecta fuerat Maria, & exaltata ad infinitam dignitatem, cùm Christum concepit, & Dei mater facta fuit. Et tunc vniuersi Angeli *primogenitum, cum eum pater introduceret in orbem terræ*, qui tunc in vtero Mariæ erat, *adorarunt*; cur non simul eius matrem? sicut cum Iudith factum scriptura testatur: *Vniuersi autem adorarantes, dixerunt ad eam: benedixit te Dominus in virtute sua: quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Tanta celsitudo ac dignitas Mariæ matris Dei est, vt omnis dignitas creaturæ, si ei conferatur, nihil sit: reputatur enim idem esse cum filio: & huius ratio; quia filius recipit à matre corpus, quod subsistit in Christo verbi subsistentia: idque singulari ratione in Maria est, quia Christus, vt homo est, patrẽ non habet. Ecce dignitas Mariæ quanta fuit. Meritò ergò inquirendum est, cùm Maria ab omnibus visitanda fuit, qua ratione illa visitet Elisabeth?

Hebr. 1. *Psalm. 96.* *Iudith c. 13.*

Maria cur prior Elisabeth visitauerit.

Prior est Mariæ munus ac officium, quo non Dei solùm mater effecta est, sed etiam hominum, & illius immensa in filios charitas. Maria enim; tanquam omnium mater, tanquam membra filij sui homines curat, tanquam hæreditatem filij, & illius domum. Hoc igitur nouum munus ac officium Mariẹ eam compellit, vt exeat. Maria huc vsq; collegerat se, & intra templum & parentum tecta sola versabatur: sed iam nunc mater tantorum filiorum effecta, procedit in publicum, *abijt in montana cum festinatione*, defertque fructum

1. Charitas Mariæ.

pulcher-

pulcherrimum ventris sui, procedit ad suscitandū Zachariam à peccato, & ad Ioannem diuina gratia viuificandum, vt muneri suo satisfaceret.

Secunda huius visitationis causa fuit, summa Mariæ humilitas; quæ maxima fuit, antequam Dei mater esset: quia respexit humilitatem ancillæ suæ: sed postquam in Dei matrem assumpta est, maior, & maxima est, omnemque modum excedit; cùm supra modum se humiliauit visitans Elisabeth. Mirabilis prorsus humilitas in celsitudine tanta. Mirabile est, quòd *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*: sed hoc mirabilius multò in Maria, quòd innumeras gratiarum aquas continebat, priusquam Dei mater efficeretur; cùm verò eius vterum Christus intrauit, prius gratia plena erat, deindè Spiritus sanctus superuenit in eam, vt superfluens fieret; & tantis fluminibus receptis ac retentis (quod mare non facit, *vnde exeunt flumina, & reuertuntur, vt iterum fluant*) non intumescit Maria, sed humiliatur magis. Mirabilis planè Esther modestia ac humilitas fuit, quam regia dignitas nòn extulit: sed maior certè Mariæ humilitas, quæ non regia tantum dignitate, sed diuina exaltata, effecta Dei mater, humillima nihilominus est. Difficilis planè castitas inter delicias, & humilitas inter honores: sed hoc difficile Maria præstat. Et ideò maximum Mariæ miraculum est, quòd in sublimi statu humilis inueniatur.

2. *Mariæ humilitas.*

Simile.

Eccli. 1.

Chrys. hom. 1. in Psal. 30. & hom. 25. ad popul. & hom. 1. oper. imp in Matt. Ambr. in Luc 1 & lib. 2. de virg.

Esther. 2.

Cōparatio.

Qua in re exemplo nobis est, vt illud Sapie. impleamus: *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram altissimo*. Quando Maria plura recipit, plus se deijcit. Cùm ergò videris multa tibi à Deo donari, tunc humilia te in omnibus; agnosce teipsum, & securus Dei dona percipies. Sed quomodo in tāta dignitate humilia potuit de se sentire? Humilis corde fuit Maria dignitatem nouerat suam, & gratias eximias à Deo sibi concessas: ideoque dixit; *Fecit mihi magna, qui potens est*: sed bona vniuersa, quæ videbat in se, nouerat non esse à se, sed à Deo; & ideò Deum non se magnificabat ipsi bona omnia tribuens, & dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Licèt ergò homo aliquid operetur, cùm Deo cooperatur, gloriam tamen Deo referre debet.

Eccle. 3.

Maria cur tam humilis.

Causas vide Dom 10 post Pentec.

Charitas igitur & humilitas Mariæ effecerunt, vt cùm ab omnibus inuisenda esset, illa visitaret Elisabeth.

Exurgens ergò Maria abijt in montana. Cùm surgit Maria, vniuersa etiam curia cælestis surgit. Verè sicut vidit Iacob Angelos, & ait; *Castra Dei sunt hæc*: ita

Gene. 31.

prope Mariam castra Dei erant. Surgit verò, ac procedit, nec ab intima contemplatione recedit: quocunque enim abierit, extra templum esse non potest. Ipsa enim *templum Dei viui est*; in quo *plenitudo diuinitatis habitat corporaliter*, in quo Christus est: ipsa Sacellum est Christi, & sancta Sanctorum. Maximum profectò argumentum sanctitatis eximiæ est, Mariam videre Christum per menses nouem in vtero eius, qua corporaliter cordi eius adhærebat, & innumera bona cordi illi tribuebat, seipsum in illo imprimebat, & agglutinabat. Vindictam dulcissimam tunc sumebat de corde illo, quod ipsum vulnerauerat: nunc ille eam vulnerat; & vicissim sagittas amoris vterque in alterum dirigit: vnde ardentissimus amor Mariæ effectus est, quæ infinitum amoris ignem in vtero suo portabat. O felix & beatissima Maria, quanta mira in te posuit cælestis artifex?

1. Cor. 3.
Coloss. 1.

Maria maxima semper aggressa.

Sed quo Maria abijt? *In montana*. Quo pacto viam agit? *Cùm festinatione*. Expendenda sunt hæc singula. 1. *in montana* Maria conscendit non solùm corporali gressu, sed magis spirituali: semper enim in altissimis habitauit; & maxima aggressa est, ac sublimia perfecit, quæ firmiter statuit Deo non displicere, & impleuit: An non *in montana* conscendit, quæ in omnibus Dei gloriam duntaxat quæsiuit? quæ Deum è cælis in terram venire fecit? quæ virgo illibata permansit? Certè altissima hæc omnia fuerunt, & in ea conscendit Maria. Quidam homines ea, quæ mundi huius sunt, solùm quærunt: quidam verò cælestes sunt, qui terrea contemnentes cælestia suspirant, ad perfectionis culmen pertingere curant. Hi montana conscendunt. Multi alta petere non audent, putant eam desolatam viam esse, si pænitentiæ viam aggrediuntur. Sed Angeli ad Loth dicunt: *In monte saluum te fac*. Et Rahab exploratoribus ait: *ad montana conscendite*. In inferiori;

N.B.

Gene. 19.
Iosue 2.

rioribus pericula multa sunt;in alto securitas. Via ergò in altum nobis tenenda est, cælestia appetenda, & caduca abijcienda sunt.

Sed abijt *cum festinatione*. Quomodo prægnans festinare potest? Christus *portans omnia verba virtutis suæ*, illam festinare facit. Veniens in mundum Christus accelerauit, vt spolia detraheret dæmoni; festinauit, vt animas prædaretur: & ideò nunc vt Baptistam suum sibi vsurpet, festinat, ac festinantem matrem efficit. Sicut ergò vela nauem non impediunt, sed festinare faciunt: ita Christus Mariam festinantem facit non tardam Ideo dicit: *Surge, propera, anima mea.* — *Hebr. 1.* — *Simile.*

Nec verò in sola Maria hanc reperies festinationem. Sed vbicunque Deus est, festinatio est. Id vides in Abraham eiusque domo; ibi vides omnes festinantes. Hinc Sap. *Currens non habebis offendiculum*. Licèt verò hæc festinatio omnium esse debeat, præcipuè tamen conuenit Christo, qui *exultauit vt Gigas ad currendam viam*; & Mariæ matri eius; quæ summa festinatione viam Dei peregit. Nos verò festinare oportet, 1. quia longum nobis restat iter, *grandis nobis restat via*, & ideo festinatione opus est. Hæc autem distantia sumitur à differentia, quæ est inter præsentem vitam, & futuram. Ibi enim requies, hic labor; ibi securitas, hic pericula; ibi pax, hic turbatio. Cumq; viam perficere tanti referat, oportet tardos non esse, ne fortè illuc non perueniamus *Festinemus ergò ingredi in illam requiem*. 2. festinare nos oportet, quia ductor noster festinare nos vult. Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Certè festinus ille est, quem Deus gratia sua tangit, & vrget. Si spiritus Domini irruit in te, festinare te faciet, & ducet quasi nauem à vento vehementi ac flumine violento. Hinc Psalm. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*. 3. festinare oportet; quia Dei minister festinus esse debet, non tardus. Nulla facienda nobis mora est, ne dicatur: *Currebatis bene, quis vos impediuit?* Sed hominum væcordia fingit multum superesse temporis. Sed te rogo, vnde nosti, quòd tibi crastina dies præsto erit? Memorare diuitis illius, qui multos annos animæ suæ promittebat, & audit: *Stulte*

Gene. 18. — *Prou. 4.* — *Psalm. 18.* — *Festinandū cur sit nobis.* — *3. Reg. 19.* — *Hebr. 4.* — 2. — *Ambr. in Luc. 1.* — *Psalm. 118.* — 3. — *Gal. 5.* — *1. Cor. 9.*

Luc. 12. *hac nocte repetent à te animam tuam*. Sed concedo, quòd crastina dies tibi erit; rogo verò te, vnde nosti, te à Deo crastino vocandum? Ille *cuius vult miseretur, & quem*
Rom. 9. *non vult indurat*, vt Pharaonem. Et Dauid plures men-
2. Reg. 12. ses in peccato perstitit. *Hodiè ergò si vocem eius audieti-*
Psal. 94. *tis, nolite obdurare corda vestra*: sed festinate, vt eum consequamini.

Sed quid Maria visitans Elisabeth facit? *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Mirus profectò Mariæ vocis effectus, quæ ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt, imò cum sua salutatione sanctificauit. Hanc verò salutationem operatur Christus salutatione Mariæ, vt instrumento. Mirabilis planè res est animæ sanctificatio, & quæ magnifacienda est. Vt præcipuè colligitur ex illis Christi ver-
Ioan. 17. bis: *Pater, quos dedisti mihi.* An non melius diceret: quos emi proprio sanguine, & redemi? Non sic ait; sed, *quos dedisti mihi.* Licèt enim iustos emerit ex iustitia, sic tamen eos magnifacit, vt eos dono datos æstimet. Magna itaque res animæ sanctificatio, quam Christus tanti ducit. Hanc verò & copiosissimam Mariæ verbis & salutatione perficit. Qualis obsecrò Maria in se est,
Cant. 2. cuius vox in alijs tanta operatur? Dicamus ergò ei: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis*, vox efficax, vox virtutis. Accedamus ad eam imitatione charitatis, humilitatis, feruoris ac festinationis, vt eius vocem audire mereamur, & illius effectus experiri. &c.

IN TRIVMPHO S. Crucis.

THEMA: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21.

CElebri die Hispania memoriam agit Triumphi sanctæ Crucis, cùm ea apparuit in aëre Alphonso Castellæ Regi pugnanti cum Mauris: in quo prælio ducenta milia occisa memorantur, & 25. solùm ex Christianis desiderati. Est autem Maria dux bello-
rum

ſum noſtrorum, ſicut Crux vexillum. Victoria parta eſt, ſi Maria nobiſcum fuerit. Eam ergò oremus, &c.

In Euangelio Christus Dux ſupremus bellorum meminit. Et nobis bellum ſemper imminet, cùm *militia ſit vita hominis ſuper terram*. In omnibus verò hiſce bellis vexillum Crux eſt. Inter crucis nomina inſigne illud eſt, quo vexillum nuncupatur: de ea canit Eccleſia; *Vexilla Regis prodeunt*. Dux in prælio vexillo vtitur, vt eius milites agnoſcant, quò in omni aduerſo euentu fugere debeant. & cæt. Ita Christus dux noſter pugnam initurus cum hoſtibus, ſignum dedit, quod toto belli tempore, vſque ad finem mundi, voluit eſſe conſpicuum: illud verò Crux eſt, qua debellauit aëreas poteſtates. Et ideò tanti Ducis ſignum dæmones pauent, & eius vi à corporibus pelluntur. In eo etiam Sancti ſanitates perfecerunt. In eo omnia benedicuntur in Eccleſia; & in omnibus Sacramentalibus eſt frequentiſſimum. Hoc ſignum eſt nobis *turris Dauid ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. De hoc vexillo Iſa. *Leuabit Dominus ſignum in nationibus*. Quia vt vniuerſus mũdus militet ſub eo, ſignum hoc eleuatum eſt.

Iob. 7. *Crux vexillum noſtrũ eſt.* *Laurent. Iuſtin. de triumph. Chriſti agnon. cap. 17.* *Iſaiæ 11.*

Hoc verò ſignum, quod in terra eleuatum eſt, in iudicio eleuandum eſt in cælo. Sicut enim deuicta ciuitate in ſumma eius arce vexillum ponitur in victoriæ ſignum; ita cùm Christus, & illi, qui ei militârunt, orbem vicerint, cælum per vim rapuerint, victoris ſignum in cælo ponitur. Tunc honos cruci reſtituetur, quam mundus ſcandalum & ſtultitiam duxit. Tunc iuſti, qui ſub cruce militârunt, gaudebunt, *inimici vero Crucis Chriſti* plangent.

Matth. 24. *Simile.* *Phil. 3.*

Nec verò Crux eſt ſolùm vexillum militantium, ſed & trophæum, & arcus triumphalis, ac marmorea columna, quam Christus in cælo & in terra inæternum erexit, in victoriæ memoriam æternam; cui eſt titulus, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. q.d. ſi noſſe vultis, quo diuina ſapientia, bonitas, ac potentia peruenerit, ſcitote, quia vſque ad Crucem; hinc quo progrederetur vlterius non habuit. Quid enim amplius pro homine efficere potuit, quàm vitam in Cruce dare? Voluit verò, &

Crux trophæum Chriſtianorum. *Ioan. 19.*

merito, vt Crux, quæ in mundo trophæum & columna fuit, ostendens, quo diuina bonitas progressa sit, in cælo etiam sit eius trophæum in perpetuum, & columna, quæ oculis beatorum semper subijciatur, vt diuinam sapientiam ac bonitatem videant; & ideò perpetuo canant: *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo.* Hac ergo ratione vexillum Christianorum Crux est.

Apoc. 5.

Niceph li. 7. hist. Eccl. cap. 29. Euseb. lib. 9. hist Eccl. ca. 28. & libr. 1. de vit. Cōst. ca. 22. 23. 24. 25. 32. 33. Niceph. li. 7. ca. 37. & l. 9. ca. 31 & lib. 13. cap. 35 & li. 18. ca. 20.

Hæc Crux apparuit Constantino eunti in pugnam aduersus Maxentium, & Angeli ei dixerunt, IN HOC SIGNO VINCES, & ideò in omnibus suis vexillis eam depingi, & in manibus statuarum sibi à Senatu erectarum Crucem poni iussit, Cruci tribuens victoriam. 2. idem ei accidit, cùm contra Maximum pugnauit. In quo prælio cùm Ethnicus, qui vexillum portabat, videret Maximini iussu in Crucem tela mitti, eam reliquit, & confossus interijt: at fidelis martyris filius abiectis armis crucem ab altero depositam suscepit, & non est vulneratus. 3. cùm Bizantius in eum rebellaret, & paucos haberet milites, oculos in cælum leuauit, & Crucem vidit, & iuxta eam titulum superiorem, *in hoc signo vinces,* & victor euasit. Sæpissimè Crux ista in bellis apparuit: sicut & in bello Alphonsi Castellæ Regis.

Crux signum hieroglyphicum.

Niceph. l. 12. cap 26. Socrat. lib. 5. cap. 12.

Sed cùm Ecclesia dicat Crucem salutarem & viuificam, silentio prætereundum non est, Magos veteres dixisse, Crucis signum viuificum ac salutare hominibus esse. Et inter Hieroglyphica AEgyptiorum refertur vnum fuisse Crucem, qua significabant salutem & vitam venturam: dicebantque non amplius duratura idola esse, nisi vsque ad tempus, quo Crux in mundo eleuaretur Ex quo colligendum nobis est (vt ad mores nostros descendamus) signum in nobis diuinum esse Crucem, quo signati salutem ac vitam sperare possumus. Si ergò tibi tribulatio est, Crucis signum (quod est Christi vexillum) in te positum agnosce, quod tibi æternæ salutis hieroglyphicum & liberationis signum est. Non ergò cruce visa terreri nos decet, sed lætari.

Tho. Kemp. lib. 2 de imitat. Christ. c. 12. de regia via S. Crucis.

Hæc verò in Euangelio proposito latius ostenduntur.

tur.

tur, in quo cælestis Magister ait. *Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri.* Mirum profectò animum, eximiam magnanimitatem in suis exigit Christus; cur enim non terreantur, cùm prælia & seditiones oriuntur? Sicut margaritæ licèt in mari natæ sint, cælesti tamen rore producuntur, & sic cælum potius quàm mare referant: ita cum fidelis vir cęlestem rorem desuper acceperit, cælestis esse debet, animoque cælesti prę-ditus: & licèt in hoc seculo genitus sit, ei tamen conformari non debet, sed cælo. Nolite ergò terreri, etiamsi bella & seditiones insurgant: quia nihil mali accidere iusto potest, si modo iustitiam conseruet: quicquid euenerit, bonum est; non est ergò quòd timeat: quia timor est de malo imminenti. Si illi nullum malum imminet, quid timeat? Eximium virtutis priuilegiũ, vt nullum malum eò intrare possit, vbi illa est, & vniuersa, quæ mala apparent, si locum, in quo virtus est, ingrediuntur, bona fiunt. Hinc Psalm. *Altissimum posuisti refugium tuum: non accedat ad te malum: quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Qui enim Deum habet refugium, non est quod malum timeat, quia statim ei in bonum cedit. Si accedat infirmitas, patienter tolerat, & ei bona est: si & ipsa mors, non solùm bona efficitur, sed etiam pretiosa: quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Adijcit Dominus.

Magnanimitas Christianorum. — *Simile.* — *Rom. 12.* — *Rom. 8.* — *Psalm. 90.* — *Rom. 8.* — *Ambr. lib. de bono mortis.* — *Psalm. 115.*

Surget gens contra gentem. &c. Describit mala, quæ præcesserunt euersionem Hierusalem. Addit verò: *Sed ante hæc inijcient vobis manus, & persequentur.* &c. vt in Act. Apostolorum ostenditur. Hæc autem mala indicat non ex crudelitate Dei ferientis prouentura, sed ex iniquitate Hierusalem persequentis, & posteà vltio diuina in eos desæuiet, qua intereant.

Augu. lib de grat. & lib. arbr. cap. 17. & libr. 2. contr. duas Epist.

Pelag. ca 9. li. de agon. Christ. c 7. lib 1. de ciuit. Dei c. 28. li 8. Conf. cap 3. 4. lib. de vera relig. cap. 12. Serm. 14. de Sanct in conuers. S. Paul. Ambr. apolog. de Dauid ca. 1.

Continget autem vobis in testimonium. id est, vniuersa hæc persecutio erit vobis signum ac testimonium, quòd verè discipuli mei estis. Testimonium signum est pacti inter duos, qui pactum ineunt, vt inter Abraham & Abimelech, Iacob & Laban.

Gen 21. — *Gene. 31.*

Laban. Qui ergò Christo adhæret, pactum cum eo pepigit, quo ipse Christo obedientiam promittit, Christus verò vitam æternam. Is ergò iure dicitur habere testimonium I E S V, qui signa habet pacti, quod cum I E S V inijt. Ita qui fidem suscepit & baptismum, qui iustè viuit, testimonium habet IESV. Ideò Ioan. *Qui custodiunt mandata Dei, & testimonium habent I E S V Christi.* Inter testimonia verò Christi illud præclarum est, non solùm vt in Christum credat, sed & pro illo patiatur: hoc nunc significat Christus, cùm ait: *Continget vobis in testimonium*, id est, excitabitur in vos maxima persecutio propter nomen meum: hæc autem erit vobis testimonium I E S V. Si ergò hoc in te videris signum testimonij, crucem scilicet, gaude, quoniam ad Christum pertines: contingit enim hoc tibi in testimonium.

In cruce gaudendum. *Apoc. 19.* *Apoc. 12.* *Phil. 1.*

Ponite ergò in cordibus vestris, non præmeditari, &c. Solent qui ad iudicia trahuntur præmeditari ea, quæ sunt responsuri, & iuris peritos vocare, vt eorum causam agant: sed vos non sic: *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* His verbis C H R I S T V S à suis noluit lectionem & studium scripturæ sacræ auferre, sed anxietatem ac sollicitudinem relinquendam docet.

Trademini autem à parentibus, fratribus, cognatis, amicis, &c. Maximè hominem torquet, cùm videt à sibi propinquis mala venire. Hinc Psalm. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, &c.* Vt verò patiēter toleremus mala à propinquis, Christus à discipulo in mortem tradi voluit, & à suis damnari.

Psalm. 54.

Adijcit verò quid maximum. *Et eritis odio omnibus hominibus.* Quia omnium ritus tollebant. legem Mosaicam abrogabant; & idola gentium abolebant: & solum Christum coli curabant. 2. dæmones concitabant homines contra Christi Apostolos, à quibus videbant homines, à vinculis eorum solui. 3. erat maxima dissimilitudo inter Christi discipulos & mundum; ideò eos mundus odio prosequebatur.

Discipuli cur à mundo odio habiti. *Ioan. 15.*

Aspe-

Aspera ac dura sunt, quæ huc vsque Christus nuntiauit; sed aliquid dulcedinis in finem Euangelij reseruauit: non enim Crux tota aspera est. Ait igitur Dominus: *Capillus de capite vestro non peribit*: sicut & alibi dixerat: *nam & capilli capitis vestri omnes numerati sunt*. An non dulcissima verba illa sunt? Quæ enim vnquam *Simile.* fuit adeò amantissima mater, vt capillos filij numeraret, & ne vnum quidem amitti permiserit? Nunc ergò ait: *Capillus vester non peribit*: q d si adeò vestra curat, & in pretio habet, vt minima vestra magnifaciat, etiam capillum, quo pacto magni ducet maxima, quæ ei offertis? *Capilli Christi qui sint.* Ne ergo timeatis vniuersos persecutores vestras: noui omnia, quæ ad vos pertinent; & ea curabo vt propria; quia pro nomine meo patimini. Sed sunt Capilli Christi, sunt & nostri De capillis Christi dicitur: *Capilli eius erant candidi sicut lana alba*, & tanquam *Apoc. 1.* nix. Per capillos Christi Sancti intelliguntur, qui Chri- *Aug. Ansel.* sto adhærent: quia vegetantur virtute capitis, & pen- *Richard.* dent à Christo. Dicuntur verò albi & lana, aut nix, propter vitæ candorem. Sed & nigri dicuntur ijdem capilli propter exteriores persecutiones, vel propter *Cant. 5.* imperfectiones, quibus in hac vita sunt obnoxij. Capilli quoque Christi sunt *sicut greges caprarum*, quia *Cant. 4.* sancti contemplatione similes sunt capreis, quarum acutus est visus. *Et comæ capitis* eius *sicut purpura Regis* propter sanguinem Martyrum fusum. Hic verò attendendum est, capillos capitis in honore esse, dum capiti *Cant. 7.* adhærent: nihili autem esse, si à capite separentur: ita homo magnus est, si Christo adhæreat. Ideo Psalm. ait: *Capilli quando honorentur.* *Mihi adhærere Deo bonum est.* Si verò à Christo separetur, nihili ducitur. 2. Capillus noster cogitatio cordis est, quam Dominus non prætermittet absque mercede: *Psal. 72.* quanto minus sanguinem pro eo fusum?

In patientia vestra poßidebitis animas vestras. Impatiens animam perdit: patiens verò seruat. Ideò *melior est patiens viro forti*, quia se cohibet, & ideò se possidet. &c. *Prou. 16.*

IN FESTO B. MARIAE Magdalenæ.

THEMA: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7.

Veritate ruunt mendacia.

MIRA profectò veritatis vis est, qua stabilita ac cognita mendacia vniuersa ruunt, nullo ea impugnante. Sed hæc veritatis potentia contra falsitates omnes in amore Dei inuenitur contra vitia vniuersa. Si enim in hominis corde constitueris Dei amorem perfectum, statim, sicut coram Arca Dei Dago cecidit, cadent peccata & vitia omnia: nec opus erit ea sigillatim impugnare; vniuersorum enim victoriam amor reportabit solus. Hoc amoris vis in Magdalena fecit. Si quis autem sine Dei dilectione vitia impugnare velit, & sine diuina gratia passiones superare, alia vitia maiora exorientur; sicut hydriæ capite vno præsciſſo, septem alia oriebantur. Si ergò à radicibus vitia euellere vis, charitatis ignem applica, quo vniuersa vitia ac passiones superantur. Huius verò rei mirabile hodiè nobis proponitur exemplum in Magdalena. Quis enim alius, quàm amor à corde eius radicitus abstulit amorem sui & contemptum Dei? vanum mundi honorem & delitias, quis abstulit, nisi amor?

Amb lib. 1. de fide ad Gratia c. 4. & lib. 3. c. 1.

Charitate vitia extirpantur.

Virtutes à charitate pêdent.

Tanti verò pretij dilectio Dei est. vt virtutes omnes superet, sicut aurum metalla vniuersa. Reliquæ virtutes sine charitate nihil sunt: à charitate vitam accipiunt & pretium; illa tanquam regina imperat reliquis virtutibus. Et ideò eorum opera ei tribuit Paulus dicens: *Charitas omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet,* &c. Et denique charitas summum est diuinorum donorum, & pretiosissimum omnium: quæ ideò expetenda est super alia. Quia quicquid à Deo acceperis, si charitatem non accepisti, Deum non habes. Dilectione enim Deus possidetur à nobis; & dilectio possessio Dei est: quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quid verò tibi prodest omnia habere, si Deum nō habes?

1. Cor. 13.

Ioan. 4.

Ex dictis Magdalenæ dignitas & excellentia facilè colli-

colligitur: si prius nouerimus in eo excellere sanctos, in quo à Christo laudati, & commendati sunt. Legimus aliquos Sanctorum à Christo commendatos, vt Nathanaëlem à simplicitate: Centurionem & Chananæam à fide. In Magdalena verò supremum omnium laudat, charitatem scilicet: in hac ergò illa excelluit, cùm de hac à Christo sit laudata, cùm ait: *Dilexit multum.* Maxima censeri igitur debet, quæ in hac excelluit. Verè *optimam partem elegit*, quæ dilectionem, quæ Deum elegit, qui dilectione possidetur. Sed quoniam eam summam laudem dicimus esse, quæ à dilectione colligitur, ostendendum est, in quibus hanc excellentem in Christum dilectionem Magdalena ostenderit.

Magdalenæ dignitas. *Ioan.1.* *Matt.8. et 15.* *Luc.10.* Partitio.

Tria eximiæ dilectionis signa sunt. 1. Vniuersa relinquere amati causa. 2. dulcia habere cum dilecto colloquia 3. difficilia aggredi amati gratia. Primum in Magdalena facilè videbimus, si Euangelicam consideremus historiam, & reliquam eius vitam. Vniuersa enim & seipsam reliquit, vt Christo frueretur dilecto; pretiosas vestes, omnem mundi ornatum, delicias, & omnia. Accidit enim illi, quod accidere solet in domo ardenti: per fenestras enim omnia proijciuntur. Ardet igne vniuersa domus Magdalenæ, quid mirum si omnia proijcit? En igitur omnia relinquit, vt amato inhæreat. Hoc ipsum etiam deinde præstitit: Sequuta enim Christum Dominum est vsque ad crucem; & discipulis fugientibus illa ei adhæsit. O beatissima mulier, respondent nouissima primis. Certè omnia reliquisti pro amato; sed vt melius dicã, in meliora cõmutâsti reliquisti seruos, ancillas, amatores; recepisti innumeros angelos te circunstãtes: reliquisti pulchritudinẽ corporis; & animæ decorem inuenisti: reliquisti monilia & vestes; recepisti virtutes ac dona cælestia. O felix mulier, omnia reliquisse videris, sed verè nihil reliquisti, inuenisti omnia: quia quem diligebas inuenisti, in quo sunt omnia. Ille verè omnia relinquit, qui Deum relinquit.

Tria dilectionis signa. 1. *Omnia relinquere.* Simile. *Isa.30.* N.B.

Secundum dilectionis signum est, dulcia colloquia cum dilecto. Hoc signum in Magdalena manifestum fuit: diuinus enim amor eam nunc trahit ad Christi pedes; & idem eam ita Christo copulauit, vt nullus

2. *Dulcia habere colloquia.*

cam

Luc.7.& 10 eam separare ab eo possit, licèt Pharisæus obmurmuret, licèt conqueratur Martha. Et licet iusta videretur causa Marthæ, sententia tamen lata est pro Maria: quia illa contra amorem pugnare voluit; & cùm aduocaretur CHRISTVS in iudicem, amor fecit vt patronus & aduocatus Mariæ esset. Alienum videbatur, vt conuiuij tempore importuno intraret Maria, & pedes CHRISTI lachrymis tergeret, & quòd libram vnguenti nardi pystici pretiosissimi effunderet in pedes & caput: sed cùm illud ab amore proficiscitur, gratissimum Christo fuit. Hoc etiam signum amoris ostendit, cum semper Christum sequuta est, vt eum audiret: & in vastam se recepit solitudinem 30 annis; vt cum Christo conuersaretur. Vt verò non solo spiritu dilecto frueretur, sed etiam corpore,
Surius 22. Iulij.
septies in die ab Angelis portabatur in cælum, vt cælestis cælestibus frueretur. Sed cùm Maria ad pedes Christi, accessit, quæ cum eo colloquia habuit? quid loquitur? Verbum nullum ore promit, vehementissimo dolore tacta est, & contritum omnino cor eius, & superinduta confusione non loquitur: nullis enim verbis eius dolor explicari poterat; ideo signis ostenditur. Si ore nō loquitur, corde clamat & lachrymis: maximus enim dolor signis & singultibus exprimi solet. Loquitur ergo nunc dilecto, vt conueniens fuit eam loqui, cùm primū ad Deum accessit post innumera peccata.
Psal 50. Ezech 16.

3. *Difficilia aggredi.*

Tertium dilectionis signum est, difficilia aggredi pro amato. Est amor quasi omnipotens ad negotia dilecti suscipienda. Magna profectò amoris vis est, vt sui obliuisci faciat, & infirmitatis suæ, vt dilecto accurrat: sicut imbecillis gallina miluo se opponit, vt aquila; equa se lupo opponit, vt leæna; vacca mansueta in taurum ferocem mutatur, vt pullum defendat. Sed obsecro fuitne efferum animal ita forte, vt Magdalena, cùm Christi agebat causas? Dereliquerat Pater filium in manus impiorum: sed Magdalena, hora passionis elapsa, licet vidisset crudelissimos hostes, impatiens moræ præ amore, diem non expectat, sed *cùm adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum cum aromatibus*. Non timet Scribas, & Pharisæos, non milites custodientes sepulchrum, non lapidem gran-
Simile.

dem

dem, quo monumentum opertum erat. Nihil ei durũ aut difficile est: omnia credit, omnia *sperat se posse in eo, qui eam confortat.* Et cum figuram hortulani Dominus suscipiens ei apparuit, ait ei: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Amoris excessum attende, *ego eum tollam.* Dic mihi, ô mulier; si in domo Herodis, Pilati, aut Caiphæ fuerit, quid facies? *ego eum tollam.* O excessus amoris, omnia se posse credit: verè dilexit multum: ideo prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris. Ioan. 20.

Audi nunc Mariæ profectum. Initium eius fuit, *dilexit multum;* medium fuit, *plus diligere*, quàm omnes Apostoli tempore Resurrectionis: postea *plurimum dilexit*, cum 30. annis contemplationi omninò dedita, vt optimam partem eligeret, eo ignis charitatis in ea excreuit, vt immensi amoris vim animam à corpore separasse credatur, cùm nullam nouerimus corporis ægritudinem fuisse.

Nobis ergo imitanda proponitur illius dilectio, & dilectionis signa, & mirabilis pænitentia. Primum ergo diligamus Deum, *quoniam ipse prior dilexit nos*. An amorem non rependes tanto amori, quòd ex nihilo te eduxit vitam & sanguinem pro te effundens? Certè ardere amore deberemus: qua enim te compensari amor potest, nisi amore? Poteris frumentum vino, & vniuersa alia pecunia commutare: at amari solo amore poteris respondere: nulla alia digna commutatio est. Sed ais, Deum diligere volo, quomodo eum diligam? Dilige multum, vt Magdalena: infinitæ enim bonitati infinitus amor debetur: hunc cùm persoluere non possis, dilige eum ex totis viribus. & illud Pauli perficere cura: *Abijcientes omne pondus, & circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen.* Et tandem nobis proponitur Magdalena in exemplar pœnitentiæ, & asperitatis vitæ, vt sic difficilia Dei causa aggrediamur. Admiranda profectò asperitas vitæ tanta in Magdalena, vt per 30. annos in deserto moraretur, cùm audisset à Christo, *remittuntur tibi peccata tua*. Initia vitæ illius, amor sui, delitiæ, vestes pretiosæ, vnguẽta: sed extrema omnia diuersa fuêre, amor Dei, contemptus sui, asperrimá vitæ ratio. Nos quidem miseri

Magdalena exemplar charitatis.

Heb 12.

Exemplar pænitentiæ.

oncrati

Isa. 1. onerati peccatis sumus, *sapientes ad faciẽdum malum, benè autem facere nescimus*, infirmique sumus, vt peccata pœnitentia deleamus. Multi dicunt, Magdalena peccatrix fuit, & salutem consecuta est; ego similiter consequar. Ita quidem erit, si sicut eam secutus es errantem, sequaris & pœnitentem: quod si secus feceris, secus accidet tibi. Pœnitentiam ergo age cum Magdalena, vt cũ ea regnes in æternum.

SECVNDA PARS CONCIONIS.

EX his autem quæ præcipua consideratione digna sunt, vnum est bellum perpetuum, ac iugis pugna inter diuinam bonitatem & diuinam misericordiam ex vna parte, & hominis immensam malitiã ex altera. Hęc inter sese contendunt. Arma diuinæ bonitatis & misericordiæ sunt immensa & innumera beneficia, quæ congerit in nos, vt nos superet, ac ad se trahat. Arma malitiæ humanæ peccata sunt, quibus in Deum pugnamus. Libet nunc bellum hoc instructum ex vtraq; parte inspicere, pugnatores validos, bellumque perpetuum. Quod in alijs primum videamus, deinde in nobis ipsis. Pugnam istam inter Deum & filios Israël describit apprimè Ieremias, ostendens peccatorum multitudinem, quæ tanta erat, vt ipsi in seipsos sententiam ferrent, dicentes: *Tradetur ciuitas in manus*

Ier. 30. *Regis Babylonis*. Deus verò aliter se facturum dicit, promittit enim innumera bona ac beneficia. Hanc etiam pugnam mirabiliter describit Habacuc, qui videns

Habac. 3. Deum iratum in Israël ait, *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*: quod ipsi persuadebant beneficia, quæ olim præstitit Israeli. Sed hoc mirabile bellum inter Dei

Ezech. 20. bonitatem & hominis malitiam eleganter descripsit Ezechiel, ostendens multis verbis longam contentionem diuinæ bonitatis cum humana malitia; & tandẽ in electis superare diuinam bonitatem.

Bellum quomodo cum deo geramus & pacem recuperemus.

Hoc verò & in teipso videre licebit, si ob oculos proponas vitam tuam, quam compactam videbis ex diuinis in te collatis misericordijs, & ex peccatis tuis. Ex vtero matris innumeras tibi Deus misericordias concessit: cũ verò ad vsum rationis peruenisti, statim in Deum peccare cœpisti: & inde vsq; nunc innumera à Deo bona suscepisti, & innumera in eum peccata commisisti.

Hanc

Hanc verò contentionem in vita Magdalenæ spectare licet, quæ peccatorum multitudine contendebat cum diuina bonitate & beneficijs.

Sed quis tantæ contentionis & pugnæ finis est? quis victor euadit? In electis quidem diuina bonitas superat humanam malitiam, vt patet in Magdalena. Quod ex duplici fonte oritur. 1. ex parte diuinæ gratiæ, quæ electis præcipuè communicatur. 2. ex parte liberi arbitrij, quòd electus eo vtitur in salutem, & propria voluntate vtitur diuino auxilio, & discedit ab iniquitate post plurima peccata, vt Magdalena: reprobus verò induratur vt Pharao. Huius ergò rei præclarum exemplum nobis proponitur in Magdalena, cui post multa peccata adfuit diuina gratia, & illa libero suo arbitrio ei cooperata fuit, mirumq; reliquit peccatoribus amoris & pœnitentiæ exemplum, vt nos Deo cedere nouerimus, & bellum, quod cum Deo gerimus, in pacem mutare.

Ecce ergo mulier in ciuitate peccatrix, quæ prius bellum contra Deum gesserat, nunc vulnerata diuina sagitta ad pedes Christi prouoluitur; Vulnerata fuit gladio verbi diuini; quod nunquam vacuum reuertitur aut inane. Sed aliquando cor transfigit, vt statim deijciat eum & mutet eum, cùm scilicet gratia efficax adest: *cũ sagittas suas ardentes effecit*. quibus vulneratus homo ad Dei pedes cadit vt Magdalena. Alios verò Dei verbum vulnerat, sed non in corde, qui non statim vitam deserunt carnalem. Sed attende, quid in Magdalena effecerit diuinum verbum. Quidam enim molestè ferunt, si veritatem audiant. Sic molestè fert auarus, si ei dicas iniustos ipsius contractus: & inhonestus, si inhonestã & turpem eius vitam proponas. *Audiet luxuriosus, & displicebit ei*. Non sic Magdalena, sed Deo gratias agit, quia lucem ei dedit? & vt cognouit, quo loco lux esset, ad eam venit. Sed cùm dicitur, *Ecce mulier* aliquid consideratione dignum ostenditur. Certè quod mulier in Christum irruat, lachrymas coram eo fundat, vnguenta deferat. 2. mirabile est, quod in vili fœmina ac peccatrice tantã Deus gratiã constituerat. *Quis potest facere mundũ de immũdo conceptũ semine, nisi tu, qui solus es*: Quis nisi Deus infinita sua potentia mundare potuit immũdã Magdalenam? quis eam bonis replere cælestibus? & ideo hoc *opus dexteræ Dei dicitur*.

Greg. ho. 33. in Euang. *Luc. 7.* *Psal. 7.* *Eccl. 22.* *Iob 14.* *Psal. 76.*

Sed

Sed accedit hæc mulier, *vt cognouit, quia IESVS accubuit in domo Pharisæi.* Non sine diuino numine res suas agebat Magdalena, & opportunum elegit tempus cum IESVS esset in conuiuio. 1. quoniam licet à Pharisæo vocatus sit in conuiuium, tamen dulcem cibum, qui ei benè saperet, non apposuerat: illa verò hunc defert. Quis cibus tuus, ô Domine, quo libenter vesceris? *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Hæc est autem voluntas Dei sanctificatio vestra* &c. *Cor ergo contritum & humiliatum Deus non despicit,* sed amat 2. in conuiuium Magdalena venit: quia Deo gaudium est, & conuiuium peccatori ignoscere; vt ostendit in parabola filij dissipatoris: facit enim conuiuium, & ait: *Epulari & gaudere oportebat: quia frater tuus mortuus erat, & reuixit.* Qua in re summa Dei apparet misericordia. Maximum quidem malum peccatum est, & maius omni pœna: quia pœna creaturam offendit, culpa verò Deum. Et cùm infinitum sit malum peccatum, quia in Deum est, alia parte benè nobiscum actum est, quòd Deus sit offensus peccato, & non creatura. Tot enim ac adeò grauia sunt peccata, vt nulla creaturæ patientia satis esset, vt illa sustineret: cùm verò peccatum sit in Deum, qui infinitè patiens est & misericors, non citò irascitur, sed *sustinet in multa patientia vasa iræ apta in interitum dissimulans peccata hominum propter pænitentiam,* & parcit illis, & leui pœnitentia, ingentia donat crimina. Ideò hoc tempore Magdalena accessit, & Christus se inuitari voluit, quia in Magdalenæ conuersione gaudium, & lætitiam, & conuiuium parat.

Magdalena cur in conuiuio irruat.

Ioan. 4.

1. Thess. 4.

Psal. 50.

Luc. 15.

Peccati grauitatem creatura non tolerat sed Deus.

Rom 9.

Sap. 11.

Sed nunc intueri libet mirabiles Magdalenæ oculos, capillos pulcherrimos, manus vnguentis plenas, cor amore seraphico ardens: in his. n. videbimus diuinæ misericordiæ insigne, & eiusdem vexillum erectũ in Magdalena. *Lachrymis cæpit rigare pedes eius,* &c. En lachrymas, quæ aquæ sunt, de quibus illud meritò accipi potest: *Aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* Cæli quidem iusti sunt, vt Abel, Noë, Abraham, &c. Sed super cælos istos aquæ sunt, dum Magdalena & Petrus lachrymis ac pœnitentia excesserunt eos. *Rupti sunt omnes fontes abyßi magnæ,* in Magdalena aquæ plurimæ lachrymarum sunt, quæ procedunt ex eius oculis,

Magdalenæ oculi.

Psal. 146.

Gen. 7.

oculis, vt à terra, & ex diuina gratia & auxilio, vt è cælo. In his verò lachrymis & diluuio omnis caro consumpta est, omne peccatum deletum; spiritus verò in sublime elatus est, tanquam arca, cælosque penetrauit.

Sed iam capillos Magdalenæ contemplemur. Capillis tergebat pedes Christi, capillis illaqueabat Christum, vel potius seipsam ligabat cum Christo capillis suis, vt ab eo duceretur in sublimem Ierusalem. Mirabiles profectò capilli, qui scala cæli facti sunt. Si omni iusto dictum est: *Capillus de capite vestro non peribit*: Et, *vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; iure optimo de Magdalenæ capillis id pronuntiari potest, qui ad pedes Christi sanctificati sunt. Cùm verò capillis cogitatio significetur hominis, Magdalenam imitari possumus, si cogitatione & meditatione pia nos Christo ligauerimus, vt ad cælestia ab eo ducamur. Capilli Magdalenæ. Luc. 21. Matt. 10.

Manibus verò vnguenta defert, quibus pedes Christi vngat. Multa illi erãt pretiosa monilia, nec aliquod eorum defert, sed duntaxat pretiosum vnguentum. Aspexit enim vniuersam suam vitam, & pessimum peccatorum odorem sensit, quem Christo molestissimum fore putauit; & ideò *alabastrum vnguenti* defert. Nouit enim Deum bono odore delectari: phialas enim in templo plenas esse voluit odoramentorum. *Mulier fornicaria quasi stercus in via: sed iam bonus odor Christo* facta est Magdalena, & *repleta est domus* Ecclesiæ *ex odore vnguenti* illius, & exempli pœnitentiæ. Eccl. 9. 2. Cor. 2. Ioan. 12.

Vidimus in B. Magdalena diuinam misericordiam ac bonitatem superantem illius malitiam, ac penitus delentem, subijcientemque sibi Magdalenam: quod in omni electo similiter fit. Restat nunc videndum in reprobis, hominis malitia quasi superet diuinam bonitatem, quod impossibile est. Superaret certè hominis malitiam diuina bonitas, nisi sua obstaret duritia. Quia verò Deus hominem fecit liberum, & *reliquit in manu consilij sui*, cum omnino subijci Deo non vult, relinquitur à Deo, & certamen dissoluitur nullo superante. Sed ingens profectò malitia est, quæ à Dei bonitate nõ superatur in certamine: ingens duritia, quæ tot beneficijs resistit: ingens peruicacia, quæ tot vocationibus non obedit: impia fortitudo arcis, quę tot machinis nõ

cedit. Oremus ergo Deum, *vt rebelles nostras ad se compellat voluntates*, non quidem vi facta, sed diuina gratia, qua nos cum Magdalena post se trahat, *vt curramus in odorem vnguentorum suorum* &c.

Ecclesia.

IN FESTO S. IACOBI Apostoli.

THEMA: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Possumus.* Matth. 20.

Aug. in ser. 2 cuiusd. mart. & lib. 18. de ciuit Dei ca. 52. *Act. 12.* *Translationis corporis S. Iacobi memoria agitur hodie.* *Clem lib. 7. strom. Euse. lib. 2. Eccl. hist. c. 8. Niceph. lib. 2. c. 12.*

INter Apostolos certum est solum Iacobum in Hispaniam venisse, & Christi fidem prædicâsse, vt Augustin. asserit. Hispaniam etiam sacro suo corpore voluit honorare. Mortuus fuit 1. Aprilis eadem die, qua Christus. Sed celebris dies hodie agitur, quia hodie in Hispaniam corpus eius deuenit. Fuit illius martyrium celebre multis de causis; tum quia fuit primus Apostolorum, qui martyrium sustinuit; tum quia omnes Apostoli ei morienti astiterunt: nondum enim dispersi fuerant per vniuersum mundum; tum præcipuè quia adfuit eius martyrio beatissima Virgo Maria, coram qua tam fortiter egit, & tam mirabilem ostendit animi constantiam, vt eam miratus is, qui eum ad tribunal adduxerat, se in Christum credere professus est, & cùm veniam à Iacobo peteret, ei respôdit, Pax tibi sit; & simul cum eo martyr effectus est. vt nos similiter accendamur, ad calicem Christi bibendum gratia opus est, quam per Mariam petamus.

D. Iacobi excellentia. *Matt. 17. & 28.* *Marc. 5. 9. 14.* *Luc. 8 9.*

Ex vniuerso mundo duodecim elegit Christus in socios, vt essent cum eo: sed inter hos duodecim tres elegit, quos præcipuo loco super alios esse voluit; in quos maiora dilectionis signa ostendit, & sibi singulariter in socios adiunxit, quos Transfigurationi adesse voluit, & tristitiæ suæ in horto, & suscitationi filiæ Archisynagogi: his nomina noua singulariter indidit, eò quòd ex duodecim illos singularius delegerat. Simonem appellauit Petrum, at *Iacobum & Ioannem fratrem eius vocauit Boanerges, id est, filios tonitrui,* vt

vt Marcus explicat: significans eos tonitruum mundo futuros fuisse. Qua ratione Ioannes tonitruum fuerit, præter eius miram prædicationem ostendit Euangelium eius, in quo veluti de cælo intonans clamat & dicit. *In principio erat Verbum.* Iacobus verò noster tonitruum dicitur, eò quòd diuina dogmata mundo intonuerit velut tonitruum quoddam de cœlo auditum. Id ab eo factum argumento est, quòd eum Herodes ante omnes alios neci dedit, gratificaturus Iudæis: & sic primus Apostolorum martyr extitit. Sicut autem tonitruum fit ab igne in nube incluso, illam disrumpente; & tunc apparet lumen, quod intus latebat: ita lumen fidei & charitatis in Iacobo inclusum apparuit in morte, qua eius corpus disruptum fuit. Vt Madianitæ superarentur, electi sunt 300. viri, qui fregerunt lagenas, & tunc apparuerunt lampades, & tubis personuerunt, & castra Madian superata sunt & turbata. Quo certaminis genere nobis ostendit Deus, qua arte ab eo superandus mundus esset. Thesaurus fidei & charitatis in vasis fictilibus erat absconditus, tanquam lampas in lagena: apparuit verò lampas illa, dum confractæ lagenæ sunt, dum *corpora morti tradiderunt propter Deum*, & tunc tuba Euangelij personantes & sanguinem fundentes mundo admirationi fuere, & *conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo: & annunciauerunt opera Dei, & alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra*, hoc tonitru intonante: & *fulgura in pluuiam fecit*, dum prædicatione Apostolorum terra irrigata fuit. Quia ergò Iacobus primus Apostolorum hoc martyrij tonitruum mundo erat daturus, meritò tonitruum à CHRISTO dicitur.

Iacobus filius tonitrui. *Ioan. 1.* Simile à phisica ratione. Allegoria. *Iudic. 7.* *Origin. hom. 9 in cap. 7. Iudic.* *Psal. 63.* *Psal. 96.* *Psal. 134.* *Hieron. ibid.*

Sed ecce in die sollenni B. Iacobi proponitur nobis eius & fratris ambitio; quomodo ea in tantis viris reperiri potuit? Homines erant, & ideò nihil humani ab eis alienum fuit. Nec mireris, quando in iustis vides defectum aliquem. Homines sumus, *natura filij iræ, de terra terreni.* Inseritur in nobis diuinū verbū, quod potest saluare animas nostras: omnia opera nostra, quę ab hoc verbo & à gratia procedunt, cælestia sunt & diuina. Quia tamen vt in arbore nobis relictus est

Apostoli quomodo ambitiosi. *Eph. 2.* *1. Cor. 15.* A simili.

truncus prioris Adæ, aliquos producimus ramos nobis natiuos, affectus humanos, quibus nos homines esse declaramus. Et hoc in Apostolis etiam accidit, præcipuè ante diuini spiritus aduentum & plenitudinem.

Sed petitionem Iacobi & Ioannis per matrem factam attendamus: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Duplex quidem regnum Christi est: alterum, quo *Dominus regnauit à ligno*: vbi Crux thronus, spinea corona ei diadema fuit, & titulus Regius, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. Alterum regnum eius in cælo est ad dexterā Patris in gloria & maiestate Nūc ergò discipuli petūt dexteram & sinistram in regno opulēto Christi, vel in cælesti, vel terreno. CHRISTVS verò promittit eis calicem, & dexteram ac sinistram in regno priori, in tribulatione scilicet. Quia vero nihil illi cogitabant de crucis regno audiunt. *Nescitis, quid petatis.* Multa bona hominibus promissa erant, tempore Messiæ danda, vt Isa. ait: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in & tabernaculis fiduciæ; et in requie opulēta.* Hęc verò erant bona gloriæ & beatæ patriæ, quam nobis Messias tribuit: & præterea multa bona spiritualia in hoc seculo, ex quibus pax & gaudium procedit; quod est *centuplum* illud, quod nunc promittitur. Iudæi mūdo huic affecti expectabant Messiam bonis caducis, ac perituris abundantem, vt Salomonem: sed *regnum* Christi *non est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Discipuli ergo temporalia petunt, & ideo nesciunt, quid petant. Quis hominibus hanc persuadebit veritatem, nescire quæ petunt, cùm temporalia petunt. Desiderat iuuenis substantiam amplam, vestes pretiosas, nomē magnum in terra: desiderat puella pulchra in omnium oculis haberi. O homines *nescitis, quid petatis. Filij hominum vsquequo graui corde; vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Videt mater filiam comedentem, & lachrymatur, dicitque, cito morietur filia mea. Quid putas tibi terrena omnia esse nisi quod terra corpori? Quæris alienam substantiam? venenum quęris. Quęris mulierem, vt concupiscas eam? venenum quęris. Quęris vindictam? venenum quæris. *Nescitis, quid petatis.*

Regnū gloriosum.
Vide in festo S. Ioan. ante port. Latin.
Regnum crucis.
Isa. 38.
Matt. 19.
Rom. 14.
Temporalia petentes nesciunt quid petant.
Simile.
Chrys.
Gen. 3.
Aug. in Ps. 103. conc. 5.
Terra esca serpentis.

Sed ais: in lege gratiæ promiſſa eſt requies opulenta, gaudium, & lætitia, vbi ergo hæc ſunt? In calice Chriſti, in cruce, & vita aſpera. Et ideo regnum cælorum dicitur *theſaurus abſconditus*. Quid magis abſconditum, quàm vita ſub morte? honor ſub ignominia? gaudium ſub aſperitate? Attende theſaurum abſconditum in Chriſto, cui Propheta ait: *Verè tu es Deus abſconditus*, regnum illius abſconditum in cruce eſt, ibi *abſcondita eſt fortitudo* eius; ibi abſcondita eſt Chriſtiana dulcedo, *quam abſcondiſti timentibus te. Bibite ergò amici, & inebriamini chariſsimi.* Dat ille potum, qui vitam tribuat, & ſitim extinguat: & *calix meus inebrians quàm præclarus eſt*? Sitiunt alij, & petunt potum, ſed è calice mulieris Babylonicæ, qui aureus eſt, ſed veneno plenus: dat autem Chriſtus calicem ſuum non aureum, ſed luteum, *in vaſis fictilibus*, at nectare diuino plenum. Non ergo eis theſaurum negat, ſed potius vbi ſit oſtendit. In calice ergò Chriſti nos eum quæramus, ibi abſconditus eſt. Præterea rectè dicit Chriſtus: *Neſcitis, quid petatis*. Diſcipuli ambitionem ſuam & ſe non agnoſcebant, nec ſuperbiam ſuam videbant, ideoque medicinam non quærebant. Permittit ergò Chriſtus, vt petant, quod neſciunt, vt ab eo curentur & ſanentur. Sed quoties nobis ſimile quid accidit? Latet in mente ægritudo ſuperbiæ, ambitionis, impatientiæ; & quia id non agnoſcit homo, ſibi non medetur. Permittit verò Deus, vt in opus exterius exeat, quod intus latebat in mente, vt ſe agnoſcat, & medicinam adhibeat. Sic Petro contigit nimium ſibi fidenti: idem accidit nunc Iacobo & Ioanni. Sed tamen *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. etiam peccata, vt Auguſt. ait; quia ex eis ſui cognitionem colligunt, & ſanitatem: dicuntque cum Pſal. *Bonum mihi, quia humiliaſti me*. Cùm ergo peccata tua videris, ex illis prauas tuas affectiones & inclinationes agnoſce, vt illis mederis.

Requies in cruce & calice Chriſti.
Matt.13.
Iſa.45.
Abac.3.
Pſal.36.
Cant.5.
Ioã.4. & 7.
Pſal.28.
Apoc.17.
1.Cor.3.
Calix Chriſti & mulieris Babylonicæ.
Rom 8.
Aug. lib.1 de ciuit. Dei c. 28.
Pſal 118.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? En porrigit illis potum calicis ſui aduerſus venenum, quod biberant è calice Babylonico, vt illud euomant, quod mortiferum eſt. *Dicunt ei: Poſſumus*. Viriliter reſpondent, *Poſſumus*, non agnoſcentes infirmitatem ſuam, & virilius perfecerunt, quàm verbis dixerunt. At Chri-

A ſimili.
Calix Chriſti quomodo biberit D. Iacobus.

tende B. Iacobum, quomodo impleuerit, quę promisit. Christo in cælum sublato prædicauit in Ierusalem: & & cum inde expelleretur, in Hispanias venit, longissimo itinere suscepto. Ei acceptam referat fidem suam Hispania, quæ durior fuit ad Christi fidem suscipiendam: sed quam difficilè recepit, diu retinuit, nec vnquã deseruit: & nunc hæc in Indiam Orientis & Occidentis, in Insulam Iaponiam, & Sinarum latissimum ac remotissimum regnum fidẽ Christi deduxit. Et verè apud Iaponios & alios Indos tantus religionis ardor, tanta vitæ sanctitas, vt nobis timendum sit, ne nobis derelictis illo transmigret Christus. Dereliquit Dominus veterem Synagogam, & in nouam transmigrauit Ecclesiam, à qua nunquam recedet: & ab hac, vel illa gente, ac prouincia, recedere nouit. Caueamus ergò, ne à nobis discedat. Caueamus simile crimen Synagogæ, ne in simile incidamus iudicium. Abiecit Iudæa Christum, transmigrauit in gentes: reijcimus nos illum, properat in Indos.

N. B. Hispaniæ cõmendatio.

Admonitio elegans pro nobis.

Reijcis tu Deum alius suscipit.

Calicem quidem meum bibetis, &c. id est, sicut ego passurus sum, & vos patiemini. In his verò verbis aliqua notanda sunt. 1 ingenium malorum esse, quòd tribulationes, quæ eis à Deo proueniunt, non à Deo sibi venire credunt, sed ab his, qui potius Dei virga sunt. Adest tibi tribulatio, infirmitas, persecutio, Deum non cogitas, à quo malum pœnæ in nos proficiscitur. iuxta illud Proph. *Si est malum in ciuitate, quod non fecit Dominus.* Hinc fit, vt tribulatione non proficias. Contrà verò iustus, cùm tribulatur, diuinam agnoscit manum ipsum flagellantem. Hinc Iob: *Manus Domini tetigit me.* Et Dauid. *Dominus præcepit, vt maledicat mihi.* Hac ratione nunc Christus ait: *Calicem meum bibetis*; calicem suum dicit, quia ab ipso eis propinatur. Hinc etiam fit, vt iusti tribulatione proficiant, & humilientur sub potenti manu Dei. 2. colligendum est, auidè arripere nos debere hunc calicẽ. Cùm enim sit Christi calix, non potest nõ esse nobis salutaris. 3. attende calicem iustis dari, qui breuis mensura est: quia *momentaneum & leue tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis.* Calix minor mensura est, quia *potum dabis nobis in lachrymis in mensura*, & quidem breuissima:

Tribulationes à Deo sunt, & quomodo.

Amos 3.

Iob 19.
2. Reg. 16.
Calix Christi auidè arripiendus.

2. Cor. 4.

Vt

Greg. 20 lib. Moral. [illegible]

vt postea cũ D. Iacobo audiamus: *Vos estis, qui permansistis mecũ in tẽtationibus meis: & ego dispono vobis regnũ.* &c. Fuisti ad Christi dexteram in regno tribulationis primùm, eris ad dexteram in regno opulento & magnifico: bibisti calicem passionis, bibes & calicẽ gloriæ, vbi *Dominus pars hæreditatis, & calicis est.* Beata pars, *præclarus calix,* verè *inebrians,* & implens omni bono. &c.

Luc. 22.
Vide plura de hoc Euang fer. post dom. 2. Quadrag.
N. B.
Psal. 10.

IN FESTO B. ANNAE, MAtris Mariæ Virginis.

THEMA: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* &c. Matt. 13.

MVlta in laudem B. Annæ dici possunt, sed omnium radix fuit, quod mater Marię, & Christi auià fuerit. In hac verò die propitia nobis Maria erit, vt de laudibus matris eius dicamus. eam salutemus, Aue Maria.

Traditio est Ecclesiæ, à gratissimis accepta patribus, Ioachim & Annam, nobilissimos filios Dauid, Mariæ fuisse parentes. De vita quoque ac moribus Ioachim & Annæ asserunt eos fuisse sanctissimos, & per 20. annos prole caruisse: quia Anna erat sterilis. Et ideò à Sacerdote despecti, orauerunt & ieiunauerunt 40. diebus, substantia in tres partes diuisa; quarum vna templo, alia egenis, tertia sibijpsis cedebat: & Angelus eis apparens Mariæ ortum nuntiauit. Sic ergo illam salutare licet.

Canis. lib. 1. cap. 4. de B. Maria.
Hippol. mar.
Niceph. lib. 2. Eccle. hist. c 3.
Epiph. lib. 3. cont. Collyr. hær. 69.

Damasc lib. 4. de Orthodox. fid. ca 15. Anatol. in cant de Mar. natiui. Georg. Cedr. in comp. histor. Aug lib. 23. cont Faust c. 9. Greg. Niss hom. de Christi generat. Hieronymus.

Salue parens sancti ssima,
Sacro beata coniuge
Sacratiore filia,
Nepote sacratissimo.

Et Rodolphus Agricola Frisius ait:

Conspicuos præstant alios benefacta parentum,
Tu contrà Natæ nobilitate nites.

Ex dictis ergo Annæ dignitatem & sanctitatem pensemus.

Christi esse progenitorē res magna. Gen. 17. 2 Reg. 12. Tanquam ingens beneficium promisit Deus Abrahæ & Dauidi, progenitores Christi esse, licet à longè. Si autem esse Christi parentem à longè res tanta est, vt cadat in faciem Abraham, quasi pondus beneficij tanti ferre non sustinens; & maximum quod Dauidi inter innumera beneficia concessum fuit, id esset; & quia in Ezechia non complebatur, fleuit fletu magno: quāta obsecro res erit, parentem esse Christi, vt auia est *Isa 38. Hieron. ibi.* Anna? Christus filius Mariæ, vt homo, est sine patre, & ideo cum solius virginis filius sit, magis ad Annam pertinet, quàm alij nepotes ad auias, qui patrem habēt. Attende nunc quàm sit propinqua Anna Christo Domino gratiæ fonti: sola Maria media est; & ideò gratia præcipuè ornata. Maria arca est diuinorum sacramentorum, in qua Deus inhabitat; Anna sanctum sanctorum, in cuius vtero Maria est. Si verò sanctum sanctorum tanta fulsit gloria & diuitijs, quot gratijs ornatam putabis Annam, vt Mariæ locus conueniens esset? Auia nepotes ardenter diligit: an non Anna nepotem Christum summè dilexit? Ille verò *diligentes se diligit.* *Prou. 8.* Et quanto gaudio ipsum complexa est in gremio iam natum, fouit in gremio, quis facilè dicat? sic vicissim ipsam CHRISTVS complexus est amore singulari.

Annæ Mariæ matris dignitas Sed iam expendamus aliam ipsius dignitatem, quòd Mariæ mater sit: qua ratione multas ei concessas gratias manifestum est. Vt DEVS Baptistam & Præcursorem suum omnibus commendaret, sanctissimos dedit parentes: quales obsecro Mariæ parentes *Ambr. in Luc. 1.* esse debuerunt? Plus obtinet Maria, quàm vniuersus cætus Sanctorum: & quæ digna Mariæ mater futura est, dignior esse debet, quàm mater omnium Electorum. Sicut se habuit ac gessit CHRISTVS cum Maria; sic se habuit Maria cum Anna matre, implens præceptum de honoratione parentum. Sicut summa vnio Christi cum Maria, ita summa vnio Mariæ cum Anna Sicut Maria dedit CHRISTO esse humanum, & immensas ab eo recepit gratias: ita Maria accepit ab Anna esse humanum; ei verò

contu-

contulit multa dona gratiæ. Certè maxima gloria Annæ Maria est. *Filius sapiens gloria est patris*, Christus ergò Mariæ gloria est: Annæ verò gloria Maria est Dei mater, & cæli regina, quæ non obliuiscitur matris suæ. Magna profectò gloria.

Sed sigillatim conceptionem, natalem, & conuersationem Mariæ expendamus, ex quibus Annę gratiam maiorem colligemus. Et primum Conceptionē. Tanta sanctificationis gratia Ioanni est concessa, vt redundaret in matrem, quam Spiritus S. impleuit: cur hoc ipsum non credamus in Mariæ sanctificatione effectum? cùm hæc fuerit copiosior illa. Sed felicissimam horam illam contemplemur, in qua Maria nata est. Nata quidē filia Annæ fuit: sed ob quam summo gaudio perfusa fuit: nec vllus esset filius, qui similem ei lætitiam conferret.

1. Conceptio Mariæ matrem digniorem facit. Beda in Luc. 1.

2. Natiuitas Mariæ matrem Annā clariorem reddit.

Attendendum verò est tres ob causas desiderari potius filium, quàm filiam à parentibus. 1. quoniam viri dignitates Reip. obtinent, fœminę verò non ita, sed earum fortuna est, si probæ sint. 2. quia fœminæ maiori cura seruandæ ac custodiendæ sunt. 3. quia vt in statu collocetur fæmina, multa opus est pecunia. Hæc autem omnia in Maria locum non habent: & ideò illa est filia melior omni filia, imò & filio. 1. enim tanta ei dignitas seruata est, vt infinita sit; tantus honor, vt ab omni creatura, imò & à Deo ipso in maximo honore habeatur. quin & ipse Dei filius fuit subditus illi. Secundum etiam in Maria locum non habet: nec enim opus est parentibus, nimia cura Mariam seruare. Præcipua enim mulieris custodia est virtutis studium, & diuina gratia. Hanc verò sic participauit Maria, vt in illa confirmata, nec veniale peccatum admittere, aut imperfectionem posset: & è cælo data est ei custodia illa, de qua in Cant. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt & fortißimis Israel*. Eam vidit Dionysius Areopag. Angelis circunseptam. Non multa igitur cura parentum opus erat, vt Mariam seruarent. Nihilominus tamen in templum ducitur puella, vt nos doceat occasiones fugere cùm infirmi sumus, quas illa fortissima fugit. Tertium etiam in Maria locum non habet: dos enim à Deo ei concessa est; parentes non

Filius cur magis à parentibus desideretur, quam filia.

1. 2. 3. Maria melior filia omni filio.

1. 2. D. Augu. de nat. & grat. ca. 36. Concil. Trid. sess. 6. can. 23 Cant. 3.

3.

grauabit. Adamauit verbum diuinum Mariam, eique desponsari voluit, eamque dotauit dote bona: tot enim ei gratias contulit, vt eas explicare Seraphini non valeant. In reliquis coniugijs dotatur fœmina; vt quod illi ex natura deest, dote suppleatur: Maria virum excedebat in immensum, & ideò sponsus Ioseph dotandus est, vt Mariæ coniugio sit dignus.

3. Conuersatio Mariæ matrem nobilitat.

Prouerbium.

N.B.

Iam tertium expendamus, conuersationem Mariæ cum Anna Matre. Si aliqua fuisset Mariæ pedissequa, sanctissima redderetur Mariæ conuersatione: quid obsecrò de Mariæ matre Anna credendum? Modus communis, quo bona educatur filia est, si bonam habeat matrem: nam vulgò ex bona matre bona procedit filia. Vt Maria instituatur in omni perfectione, cõcessa ei Anna est, omni ornata perfectione. Qualis igitur est Anna, quę mater, magistra, doctrixque Mariæ fuit, & exemplar, in quod illa intuens opera virtutum præstaret?

4. Præsentatio Mariæ in tēplo Annam gloria cumulat.

Quodnam munus acceptabile.

Sed & maximas gratias Annæ concessas colligere possumus, quòd Mariam in templo Deo obtulerit, tanquam munus præclarum. Duo munera oblata Deo sunt gratissima. 1. Christus Dominus, quem ei obtulit Maria in templo. 2. verò Maria est, quam offert Anna: cui post primum nullum æquale est. Nihil in hoc munere desiderari potest: omnia enim, quæ præclarum reddunt munus, habet. 1. conueniens est Deo, cui offertur. Maria enim maximè Deo est conue-
1. niens; vnde Angelus, *Inuenisti gratiam apud Deum* 2. ap-
2. tum hoc munus Deo fuit, vt carnem indueret huma-
3. nam. 3. quia obtulit hoc munus Anna præcipua vo-
1 Re. 1. & 2. luntate, maxima deuotione: nihil ergo in hoc munere
2. Reg. 7 desiderari potest, vt Deo sit gratissimum. Multa ergo
3. Reg. 8. sine dubio dona Annæ sunt concessa, cùm Mariam obtulit; plura sanè, quàm Annæ Samuelis matri; aut Dauidi vel Salomoni templum Deo ædificantibus: ædificatam enim domum obtulit, non quale templum illud fuit, sed digniorem cælis, Thronis, ac Seraphinis.

Gloria Annæ in cælis ob

Sed quis assequi poterit, qua gloria & gaudio prædita sit in cælo Anna, cùm videat filiam suam ad dexte-

ram

ram Christi in eminentissimo loco super omnes cælos exaltatam, tanquam dominā vniuersorum. Non enim est Sarai, id est, domina mea, sed Sara, id est, Domina, absolutè omnium; quia Dei Mater. Ille gaudium hoc Annæ explicabit, qui Mariæ immensam dignitatem & gloriam, ac honorem dicere valeat. Ex his verò laudibus Anna participat, quia mater est. Sicut autem illa Mariam pręcipuo amore diligit naturali & supernaturali: ita à Maria diligitur amore maximo & gratuito. *assumptione filiæ Mariæ. Sarah ἄρχουσα domina.*

Sed videndum restat, in quibus Annam imitari debeamus. Primò in maxima fide ac spe. Cùm viginti annis orauerit, vt proles ei concederetur: & licèt se viderit sterilem, *non considerauit corpus suum emortuum,* sicut & Abraham: & sic tandem obtinuit. Diffidentia in anima multa mala operatur, sicut contra spes multa bona. Quoniam qui desperat, tristis primùm efficitur, deinde ineptus operi exercendo; & inde procedit, opera bona relinquere; ait enim: Inutilis est labor meus, derelictus à Deo sum; omnis operatio mea similis est ictibus mallei in ferro non candenti. Sed quænam radix tanti mali? Certè spei fundamentum est diuina bonitas, eius promissio ad nos facta, Christique merita: Ita desperationis fundamentum est nostra miseria, ac defectus; quem videntes desperamus. Inde etiam occasionem desperandi sumimus, quòd diuinas promissiones in longum protrahi, ac differri cernimus. Oramus, nec exaudiri videmur. Ita D. Annæ contigit. Hic profectò opus est magna fide, quali prædita fuit Chananæa, & Anna Samuelis mater. Hinc Paul. *Patientia vobis opus est, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromißionem.* Sic Iosepho & Dauidi principatus promissus est, sed diu expectatus. Velles quidem cùm oras, exaudiri statim, liberari à tentatione, iuuari in necessitate: sed dico tibi, *expecta, reexpecta. Nonne agricola patienter expectat terræ fructum*; tu non expectabis cælestem? Sed cur Deus in longum differt, quod statim potest concedere? Temporalia quidem differt, vt spiritualia præstes opera, & sic cælestia acquiras, quæ potiora sunt; & deindè temporalia; & sic plus tibi concedit, quàm tu petas.

Anna in quibus imitanda.
1.
Gen. 15. 17.
Rom. 4.
Hebr. 11.
Chrys. serm. de martyr. quòd aut imitandi, aut non laudandi, tom. 3.
Bern. serm. in vig. apost. Petr. & Pau.
D. Leo hom. de martyr.
Aug. serm 4. *de martyr.* 47 *de Sanctis.*
Matth. 15.
1. *Reg.* 1.
Hebr. 10.
Isaiæ 28.
Iacob 5.

Ita cum Anna factum est. Spiritualia quidem non ita differt, quia statim aliquid præstat: si verò differt, ideò facit, vt illud merearis orans perseueranter, & vt illud magnifacias. Quid enim putas spiritualia esse, nisi the-
Matth. 13. sauros cælestes, & margaritas pretiosas? Attende, quisnam hic thesaurus sit, & videbis nihil esse, quod petitur. Thesaurus hic, margarita ista, non solùm diuina gratia & sapientia est, per quam Deus possidetur, imo ipse Deus, qui à nobis per hæc acquiritur. Sed quot nobis diuitiæ in Christo sunt, dici non potest:
Ephes. 3. quia *factus est nobis à Deo iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Imitanda est nobis etiam Anna in iugi oratione, in eleëmosynarum largitione: in eo etiam quòd orationi eleëmosynas adiunxit, vt misericordiam præstans misericordiam obtineret, &c.

FESTA AVGVSTI.

IN FESTO VINCVLOrum B. Petri Apostolorum Principis.

THEMA: *Misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia &c. Apposuit apprehendere & Petrum.* Act. 12.

MIRABILIS planè diuinæ sapientiæ dispositio est in omnibus, præcipuè verò in Eccle-
A mirabili Ecclesiæ dispositione. siæ fundatione & incremento: *vt innotescat principibus & potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*; id est, innotuit Angelis per Ecclesiæ succes-
Ephes. 3. & *ibi D. Thom.* sus, quos viderunt in Apostolis prædicantibus, diuina sapientia, mirabilis in Ecclesiæ gubernatione, quæ Angelis reuelata non fuerat ab initio. Certè mysteriū hoc est, Ecclesiæ fundatio per Christi crucem, Ecclesiæ persecutiones, Apostolorum cathenas & mortem.
1. Diuersum omninò iudicium Dei & hominum; imo & sanctorum & nostrorum. Nos quidem viles putamus cathe-

cathenas esse; abiectum dicimus pati, ac deijci; gloriosum vero, diuitias, honores, amplam domum posside-re: sed sancti gloriantur *in tribulationibus*. Hinc Paul. *obsecro vos ego vinctus in Domino*. Magna dignitas erat Paulo, & regno quouis multò maior, vinctum esse. Vinctum esse propter Christum illustrius est, quàm siue Apostolum, siue Doctorem, siue Euangelistam esse. Nouum hoc loquendi genus est, sed illud sancti didicere à nouo homine Christo, qui gloriam suam dicit, *pro hominibus pati*. Ad flagella & crucem properas Domine, & hanc dicis gloriam tuam? Vtique, quia ista pro dilectis patior. Si igitur Christus maiorem hāc reputat gloriam, quàm sedere in patrio throno; cur nos non reputemus beatos, si pro eo patiamur? Beatiores manus Pauli ligatæ, quàm dum Lystris claudum erexit, viperamque excussit. Cathenam enim tunc reuerebatur vipera: & vniuersum pelagus, quod absorbere non est ausum socios Pauli; quia ibi vinctus Paulus ducebatur. Non tanti æstimo vniuersa Sanctorum miracula, ac eorum vincula. Præeligerem cathenam, quàm mortuos suscitare. Sic enim ad discipulos Christus ait: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint*; non quia mortuos suscitatis. Attende Vinculorum pro Christo potentiam. Commotus est carcer vincto Paulo, *solutaque sunt omnium vincula*. Mirum est, quòd vincula soluant vincula: sicut Christi mors mortem interemit. Vincula quidem vinciunt, & impotentem reddunt; at vincula pro Christo soluunt, & potentissimum reddunt. Simili, qua Paulus cathena, ligatus fuit & Petrus; imo & cathenis. Et mihi si quisquam dixisset, vis esse Angelus Petrum soluens, an Petrus ligatus? Petrus vtique maluissem esse.

Cathenarum Nobilitas. *Rom. 5.* *Ad Philem.* *Paul. senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi.* *Chrys. hom. 8 in Ephe. 4.* *Ioan 17.* *Apostrophe ad Christū.* *Actor. 14. & 28.* 2. *Vinculorum pro Christo potentia.* *Chrysost. in Ephes 4.* *Matth. 5.* *Actor. 16.* *N. B.*

Sed meritò inquires, vnde tanta ista dignitas vinculorum pro Christo, quam Ecclesia hac die ostendit, cùm vinculis Petri festum diem agit, & infames carceris cathenas gloriosas dicit? quia illis ligatus Petrus pro Christo est: & Deus eas glorificauit, miracula earum tactu perficiens. 1. quia amor hominis in Deum in eis præcipuè ostenditur; 2. quia diuina gloria illis maximè illustratur. Amor in Deum, quia in bonis nō cognoscitur amicus, sed in aduersis pro eo sustinendis;

Vinculorum dignitas vnde. 1. 2.

dis;præcipuè dum cum Deo agimus;cui cum bona nostra dare non possumus, restat vt mala eius causa sustineamus. Diuina gloria;quòd serui fideles ei sint,qui etiam ab eo & propter eum tribulati, ei nihilominus inseruiunt.

Quare mirandum non est, quòd Deus Ecclesiam suam, quæ nouella plantatio erat, voluerit persecutionibus maximis versari, & primogenitum suum Petrum capi, in carcerem mitti, & cathenis ligari: nec ei durum id est, sed iucundum & gratum spectaculum. Vidit etenim eum regia cathena ornatum, vidit corona insignitum, gloria & honore circundatum. Sicut ergò rex ornari vult filios suos, præcipuè verò primogenitum: ita volens filios suos pati, præcipuè Petrum pati voluit. Sicut enim Pater cruce illum ornauerat, ita ille Petrum cathenis: hæc enim sunt ornamenta cælestia, quibus curiæ cælesti mirabiles apparemus.

Simile.

Cõparatio

His etiam ornamentis ornari voluit sponsam suam Ecclesiam, vt ei similis esset. Et ideò initio eam plus pati permisit; quia tunc vt sponsa amplius ornari debuit: nec ideò infirmior, sed fortior extitit Ecclesia; tunc in charitate amplius firmata & radicata fuit. Ex quibus colligemus, tunc præcipuè ornari animas nostras, Deoq; placere, cùm *communicamus passionibus Christi*. Places quidem tibi & mundi oculis, cum purpura, auro, & gemmis ornaris: at verò Dei oculis tunc pulcherrimus appares; cùm pateris; cùm pauper & nudus es; cùm doloribus vrgêris. Hæc vestis est nuptialis, qua ornandus es. Hanc vestem elegit Christus, vt Patri placeret; hanc omnes sancti, hanc hodie Petrus vinctus cathenis, qui nobis cùm Paulo loquitur: *Memores estote vinculorum meorum*: quæ non *erubuit Onesiphori domus*. Si aliqua pateris, memor esto cathenarum Petri, vinculorum Pauli.

Ecclesia nouella cur persecutionibus onerata.

Isaiæ 61.

1. Petr. 4.

N.B.

Coloss. 4.

2. Tim 1.

Vt verò horum memores simus, eorum historiam recolamus, quam in epistola nobis Lucas proponit, dicens: *Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia.* Manum mittere est aliquod opus incipere. Malignus profectò Herodes erat, quoniam vt Ecclesiam persequeretur, manus misit. Minister enim erat diaconis

nis magni & rufi, qui *mulierem sole amictam persecutus est*, quæ peperit masculum. Mulier sancta mater est Ecclesia, quæ *amicta sole* dicitur, quia dum superni luminis splendore protegitur, quasi sole vestitur: quia verò cuncta temporalis despicit, *luna sub pedibus eius* premitur Ideò verò dicitur in cælo esse; quia *conuersatio eius in cælis est*. Rufus verò dicitur Draco propter nimium sanguinem fidelium fusum. Draco etiam Rex Herodes est, rufus sanguine Iacobi, quem absorbuerat, & nunc in Petrum irruit, vt Lucas ait: *apposuit apprehendere & Petrum.*

Apoc. 12. Franc. Ribera ibid. Grego. 34. mor c. 12. Philip. 3.

Ostendit verò causam, cur non eum statim occiderit: *quia erant dies azimorum*: & ideò sedecim militibus vel 20. custodiendum tradidit. Post Pascha verò volebat eum producere populo, & eis illum tradere, vt occiderent.

Sed quid in tanto capitis discrimine Ecclesia facit? *Oratio autem fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo*. En Ecclesiæ remedium in omni periculo. Christus videns appropinquare sibi passionem orat, vt nos exemplo suo doceat, in tribulatione orationis quærere refugium. Posset Christus sine oratione in passione firmiter stare, sed orat, vt nos doceat. Quid tu, ô homo, agere debes? Nunquid tu Christo fortior, & Saluatore constantior? ille sine oratione præmia pugnæ noluit habere congressum: & tu in pericula irrues, oratione non munitus? Audi fortem Dauid, quid fecerit: *Ad dominum, cum tribularer, clamaui; & exaudiuit me* Et iterum: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui* Initio bellorum omnium orauerat Iudas Machabæus, & vicit: semel nō orasse legitur, & victus ac occisus est. Memento Moysen contra Amalech orasse, vt vinceret: Iosue aduersus Gabaon; Gedeon aduersus Moab; Iephte contra Amon; Sampson in ruina Philisthijm. Samuelem quid memorem, Ezechiam, Eliam Iudith, & Esther? In tuis ergò & tuorum periculis ora. Quid verò est oratio, nisi eleuatio mentis in Deum, qua se illi committit, auxiliumque sibi postulat? Ab amico auxilium sæpè postulas, & raro accipis: quia tibi sæpè auxiliari non non valet; Deus verò semper potens est auxiliari.

Ecclesiæ refugium in summo discrimine capitis sui. *N. B.* *Laurent. Iust c. 6 lib. de triump. agon. Christi.* *Psalm. 119. Psal. 114. 1. Mac. 3. 4. 5. 6 7. 8 9. Exod. 17. Iosue 10. Iudic. 7. 11. 14. 15. 16. 1. Reg. 7. 4. Reg. 19. 3. Reg. 17. 18. Damasc lib. 3. orth. fid. cap. 24.* *N. B.*

Nam

Rom. 10. Nam *diues est in omnes, qui inuocant illum:* simul verò vult nobis adesse; nec ei deest potestas, nec verò voluntas. Ideò IESVS dicitur; & quia proprium est ei & adiuuare, & saluare, Attende fructum orationis Ecclesiæ pro Petro *Descendit Angelus, vt eum liberaret.*

Cathenæ duæ mysticè quid velint. Allegoria. *Exod.* 28. Tropologia. *Grego. 2. par. past. curæ. c. 2. 34. lib. 1. epist. 24 & lib. 20. Mor. cap. 2. in Iob 29. Orig. hom. 1. in Leuit.*

Sed non sine mysterio factum est, vt Angelus Petrum reperiret constrictum duabus cathenis. Licèt enim Herodes sic eum vinxerat ad custodiam, Deus verò, qui Petrum cathenis ornare voluit, altius mysterium intendebat. Vt ergò secretum duarum cathenarum ostendamus, attendendæ sunt duæ aliæ cathenæ mysticæ, quæ in veste erant summi Sacerdotis, coniungebantque rationale cum superhumerali. Hinc tropologicè diuina voce præcipitur, vt in pectore Aaron summi Sacerdotis, rationale iudicij, vittis ligantibus imprimatur; quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat; nec indiscretum quid, vel inutile cogitet, qui ad exemplum alijs constitutus, ex grauitate vitæ semper debet ostendere, quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim lapides pretiosi insint, & in eis scripta nomina duodecim tribuum. Antiquos enim patres semper in pectore ferre, est, antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam

Beda c. 5. l. 3. de tabern.

tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cùm sanctorum vestigia sine cessatione considerat. Cathenulæ aureæ significant continuationem charitatis: quia sicut cathenula ex plurimis auri virgulis vna contexitur; ita charitas ex multifaria virtutum operatione perficitur. Duæ sunt, quia & erga Deum charitas est, & erga proximum. In mysterio igitur, duabus cathenis Petrus ligatus est: quia summus Sacerdos cùm sit, duabus in anima cathenis aureis ligatus erat, duplici

Ioan. 21.

scilicet charitatis actu in Deum & in proximum. Et licèt vniuersis hæc præcipiatur charitas, tamen amplior à prælato exigitur; & ideo cathena dicitur, qua ligatus & religatus est. Sed quia Petrus eam perfectissimam habuit, interrogatur à Domino ter, *Diligis me plus his:* vt triniæ negationi trinus amor responderet. Quoniam ternarius numerus est perfectionis. Et ideo ei tunc

ei tunc commissum est ouile Christi, tanquam dignio-ri, & plus quàm cæteris diligenti. Nunc à cathenis liberatur, non vt eas effugiat; sed vt immensis expletis laboribus Romam tandem veniret, & cathena tertia sub Nerone vinciretur. En cathenas tres Petri, respondentes trinæ amoris confessioni, quæ perfectissimam indicant charitatem. *Petrus cur liberatus.*

Ex Hierosolyma adduxit Eudoxia Augusta cathenam Petri, quam Pontifici monstrauit. Ille verò ostendit aliam, qua sub Nerone vinctus fuit. Et factum est, vt ipsæ cathenæ inter se connecterentur, vt vna fieret, quæ miraculis claruit. Et hinc festum hoc Vinculorum Petri institutum fuit &c. *De festi institutione. Breuiar. Roman. 1. Aug. Surius.*

IN FESTO DEDICATIONIS Mariæ ad Niues.

THEMA: *Beatus venter, qui te portauit.* Luc. 11.

INter alia, quę de Antichristo, & eius membris, memoriæ prodidit D. Ioannes vnum illud est, quod *aperuit os eius in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos, qui habitant in cælis.* Quod est Dei tabernaculum, quod post Deum ab eo est præcipuè blasphemandum, nisi Maria, *quod altissimus sanctificauit?* Cuius rei initia nunc in Anglia Germaniaque passim videmus, cùm innumeræ dicantur blasphemiæ in Mariam & sanctos: quibus à nobis occurrendum est præcipua veneratione ac laudibus: ad hoc gratia nobis est opus &c. *Apoc. 13. Psalm. 45. Maria cur veneranda.*

Omnes sancti à nobis honorandi sunt, vt filij Dei, quos Deus ipse honorat: vnde ad Heli ait; *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et Christus: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cælis est* præcipuè tamen veneranda est Maria, non latria, quæ soli Deo debetur, sed hyperdulia, quæ soli Mariæ tribuitur, vtpotè quæ vniuersos Sanctorum ordines inæstima- *Damasc. l. 4. de fid. Orth. cap. 16. 1. Reg. 2. Ioan. 12.*

biliter excedit : vt piè credatur plus gratiæ ac gloriæ ipsam possidere, quàm vniuersus Sanctorum cœtus.

Aliæ etiam rationes sunt, quibus Mariæ singularem debemus reuerentiam, amorem, cultum. Et prior
1. illa est, quòd illa singulari nos dilectione prosequitur tanquam mater: reliqui Sancti propinqui sunt, nostra quidem curantes, sed longè aliter quàm Maria. Quoniam illa nos respicit tanquam membra filij sui, & ita nos tanquam mater fouet. Secunda est, quia vni-
2. uersalis omnium hominum, & omnium malorum aduocata est. Sicut enim Pharao nihil dabat sine Io-
Gene.41. seph: sic Deus nihil dat nisi per Christum; qui nisi matris intercessione nihil boni ad nos descendere facit. Decreuit enim Deus nihil dare nisi per Mariæ in-
Bern. de Maria cur Euangelistæ pauca. tercessionem, vt ait D Bernard.

Sed cùm tanta Maria sit, pauca de ea Euangelistæ locuti sunt. 1. quia ineffabilibus hic debetur honos, vt
De Antonin. 4. part. sum. tit. 15. silentium illis sit laus: ne cùm multa dicta sunt, omnia putentur dicta. 2. si pro dignitate de Maria loquendum esset, occasionem fideles sumerent colen-
1. di eam, vt Deam: sicut Collyridiani fecerunt, qui Ma-
2. riam adorabant tanquam Deam, & sacrificia panis
Epiphan. hære. 79. cont. Collyrid. ei offerebant. 3. vniuersa, quæ de Maria dici poterant, colligi possunt ex illis verbis: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Considerandum enim no-
3. bis est, Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginem;
Maria perfectißima Dei imago. ab ipso summo conditore summa arte, singulari prouidentia depictam. Vnde cùm de ea audis, quòd Dei mater sit, debes inde reliqua colligere, sicut ex vngue leonem. Atque adeò vniuersas Mariæ laudes vnico verbo collegit hæc mulier de turba, dicens: *Beatus venter, qui te portauit.* Verè dictum est à Sapiente, *Mag-*
Eccli. 3. *na potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Hæc enim potentia hic apparet, quòd blasphemantibus cum Pharisæis & Scribis, ab humili muliere de turba honoretur: *eligens infirma, vt confundat fortia.* Dicunt a-
Mulieris vox. liqui hanc mulierem fuisse beatam Marcellam, quæ Marthæ ministrabat. *Loquente* ergò *IESV ad turbas* extulit illa vocem. Illuminata à Deo fuit, dignita-

tem

tem loquentis agnouit: & pulſo omni timore maximo affectu eum laudat, parata mortem oppetere pro Christo. Vnde Eccleſia dicere didicit: *Beata viſcera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni patris filium: & beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum.* O beata mulier, quæ laudare cæpiſti Mariam, non in penetralibus, vt Gabriel; non in propria domo, vt Elizabeth; ſed coram omnibus, etiam coram hoſtibus acerrimis, perfecta in charitate, foras miſſo timore, Chriſtum & Mariam laudas cum maximo vitæ diſcrimine. Et quod poſteà Apoſtoli & Martyres præſtitêre, laudantes Chriſtum & eius matrem coram inimicis; tu nunc præſtas, & ducem te eis præbes atque magiſtram. Mulier videbaris infirma; ſed certè virago es: & typum geris Eccleſiæ, quæ à te edocta, publicè CHRISTVM & Mariam confitetur. Tu capita hæreſeon amputas: quoniam eam dicens matrem, CHRISTVM verum hominem oſtendis; & beatam nuncupans, Deum dicis. De Maria verò omnia dixiſti, cùm DEI matrem eam appellâſti.

Eccleſiæ vox.
Apoſtraphe ad mulierē Chriſtū laudantem.
Contra Neſtorium.
Contra Arrium.

Sed in hac laude attendendum eſt, non dixiſſe Mariam beatam, quia à Deo acceperit, ſed quia Deo dederit: *Beatus*, ait *venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*. Beata quidem Maria eſt propter dona, quæ à Deo accepit: ſed nunc hæc beatitudo vel tacetur, vel innuitur ſolùm, Commendatur verò, quia Deo dedit: quia ille planè beatiſſimus eſt, qui Deo plura & maiora dat. Et licèt magnum ſit à Deo dona accipere, tamen maius eſt illi dare. Hinc eſt, quod pati pro Deo, & omnia eius cauſa relinquere, præfertur multis alijs pijs operibus: quia in illis Deo damus, in his verò potius recipimus. Sic Paulus dixerat innumeras Dei reuelationes, & plura, quæ à Deo acceperat, tamen pro *huiuſmodi*, inquit, *gloriabor*, veſtri ſcilicet cauſa, qui hæc magni facitis; *pro me verò nihil*, qui melius noui, quid in ſummo habendum ſit pretio, *non gloriabor niſi in infirmitatibus meis*. Hoc ſtatim explicat dicens. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in anguſtijs, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, pro Chriſto.*

Maria quomodo beata dicatur.
Beatiſſimus quis ſit.
N.B.
2.Cor.12.

Si ergò passionis tibi materia suppetit, libenter pro Deo patere: sic enim ei dedisti, quod beatissimum est: & ab eo magna suscipies. Et ideò beatissima Maria est; quia plus omnibus Deo dedit: & ideò plurima recepit. Sicut Regina Saba plura dedit Salomoni, plurima verò ab eo recepit. Deus quidem *bonorum nostrorum non eget*, sed eguit humanitate, vt opus redemptionis perficeret. Hanc vero à Maria accepit, & sibi in vnitatem suppositi copulauit: *Beatus ergò venter qui te portauit.* Eguit lacte, paruoque lacte pastus est, per quem nec ales esurit; & hoc suscepit à Maria; *Beata ergo vbera, quæ suxisti.*

Simile allegoricū. *Psalm.* 10. Sedulius.

Sed quare nunc non ita videtur matris honori consuluisse, cùm matrem summè dilexerit semper, & honorauerit, sed potius eum negare, cum dicit: *Quinimò: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud?* *Profunda profectò aqua, verba ex ore viri*, scilicet Christi. nam cùm negare videatur, concedit, ac simul nos instruit. Cùm ergò ait; *Quinimò*, significat matrem esse beatam, quia eum genuit, sed aliud in ea esse excellentius, ex quo præcipue laudanda sit, quòd eum conceperit prius mente, quàm ventre. Quòd si ventre solo concepisset, non mente, beata non esset. Ex quo manifestum fit, nullam aliam rem hominem illustrem reddere, nisi virtutem ac cognationem spiritualem, quæ cum Christo contrahitur fide ac charitate. Sic enim ipse testatur: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse frater, soror & mater est.* Maximum ergò est, Dei verbum seruare; sic enim cognati efficimur Christi, & beatiores ipsa matre Christi; si illa solo ventre, & non mente filium concepisset. Sed nullus fuit, nec est, ita beatus, vt Maria: quæ sicut carnis cognatione proximior fuit Christo, ita spirituali ei maximè vnita fuit; & ideo beatissima meritò prædicatur. Nam caro illa, qua redempti sumus, Mariæ caro est; quia eam illa Christo dedit, ac nutriuit. Cur non igitur clamemus ac vociferemur cum hac muliere, *Beatus venter, qui te portauit.* Certè quia Christi dulcedinem non gustamus, ideò grati Mariæ non sumus. Qui verò redemptionis fructum expe-

Christus honori matris non contradicit. *Prou.* 18. *Quid hominem illustrē reddat.* *Matth.* 12. *Nullus hominum Maria beatior.* *Quinam Mariam nō honorent.*

experitur in se, clamat, *Beatus venter, qui te portauit.* Sicut si nunc quisquam peste irremediabili laborans, proximus iam morti fructum acciperet, quo integræ valetudini restitueretur, diceret, benedicta sit hæc arbor, & benedictus fructus eius: ita nos peccati peste laborantes, & fructum Christum inuenientes, ex arbore Mariæ collectum, quo peccatum superauit, clamare possumus cum Elizabet: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*: & cum hac muliere, *Beatus venter, qui te portauit.* An non sic Iudæi Iudith benedicebant: *Benedicta tu à Domino: quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros? Et non recedet laus tua ab ore hominum.* Si recepisti, ô homo, salutem per fructum vteri Mariæ, non recedat laus eius ab ore tuo. Si autem te singulari deuotione tradidisti, audi dicentem. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Quid est, *transite ad me?* relinquite carnis ac mundi factionem, adimplemini Christo: hæc enim generatio Christi est; hæc vera deuotio cum Maria est, quæ cum Paulo dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Sicut enim illa grata Deo fuit, quia audiuit & custodiuit verbum Dei, ita ipsi grati nos erimus.

Simile. — *Luc. 1.* — *Iudith 14. & 15.* — *Maria quid à nobis velit* — *Eccli. 14.* — *1. Cor. 11.*

Sic grati fuêre Mariæ duo nobilissimi Romani, qui prole à Deo non suscepta, Mariam tanquam filiam omnium bonorum hæredem instituere decreuerunt, orantes ipsam vt ostenderet eis, qua in re vellet eorum diuitias insumi. Quibus illa reuelauit, vt Ecclesiam nomini suo ædificarent eo in loco, qui mane niue opertus appareret in Augusto mense, cùm summi calores in vrbe essent. Quod & factum est.

Festiuitatis ratio. — *Breuiar. Roman. 5. August.*

Sed qua ratione signum dedit niuis Maria? 1. vt castitas & puritas Mariæ ostendatur, quæ alba est, vt nix: est enim thronus ille eburneus Salomonis, vestitus auro purissimo. 2. vt effectum ostendat intercessionis suæ. Sua enim oratione nobis obtinet refrigerium contra concupiscentiæ calorem, qui nos exurit. 3. quia illa sicut calorem noxium de cordibus tollit; ita etiam calorem viuificum fouet ac nutrit. Hinc Propheta: *Qui dat niuem sicut lanam.* quid hoc est,

Niuis signũ quare datũ. — 1. — *2. Reg. 10.* — 2. — 3. — *Psal. 143.*

Ambr.lib.7. in Luc. 9. *niuē ſicut lanā*: Nix ſimilis eſt lanæ in cādore; in copia, qua terram operit vniuerſam, vt lana pecus; & in conſeruando natiuo calore. Sicut enim lana conſeruat animali natiuum calorem: ita nix terram operiens per antiperiſthaſim efficit, vt calor in viſceribus terræ recondatur, vtque in ea conſeruetur: quo medio ſemina terræ mandata vberius creſcunt. Nix etiam melius, quàm terra, aquam irrigat, eam inebriat, & germinare facit. Ita ergò Maria nix eſt. Sicut enim *illa omnia verba Chriſti conſeruabat, in corde ſuo conferens*: ita in nobis oratione ſua conſeruat natiuum charitatis calorem, quo germina virtutum creſcunt, & nos irrigat *pluuia illa voluntaria, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ*. Hinc Zachar. ait: *Petite à Domino pluuiam* 1. doctrinam & gratiam Euangelij, *in tempore ſerotino*, quo fructus ad maturitatem perueniunt, (quia *nihil ad perfectum adduxit lex*) *& Dominus faciat niues*, id eſt, Euangelij doctrina & gratia hominum concupiſcentiam refrigerabit. Si ergò homo optas concupiſcentias ſuperare, ardorem libidinis frænare, appone niuem, Mariam: ſi germina virtutum proferre, ſi terram cordis ad id irrigare, aduoca Mariam, illa nix eſt, illa *nubes pluens Iuſtum*, & iuſtitias. &c.

Lanæ & niuis collatio.
Simile.
Iſaiæ 55.
Luc. 2.
Pſalm. 67.
Zach. 10.
Franc. Riber. ibid.
Cyrill hic
Hieron. in c. 28. Iob.

IN FESTO TRANSFIGVrationis Ieſu Chriſti Domini noſtri.

THEMA: *Transfiguratus eſt ante eos. &c.* Matth. 17.

Ezech. 3. CVM Dominus elegiſſet Ezechielem in ſpeculatorem domus Iſrael, in quo munere labores plurimos perpeſſurus erat, ne in eis deficeret, gloriam ſuam illi oſtendere voluit, cuius contemplatio effecit, vt labores ſuſtinere poſſet. Quia ergò Apoſtoli multa paſſuri erant, eadem gloria illis hodiè

diè in monte oſtenditur. Quam ſi nos fide & gratia illuminatis oculis conſpexerimus, in labores perferendos accendemur. Quod vt in nobis fiat, Mariæ interceſſionem flagitemus.

Prima Dei operatio æterna fuit, abſque principio & ante omnia ſecula, vt ſe efformaret, & ſui expreſſam figuram produceret ad intra, qui filius eſt, omnem ſuam ſubſtantiam in illum transfundens, qui *eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, tam perfecta, vt dixerit, *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum*. Homo & Angelus facti dicuntur ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ſed imperfecta imago ſunt: at filius ex ſubſtantia patris procedens, ſubſtantialis, perfectiſſimaque Dei figura eſt.

Prima Dei operatio.

Hebr. 1.

Ioan. 14.

Chriſtus figura Patris perfectiſſima.

Vt hæc Patris figura ſpiritualis & inuiſibilis mundo fieret manifeſta, ſuperinduta eſt figura alia viſibili ac corporea. Et hoc eſt illud Pauli: *Qui cùm in forma Dei eſſet*, in prima ſcilicet figura *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*, en ſecundam figuram.

Phil. 2.

Vnde transfiguratio eſt tranſitus ab hac ſecunda forma in primam: quia qui ſecundam figuram aſſumens exinaniuit ſe, nunc diuinam gloriam manifeſtans, Deum & Dei filium & patris ſplendorem ſe eſſe oſtendit.

Transfigurationis deſcriptio.

Sed quare hodie gloriam & decorem induit? De paſſione ſua, & cruce a nobis ferenda ſermonem habuerat cum diſcipulis, ſed ſermo hic eorum ſtomacho non placebat, & crucem horrebant: nunc ergò gloria oſtenſa, quæ terminus crucis & fructus eſt, facilem reddit paſſionem. Et vt auro tegitur amara & purgatiua eſca: ita nunc auro gloriæ puriſſimo paſſio & crux operitur. Id verò eſt, quod iuſtis animum vireſque adijcit. Timor enim ſeruilis præcipuè foras mittitur gloriæ conſideratione: ideoq; eam Chriſtus oſtendit, ne labores formident diſcipuli, quibus tanta acquiritur beatitudo. Hinc optat, oratque Paulus dicens: *vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius*,

Cur transfiguratus Chriſtus hodie.

Gloria fructus eſt crucis.

Simile.

Epheſ. 1.

& quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius, quæ est in sanctis. Vocamur omnes in opus & laborem: hic verò ostenditur mercedis magnitudo, in immensum excedens

D. Leo hom. de transfig. Dom. laborem, vt eum non fugiamus. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Sed quid illud est, quod reddet? addit; *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis, venientem in regno suo*: pro-

Aug. libr. 2. de consens. Euang. c 56. Chrys. hom. 57. in cap. 17. Matth. Theoph. in c. 16. Matth.

mittit se ostensurum in transfiguratione gloriam suam: quod hodie præstat, ostensa solummodo gloria corporis, quæ minimum beatitudinis est: hæc verò tanta est, vt omnem superet cogitatum. Illam in Christi corpore intuens Petrus ita mentem eius repleuit, vt dicat: *Bonum est nos hic esse.* Quid obsecrò diceret,

N.B. si gloriam illam corporis ipse possideret? Si tibi nunc è duobus vnum eligendum proponeretur, vel omni mundi frui delectatione, per diem vnum; vel eo die cum beatissima Virgine versari, & aspectu frui gloriosissimi corporis? sine dubio hoc præeligeres. Si

A minori ad maius. ergò tantum bonum est, frui aspectu gloriosi corporis: quantum erit, corpus habere gloriosum? Et inde etiam, quanta sit animæ gloria, colligi potest. Cùm enim corporis gloria redundet ab animæ gloria, quanta gloria illa erit, à qua tanta redundat? Gutta

Psalm. 35. Psalm. 15. est corporis gloria; animę verò gloria fons est: *quoniam apud te est fons vitæ.* Verè *delectationes in dextera tua vsque in finem.* Si delectatio, quæ à Deo clarè viso proficiscitur, conferatur cum ea, quam creaturæ efficiunt, illa mare est, ista guttæ: illa infinita; ista limitata.

Locus transfigurationis tropologicè. Locus verò, in quo gloriam suam manifestat, exprimitur, *In montana excelsum seorsum*: Terrena omnia in infimo loco sunt, cælestia verò in eminentissimo. Deinde terrena multa alia habent: quot curis cor regum & omnium principum, diuitum, ac superborum affligitur? at in cælo omnia bona sunt: & ideò in monte excelso & seorsum posito si-

Tob 13. Apoc. 21. gnificantur. Nulla ibi afflictio, nullus mæror: ibi semper Alleluia cantatur: ibi semper omne bonum, & longè omne malum. Inardescit conti-

nuò

continuò animus his auditis, *& concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*: sed *quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius*? Respondet Psalm. *Innocens manibus & mundo corde*, &c. *Ioannes*, qui gratia interpretatur, & *Iacobus*, qui luctator dicitur, & *Petrus*, qui negauit, in hunc montem ducitur; nam omnes peccatores, qui luctantur gratia Dei, in hunc montem ascendere possunt. Non Petrus negans, sed flens: non Dauid adulter, sed pœnitens: non Magdalena lasciuiens, sed quæ dilexit multum.

Psal. 83. *Psal. 23.* *Luc. 7.*

2. Sicut in orbe isto sunt montes & campestria: ita in homine, qui minor mundus dicitur, est spiritus & corpus. Cum homo ergò caduca & terrena tractat, descendit: cùm verò cælestia tractat, in montem conscēdit excelsum. Hinc Seneca. Id tibi peragendum est, cùm virtuti incumbis, quod ille præstat, qui montem conscendit: cùm verò circa ea quæ corporis sunt, occuparis, illud præstas, quod is qui è monte descendit. Cùm ascendis in montem, vniuersum corpus in anteriora proijcis; cum descendis illud detines. Cùm ascēdis, equo calcaria adhibes; fræno tunc non vteris, vt equum detineas: cùm descendis, contra facis, fræno enim equum tenes, ne fortè corruat, teque præcipitem det. Si ergo cùm ea, quæ virtutis sunt, præstas, vniuersam adhibe fortitudinē, vt dicere possis cum Psal. *Fortitudinem meā ad te custodiam*. Cùm verò ijs, quæ corporis sunt, intendis, fræno tibi vtendum est. Dic mihi, homo, quo dirigis iter tuum? In cælum dicis: sed quo dirigis pedes? an quoque *in viam pacis*? Si virtutis montem conscendis rectè dixisti. Si te vincis, ac mortificas, terrena relinquens, in cælum te properare crede. Si verò descendas è monte, si sollicitus es eorum, quæ in mundo sunt, *viæ tuæ viæ inferi*

Simile. *Seneca epist. 124.* Simile. Simile. Simile. *Psal. 58.* *N. B.* *Luc. 1.* *Prou. 7.*

Et transfiguratus est ante eos. Mons, in quo Christus Dominus transfiguratus est, à Doctoribus communiter dicitur fuisse Thabor: quo respexisse videtur Psalmograph. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuū brachium cum potentia: firmetur manus tua, & exaltabitur dextera tua*: quia filius tuus gloriosus & mirabilis in eo apparebit. In monte paruo, in Hermon, in Caluario, mirabilis planè fuit potentia Christi Domini: cum ibidem

Hier. de loc. Hebraic. *Ioseph li. 4. de bell. iud. c. 2.* *Psal. 88.* *Thabor distat duabus leucis à Nazareth.*

Abac. 3. ibidem est crucifixus, *absconditа est fortitudo eius, ante faciem eius iuit mors*. ibi enim deuicit mortem ac diabolum. At nunc in Thabor brachium Dei cum potentia ostenditur, & manifesta illius gloria est, dum transfiguratur. Sed quomodo transfiguratus est? Vnitum erat corpus Christi Verbo diuino; & portio superior animæ CHRISTI Deum clarè videbat. Ex hac verò visione & vnione naturaliter in corpore resultare debuit gloria summa, qua fruitur ad patris dexteram. Sed quia illa gloria corpus redderet impassibile, continuit eam gloriam in portione animæ superiori, ne in inferiorem & in corpus descenderet.

Modus trās-figurationis.

Documenta in transfiguratione.

In hac verò transfiguratione CHRISTI aliqua sunt nobis consideranda. *Primò* nos passiones fugimus, & in gloriam sine passione transire volumus.
1. CHRISTVS contrà gloriæ impedimentum ponit, ne in corpus descendat, vt pati possit: adeò auidus passionis est.
2. *Secundum est*, tantæ gloriæ spe accendi, vt caduca ac peritura relinquamus, & cælestia speremus.
3. Quis terrena non relinquat, cùm tanta ei promittatur gloria in cælo? *Tertiò* aduertendum est, quod Lucas ait, *Et facta est, dum oraret, vultus eius altera*. Orans CHRISTVS transfiguratus est, vt nos doceat oratione transfigurandos esse. Oratio definitur mentis ascensus in Deum, qua in terrenis egrediens in cælestibus conuersatur, & tunc verè anima transfiguratur. Hinc Paul. *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu*. In oratione illabitur Deus animæ, eaque tunc fit Dei habitaculum.

2. Cor. 3.

Sed obijcis, diu oraui, choro astiti, nec tamen profeci, nec illustratus sum cælesti lumine, nec transfiguratus. Hoc certè ideo fuit, quia solo orâsti ore, non corde, non spiritu. Vnde Paul. *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergò est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.*

1. Cor. 14.

De excessu Christi.

Oranti verò Christo ac transfigurato, *apparent Moyses & Helias, cùm eo loquentes excessum eius*, id est, mortem

tem ac redemptionem Christi. Certè dignius aliquid aut maius tractari non poterat in his tantis comitijs, quàm Christi passio. Sed cur excessus dicitur passio Christi? Excessum fecit Adam, cum fructum gustauit vetitum, & ideò nociuum. Omnia peccata nostra excessus sunt: Christus verò in se ea suscepit, & propter illa patitur. Sed excessus Christi nimia *charitas illa, qua dilexit nos*. Mensura nulla est huic dilectioni, ideò excedere omnia dicitur. Vnde ait per Ier. *Tu fornicata es cùm amatoribus multis, tamen reuertere ad me*. Verè amor Dei omnia excedit, patris, matris, imò & mariti amorem. Nec inueniens Ioannes mensuram amoris, ait: *Sic Deus dilexit mundum*. nihil nominat, cui comparat, quia nihil illi conferri potest. Diligamus ergo eum, qui prior in nostri dilectione excessit. &c.

Ier. 3. *Isa. 49. Si mater oblita fuerit infantis, ego non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.*

IN FESTO B. LAVRENTII, Martyris.

THEMA: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit.* &c. Ioan. 12.

DIem festum hodiè agimus vniuersi fideles, sed præcipuè Hispani Hispano omnium fortissimo, qui Hispaniæ decus est & ornamentum: & qui fortitudine ac fide vniuersos Hispaniæ duces ac principes longè superauit. Adeò vt de eo S. Maximus pronuntiet, puritate innocentis vitæ, fortissimæque mortis triumpho Apostolico se consortio copulauit. Nec immeritò eum Apostolorum supparem prædicamus, cuius & castitas animi Leuiticum ministeriũ dedit, & plenitudo fidei martyrij contulit dignitatem. Et quàm clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Mirantur omnes sancti inuictum illius animũ, ac robur: confertur tribus pueris, qui in fornacem missi sunt, & aula cælesti recreati. Nec dubium, quin vniuersa curia cælestis tanto spectaculo adfuerit. *Transiuit per ignem & aquam, & eduxit eum Dominus in refrigerium*. Vt verò eum imitemur opus est nobis gratia, quã Maria obtinebit, si eam adierimus humili corde.

Maxim. in ser. *Leo serm. de S. Laurent.* *Maxi Taur. ser. 1. 2. 3.* *Petr. Chrys. ser. 135.* *Greg. lib. 2. ep. 33. & lib. 3. ep. 30.* *Pruden. in hym. de S. Laur.* *Fortun.* *Ambros.* *Aug. ser. 30. de S. Laur.* *Psal. 65.*

Virtuti

Virtus honoranda est. Virtuti honorem deberi, omnibus manifestum est: est enim Virtus diuinum quid; cùm hominem quodãmodo in Deum mutet: & propter eam dicitur mortalibus; *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes.* Nihilominus tamen mirum valdè est, quod Christus nunc ait: *Honorificabit eum Pater meus, qui in cælis est.* Excedit enim naturalem rationem, quod Deus infinitæ Maiestatis vilissimum figmentum magnificaat. Vnde Iob admirabundus ait. *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Sed hinc cælesti magistro docente cognoscimus, non solùm virtutem ab hominibus honori habendam, sed & à Deo ipso. Præcipuè tamen ratione hic honos martyribus debetur, & inter Martyres Laurentio, tãquam illustrissimo Martyrum.

Ioan. 12. *Iob. 7.*

Martyres cur maximè honorandi. 1. Primò quia Martyrium inter omnes actus virtuosos maximè demonstrat perfectionem charitatis. Hinc Christus: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animã suam ponat quis pro amicis suis.* Cùm ergo martyrium summus sit caritatis actus, ei ergo summus deferendus est honor.

Ioan. 15.

2. Secunda est propter fortitudinem elicientem. Fortes enim præcipuo in honore habiti sunt in mundo. Si ergo fortitudo honore digna est, martyrium honorabile est maximè; quia præcipuus actus fortitudinis est. Vnde Cypr. O beati martyres, quibus vos laudibus prædicem? ô milites fortissimi, robur corporis vestri quo præconio vocis explicem? Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen, & in prælio stetisse seruos Christi voce libera, mente incorrupta, virtute diuina. Præcipuo ergo honore martyres colendi sunt, quia difficillimum subiere certamen, in quo vitam exposuêre. Et Ecclesiæ Dei vtilissimi fuerunt, dum sanguine suo eam plantauerunt, ac tutati sunt.

Duo igitur in martyres sunt charitas imperans, & fortitudo eliciens: sed quo maior fuerit in martyre charitas, animi promptitudo, animi feruor, & maiora passus fuerit tormẽta, eo illustrior est & honorabilior.

Gen. 39. Omnes quidem martyres passi sunt pro Christo: omnes imitati sunt Iosephum, qui pallium reliquit, ne fidem amitteret; ita illi carnem & vitam, ne fidem Deo debitam relinquerent. Sed quidam eorum promptiori

ptiori animo, maiori alacritate, potiori charitate, & pluribus perpeſſis tormentis; & hi illuſtriores habendi ſunt.

Sed hæc in Laurentio contemplemur; maxima enim ſunt, quæ illuſtriſſimum eius martyrium reddiderunt. Et primò attendamus charitatem ac animi promptitudinem, à qua præcipuè martyrium valorem mutuat. Vide quid dicat: *Quò progrederis ſine filio pater? quo Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras. Quid ergo in me diſplicuit paternitati tuæ?* Attende flammas ignitas, charitatis ſcintillas proferentes verborum. Sed nō minus attendenda verba Sixti Pontificis eum conſolantis: *Noli mærere fili; non ego te deſero, neque derelinquo. Maiora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum accipimus: te verò quaſi iuuenem manet glorioſior de tyranno triumphus: poſt triduum ſequeris Sacerdotem Leuita.* O conſolatio? Non ait: noli mœrere fili, deſinet perſecutio, & ſaluus eris: ſed quo ego præcedo, tu ſequeris; & triduum medium erit. Mirabile genus conſolationis, quod ſoli charitati præcipuæ ac maximæ dari potuit! Sola enim perfecta charitas hanc recipit conſolationem. Et ideò Eccleſia orat: *Excita Domine in Eccleſia tua ſpiritum, cui B. Laurentius ſeruiuit, vt eodem repleti ſtudeamus amare, quod amauit.* Sed quid amauit? Deum & tormenta pro Deo. Hic ſpiritus Laurentij fuit. Vnde in medio tormentorum dixit. *Gratias tibi ago Domine IESV Chriſte, quia SIC ianuas tuas ingredi merui,* per innumera & exquiſita ſcilicet tormēta. Conuenit hoc dictum verbo Chriſti, qui ait: SIC *oportebat Chriſtum pati.* Simile profectò vtrumque, SIC nec enim vir tantus à Domino ſuo diſſimilis eſſe debuit. Sed *non ſic impij, non ſic*: non enim per paſſiones, ſed per delicias ingredi præſumunt in regnum cælorū: Iuſti verò per multas tribulationes, quas Dei donum eſſe putant. Et ideo gratias Deo referunt pro ſuſcepta tribulatione, quaſi pro ſuſcepto beneficio. Eandem verò dilectionem in pluribus alijs oſtendit, in larga eleēmoſynarum largitione, in inuictiſſimo illo animo dicente: *Aſſatum eſt iam ſatis; verſa & manduca.*

Secundò fortitudinem animi quis verbis exprime-

Charitas Laurentij.

Verba S. Laurentij.

Verba S. Sixti ad B. Laurentiū.

Eccleſia.

Luc. 24.

N.B.

Verba Laurentij.

re valeat? Tormenta, quæ passus est, quis enarrando consequi poterit? Omne genus tormentorum passus est, carceres, flagella, laminas ardentes, catastas, scorpiones, ignem denique, quo consummatus atque perfectus fuit. En aurum, quod in igne rutilat, ac purius redditur: qui sibi vsurpare potest illud Psalm. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*. Sed ais: Cur Deus non eripuit militem suum à tantis tormentis? Certè vt maiorem conferret misericordiam, maiusque donum. Illa enim magna est misericordia Dei in nos, cum nos pro illo vsque ad mortem pati permittit: quam commendat Paulus: *Vobis donatum est, pro Christo non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.*

Catasta tormenti genus est, in quo funiculis ligatum corpus distenditur, vt dispactū ossa à neruis, nerui à carne separētur.

Psal. 16.

Phil. 1.

Sed interrogas meritò, qua arte potero particeps esse tantæ rei, qualis martyrium est? quomodo martyr esse aliquo modo potero in tranquillo Ecclesiæ tempore? Respondet Aug. Nemo dicat, fratres, quod temporibus suis martyrum certamina esse nō possint: iracundiam enim frænare, libidinem fugare, iustitiam custodire, cupiditatem contemnere, pars magna martyrij est. Et Greg. ait. Sine ferro martyres esse possum⁹: Iniurias enim tolerare, inimicum diligere, secretum martyrium est. hinc Christus hic ait; *Qui odit animā suā in hoc mundo, in vitam æternā custodit eam*. Et ratio est: quia in martyrio duo sunt, 1. pati vsque ad mortem, 2. Dei dilectio, cuius ratione patitur hoc in martyrio præcipuum est: quia *martyrem non tam facit pœna, quàm causa*. Cum ergo quispiam libenter tribulationes sustinet, iniurias tolerat, cupiditatibus resistit, duo præstat: 1. patitur, licet non vsque ad mortem, tamen vsq; ad magnā passionem & dolorem 2. id propter Deum facit, & in eo precipuè Dei dilectio ostēditur. Hoc vocat Christus abnegationem sui, dicens fundamentum esse spiritualis vitæ: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*. Vocat & violentiam, dicens. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* Et Paulus mortificationem. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.*

Martyres quomodo nos esse possimus.

In Martyrio duo sunt.

Luc. 9.
Matt. 15. & 11.
Rom. 8.
Gal 5.

Tertiò, Martyrium pugnam esse atq; certamen forte quis dubitat? sed hodiernum certamen à Laurentio initum fortissimum non tantum est, sed summè admirādum

dum. Quinque autem certamen mirabile reddere solent: 1. dignitas & excellentia pugnantiũ 2. causa maxima, cuius causa in pugnam descendunt 3. arma inclyta pugnantium, & fortissima, quæ à pugnantibus geruntur in certamine. 4. celebris conuentus hominũ, qui vt certamen videant, conuenerunt. 5. finis pugnæ. Hæc omnia in Euangelio mirè ostensa videbimus, & eorum praxis in martyrio B. Laurentij apparet. *Pugnantiũ excellentia.*

1. Quanta sit dignitas & excellentia pugnantium in Christi militibus, apparet in Laurentio, & ostendunt verba initio Euangelij proposita: *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit*. Hoc certè granum CHRISTVS primum est, qui caput martyrum est, similis effectus grano frumenti, quod in terra absconditur, & moritur, vt fructum reddat: & atteritur, & in munitissimum puluerem redditur, vt panis fiat. Cui similes sunt inclyti martyres, qui nulla timuerunt tormenta, qui attriti, & mortui sunt, vt panis CHRISTI essent. Vt ergo rectè martyrum tormenta explicentur, meritò *grano frumenti* similes dicuntur. Martyr enim *granum frumenti* est, quod mortuum est, quod in area trituratur, quod conteritur omnino. Sed vide huius certaminis magnitudinem. Non soli Laurentius & Decius descendunt in hanc pugnam; sed cum eis CHRISTVS & Lucifer, qui in suis militibus pugnant. In martyribus enim patitur & pugnat Christus dux: in tyrannis decertat dæmon, ipsorũ caput. Virtus animi martyrum, & verba cõfessionis eorum à Christo, & illius spiritu sunt. Mira audacia Laurentij, sed à Christo & eius spiritu. Mirabile profectò certamen est expectandum, cum certantes validi & pugnantes fortissimi in arenam descendant.

Christus quomodo granũ & panis.

Martyres granum.

Matt. 10.

2. Sed quæ est causa certaminis, quid quisque eorum assequi conatur? Certè maximum ac summum quid Quod seqq. verbis Euangelium explicat, cùm ait: *Ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit multum fructum adfert.* Mirum valde est, quod se dicat solum, si homines secum non habeat: ait enim, *Ipsum solum manet* Quomodo Domine solus eris, si mortuus non fueris? Certè quia homines salui non erunt. Sed licet homines non habeas, cur solus eris? an non millia milliũ

Certaminis causa.

Christus quomodo solus.

Ange-

Angelorum ministrant tibi? non ergo solus es. Attende Christi sponsi in Ecclesiam suam dilectionem præcipuam, qui se solum nominat, dum hominum Ecclesiam secum non habeat. Potiori verò ratione anima solam se reputare debet, si absque Christo sponso sit. Sicut ergò Christus, vt fructum det, mortuus est, ne sit solus: ita homo mortificari debet, vt fructum referat, ne sit solus absque Christo. Id facit B. Laurentius, à quo tyrannus exigit, vt viuat, negetque Christum: martyr verò ait: moriar, ne sim absque Christo, & *omnia arbitratur vt stercora, vt Christum lucrifaciat.* Hæc ergò causa certaminis est, Christum confiteri aut negare: vitam æternam lucrari aut perdere. Nollet quidem vitam ac opes profundere, sed oborta tyranni persecutione videt, aut vitam amittendam, aut Christum; opes terræ, aut cælestem gloriam: tunc id quod maius est superat, & vniuersa temporalia exponit, vt cælestia acquirat. Causa igitur, propter quam martyriũ suscipitur, illustrissima est, quæ Christus est & vita æterna.

N.B.

Phil. 3.

3. Videamus quibus armis in bellum procedant, tum martyres, tum tyranni, & quæ egregia facinora ab eis præstentur. Hoc Christus in Euangelio docet: *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suã in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Non dicit Christus, qui non paret animæ suæ, sed *qui odit animam suam*, ostendens satis non esse carni non obtemperare, sed quod illam odisse necesse sit id est, cum caro blanditur, tu illam *in seruitutem redige*, nec illam sequere. Martyr arma defert spiritualia, quibus anima protegitur: vnde Paul. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.* Corpus verò illius inerme est. Contra verò tyrannus corpus armis induit, animam inermem relinquit. Armis induta anima martyris sana liberaq; procedit in gloriam: corpus inerme plurima patitur vulnera, sanguinem & vitam fundit. Tyrannus in anima plurima vulnera patitur, dum innumera peccata admittit, & vitam amittit. Animæ sanitas, quæ martyri relinquitur, æterna est: & animæ vulnera in tyrannis in æternum durabunt. At corporis vulnera in martyribus breui finem acceperunt, & gloriosa corpora in resurrectione accipient. Corporis verò sanitas in ty-

Arma pugnantium.

Aug. de martyr. ser. 48. de sanct.

1. *Cor.* 10. & 5.

in tyrannis cum vita finem cito accipiet. Sed arma militum contemplemur. Duplicem aciem mundus producit contra milites Christi: blanditur, vt decipiat; terret, vt frangat. Contra duo ista armorum genera suos Christus induit duplici armaturá, fide & patientia, qua mala & mortem libenter sustineant. O præclarum armorum genus aduersus omnem tentationem. Hæc est armatura Dei, qua induendi sumus. Sed vide egregia facinora, quæ his armis circundatus Laurentius præstitit. In carcerem coniectus, plurimos sanauit infirmos, & cæcis visum restituit. Cæditur scorpionibus, & Laurentius ait: *Has epulas ego semper optaui.* Deinde flagellis proscinditur, & ait: *Agnosce miser, quia non sentio tormẽtatua* In catasta positus orauit: *Domine Iesu suscipe spiritum meum*: sed maiori fidei & patientiæ feruore plures sustinendi dolores. Demùm in craticula ponitur, vt igne torreatur, & assetur; vt Deo sit gratissimus cibus. Laurentius enim vnus & benè notus de magnis illis piscibus, piscis magnus & benè assus; cuius assatura suauiter fragrat in tota Ecclesia. Nos ergo moriamur quoque pro Christo, & aliquid patiamur, cùm tanta videamus passa Laurentium. Fuit autẽ in craticula quasi *thus redolens in diebus æstatis*. Huius figura præcessit in Leuitico, *Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æquè si milaoleo conspergetur* &c. Fuit Laurentius sacrificium craticulæ, oleo ergò conspergatur. Sicut oleum ignem plus ardere facit; ita deuotio auget Dei amorem Et impletum est in eo: *Cum ambulaueris per ignem, non comburreris, & flamma non ardebit in te.*

Duplex mundi acies. *1 Ioa. 5.* *Luc. 22.* *Duplex armatura Christi erga suos.* *Eccl. 50.* *Leuit. 2.* *Isa 43.*

4. Erat quoque celebris conuentus Principum, qui hoc certamen inspexêre, curia vniuersa cælestis, & Romana. Hinc Paul. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*, qui Christi milites intuentur certantes. Iidem verò nos intuentur, cùm milites Dei sumus, & pro illius gloria certamus, pro quo non satis est carni non obtemperare, sed illam odisse necesse est. Quia quemadmodum quos odio habemus, ne vocem quidem audire potes: ita & anima, si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, acriter odio prosequenda est, nec vllo modo ferenda. Sic Hilarion, referente Hieronymo, dicebat corpori suo; *Caue, ne talia cogites*; quod

Spectatores certaminis. *1. Cor. 4.* *Caro quomodo odio prosequenda.* Exemplũ.

si ter admonitum non parebat, durissimis se flagellis verberebat: sicque factum est, dum diceret carni suæ, *Caue*, tremeret, & omnem repelleret cogitationem turpem. Sic nunc, ô homo, contra carnem tibi pugnandum est, quæ nos reliquis inimicis tradit diripiendos, non solùm pro tua gloria, sed pro Dei gloria, spectante vniuersa curia cælesti. Labora ergò *vt bonus miles Christi Iesu.*

Finis certaminis. 5. Sed quoniam difficilis hæc pugna est, proponitur nobis finis illius, & Christus in exemplar. *Qui mihi ministrat me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* En terminum certaminis martyrum, esse in gloria, in qua Christus est (qui vt granum frumenti mortuum multum fructum dedit) & honorificari in cælesti regno à patre cælesti, ac decorari aurea regni corona. Nam mortuus est Christus, vt nobis vitam donaret. Ex huius graui morte omnis gratiæ & gloriæ fructus collectus est. *Simile.* Sicut enim ex radice arboris infructuosa procedunt omnes rami, flores, ac fructus; ita ex Christo in cruce posito, *cui non erat species, neque decor*, omnis Ecclesiæ, Martyrum, & nostra pulchritudo pullulauit. Vt ergo animam nostram seruemus, hic moriamur, & Laurentium imitemur. &c.

IN ASSVMPTIONE GLOriosæ Virginis Mariæ.

THEMA: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Luc. 10.

DEsiderandus nunc esset à nobis Concionator, qui de Mariæ morte & assumptione verba haberet, vnus certè ex his, qui morti vel assumptioni eius astiterunt: ille enim de re tanta aliquid dicere posset. *Maria cur exaltata.* Exaltata hodie Maria est super omnem creaturam: & meritò, quia humillima omnium. Quis eam in hoc mundo tūc videret & nunc aspiceret? in terra humillimam; nunc in cælo maximam, & super omnes exalta-

exaltatam? Sed quis nunc ad eam accedat, si adeò alta est? Assumpta est hodie in cæli aulam Maria mater nostra; auxilio ergo nobis erit; & quo DEO propinquior, & quò altior, eo humilior ac benignior est; eo magis abiectorum curam gerit: id enim ad veram nobilitatem pertinet. Qui in regis curia consanguineum habet regi charum, vel in regis domo matrem sui amantissimam, auxilium sibi certum in negotijs futurum sperat: venit hodie MARIA in regnum, non solum sui causa, sed etiam vt negotia nostra peragat. Sicut enim filius eius ascendit, *vt appareat vultui DEI pro nobis*: ita illa ascendit, vt aduocatam hominum ageret. Vnde Ecclesia: *Monstra te esse matrem*. Ad eam ergò accedamus salutantes, Aue Maria. Similes. Heb. 9.

Mirabilis in omnibus fuit Maria, hodie tamen maximè, quando dicere potest cum Iudith: *Magnificata est hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ.* Nam hodie ampliori videt gloria ornatum filium ad patris dexteram, quàm hic in conceptione, natiuitate, gloriosa resurrectione, & admirabile ascensione eius; & seipsam cum eo gloriosam videt. Hodie Arca veri Noë vndis iactata diluui tandem requiescit super montes Armeniæ. Hodie reducitur Arca à Philistæis in Bethsames, id est, domum solis. Hodie Arca, quæ huc vsque in tabernaculis habitauerat, reponitur in magnificentissimo Salomonis templo. Hodie Salomon considere facit matrem ad dexteram suam. Hodie vera Esther corona regni insignitur, quia super omnes placuit mulieres. Hodie Iudith egreditur Bethuliam, & summo excipitur gaudio. Hodie Sara translata est in domum Pharaonis. Hodie pulchra facta est vt Luna plena. Hodie *fons paruus creuit in fluuium magnum, & in aquas plurimas redundauit*. Hodie Virgo, quæ erat animatum cælum, non in terram versa est, sed in cælestibus collocatur. Et quæ huc vsque in omnibus optimam partem elegerat, nunc in morte similiter fecit; cùm præ amore filij mortua est, & die tertia resuscitata tanquam filius, & in cælum assumpta.

Iudith. 12. Figuræ. Gen 8. 2. Reg. 5. 3. Reg. 8. 3. Reg. 2. Esth. 2. Iudith. 13. Gen. 12. Esth 10. Damasc. ser. de dormit. sanct. Dei.

Gloriæ immensitas in Maria.

Immensa verò gloria est, qua hodie ornatur Maria, sicut summa fuit illius gratia, ac merita; quæ hominum captum omninò superant. Ad infinitam potentiam pertinet, vt perfectiores creaturas condere potuerit; sed quia in duos fines creaturas ordinauit, 1. vt hominis necessitati occurreret; 2. vt hominis cor in Deum ducerent: propter primum quidem eas bonas & valdè bonas condidit; sed secundum attendens meliores facere noluit; ne creaturis cor hominis detineretur. Interim verò condidit aliquas creaturas ita præstantes, vt meliores facere non potuerit. Tria huiusmodi condita sunt à Deo, gloria beatorum, Christus homo, Maria mater. Nec sic diuinæ potentiæ limes ponitur; imò cùm *magnitudinis eius non sit finis*, ideò tria illa meliora esse non possunt. Etenim melior possessio, quàm Deum possidere, esse nequit; & hæc est gloria beatorum. Melior homo, quàm Deus homo esse non potest; quia suppositum est diuinum. Melior mater in ratione matris, quàm Maria, esse nequit; quia melior filius cuiquam dari non potest, quàm Christus: dignitas verò matris à filij dignitate magnitudinem habet. Maria igitur creatura est, sed tanta, vt dignitatem habeat infinitam ab infinito filio. Hinc cùm Mariæ typum in præclara quadam ciuitate ostendisset Deus Ezechieli, quod supremum in ea erat, quod illustrius, illud fuit, *Dominus ibidem*: ita licèt plura magnalia in Maria sint, tamen supremum omnium est, quòd mater sit Dei, quod Deum ventre & mente conceperit.

D. Tho. 1 p. q.25.

Ezech. 48.

Vnde colligitur, consilium iniisse diuinam sapientiam, cùm Maria mater condenda esset. Audi sponsum hac de re consultantem: *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ, in die, quando alloquenda est?* Maria paruula est, filium non genuit, quid faciemus, quando ab Angelo alloquenda est, quid faciemus in illa die, quibus eam ornamentis ornabimus? Sed quæ causa consilij? 1. quia in Maria diuersa admodum constituenda erant. Cùm Deus vniuersa condidit, in quibus contrarietas nulla esset, nihil aliud dixit, nisi *Fiat, &c.* Sed cùm ad hominis creationem deuenit, consultatione vsus est dicens:

Cant. 2.

Facia-

Faciamus hominem: quia in homine plura inter se aduersa constituere voluit, animam spiritualem in carne mortali; appetitum rationalem & brutum. Sic cum Maria condenda fuit, consultatum est: quia plura sibi inuicem contraria in ea iungenda erant, qualia sunt, Virgo & mater, filia & parens; genitrix creatoris, & creatura; filia Adæ sine eius macula. Secundò consilium adhibuit, quia cùm dignitas infinita Mariæ collata sit, dum Dei mater effecta est, pro muneris dignitate gratiam & dona conferre voluit. Dignitate enim infinitæ conuenire videtur gratia infinita, & dona immensa: hæc verò pura creatura non capit, *quid ergo faciemus ei*? Sed ais, hæsitauitnè hac in re diuina sapientia? Nequaquam: hæsitare enim ignorantis est. Sed sicut ad alia mysteria significanda humanis affectibus DEVM duci sæpè dicitur: ita nunc consultasse dicitur, vt per hæc ostendat dona immensa, infinitam gratiam ac gloriam, quæ Mariæ collata sunt: adeò vt hominum intellectum tantùm non superent, sed & Angelicam cognitionem. DEVS enim magnificus est, & magna dat dona, etiam cùm pauperi tribuit. Cùm ergò matri gratiam ac gloriam dedit, maxima profectò concessit. Summa ergò illius gratia, immensa eius merita, quæ MATRI DEI conueniant; & ineffabilis ei gloria hodiè concessa est, non in anima solum, verum etiam in corpore, in quo assumpta est.

Licet plurima dona perceperit Maria in hoc mundo, tamen videbat Deum in speculo, & in ænigmate. Sed anima à carne soluta, & in cælum ingressa cùm ad infimum gradum gloriæ peruenit, & vidit DEVM facie ad faciem, tunc mirata est, affluit, & dilatatum est cor eius, & dixit: Tantanæ res DEVS meus erat? tanta bona mihi parauerat? Aliquando in terra eo perueni, vt amplius quid non videretur restare. Cùm enim filium meum in vtero concepi, & gestaui, *exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*: Cùm vero eum peperi, vidi, contrectaui, amplexatata sum, summo sum affecta gaudio: quid dicam de ea lætitia, quam habui, cum eum gloriosum, suscitatum, & ascenden-

tem vidi? Sed illa omnia, si cum hoc gaudio conferantur, quo nunc potior, nihili sunt. Sed audi, ô Virgo beatissima; non hic locus tuus est. Ascende nunc ad chorum Confessorum, & ad chorum Virginum procede, & inde transi ad Martyrum chorum, inde ad Apostolorum ordinem, relinque Angelos, Archangelos, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Thronos, Cherubinos, & Seraphiros, qui benè innumeri sunt. Vniuersos sanctorum & Angelorum ordines superare debes. Nullus ex Confessoribus tibi conferri valet, nulla virginum tibi comparari potest: nullus Martyrum tibi similis: *tu enim sola supergressa es vniuersas*. Nullus Angelorum tam Seraphinorum, quàm Cherubinorum tibi conferri valet. Licèt enim illi charitate ardeant, tu tamen amplius, quæ ignem cælestem in vtero portasti. Adeò alte volauit hæc Aquila grandis, & ita in arduis posuit nidum suum, vt attoniti Angeli dicant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Huius enim inæstimabilis pulchritudo, & inenarrabilis gloria Angelos in admirationem rapuit. Hæc de gloria animæ.

Prou. 31.

Cant. 8.

Sed quid de corporis ipsius gloria dicemus? Certum est resurrexisse die tertia in corpore glorioso, & in cælos ascendisse. Vnde Damascenus ait. Ex antiqua accepimus traditione, Apostolos omnes conuenisse diuina virtute in Ierusalem, vt morti Mariæ adessent. Et visio eis apparuit Angelica, & audita est Psalmodia cælestium potestatum, & sic cum diuina gloria in manus Dei sanctam tradidit animam. Eius verò corpus cum Angelica & Apostolica hymnodia elatum in loculo fuit depositum Gethsemani. Quo loco Angelorum hymnodia mansit per tres dies, & tunc cessauit. Venit verò Thomas post tertium diem: & cùm voluisset corpus sanctissimum adorare, loculo aperto inuentum non est, sed ea, quibus fuerat inuolutum, mirabili odore fragrantia. Eiusque mysterij obstupefacti miraculo hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex ea carnem assumere, & inuiolatam eius seruare virginitatem, placuit etiam

corpus gloriosum suscitare ante communem resurrectionem. Ascendit ergò Maria vniuersa cælesti curia comitante, in corpore & anima gloriosissima. Ingreditur quasi regina Saba Ierusalem cælestem. 3.Reg.10. Hunc verò ascensum considerans sponsus ait. *Quam* Cant.7. *pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis?* Pulchri profectò fuerunt gressus Mariæ in hoc mundo, sed pulchriores multò gressus, quos nunc ascendens in cælum dat; sed *in calceamentis*. Moysi dicitur, cùm Exod.3. videret Deum in rubo ardenti, sed incombusto: *Solue prius calceamentum de pedibus tuis*: quia corpus mortale Bern. in ser. exuendum nobis est, vt ad Deum accedamus. Sed Ma- de verb. A- ria tanquam *filia Principis* singulari gaudet priuilegio, poc. magnum vt *in calceamentis*, id est, in corpore glorioso intret in signum. cælum: corpus enim, quod ineffabili ratione Deum suscepit, dignius est cælo: suscipiendum ergo statim à cælo est. Nos verò hos Mariæ gressus contemplantes, *curramus post eam in odorem vnguentorum eius*; considerantes mirum casum Luciferi propter superbiam; & miram celsitudinem huius diuinæ mulieris per humilitatem: & simul quanta sit dignitas matris Dei, vt quæ prope Deum habuit in terra, iuxta Deum sit in cælo; quæque hic plena fuit gratia, ibi sit plena gloria.

PARS ALTERA.

SEd Euangelica Lectio non videtur huic festo conueniens, ibi enim Maria laudatur ab omnibus; hic à sorore obtrectata dicitur; quomodo ergo hæc inter se conueniunt. At meritò sancti Patres Ansel. in ex- constituerunt, vt in hac solennitate B. Virginis Ma- pos. Euang. riæ, hoc Euangelium legeretur, quæ singulari ratione huius festi. per has duas mulieres significatur: quia vitæ actiuæ Eus Emiß. & contemplatiuæ præ ceteris omnibus priuilegia cu serm. de As- stodiuit. Ipsa melius quàm Martha suscepit Christum sump. Virg. non in donum solùm, sed intra vteri sui claustra. Ipsa etiam verbum eius audiebat, & in corde suo custo- Gualric. ser. diebat. Si illa optimam partem elegit, hęc Maria virgo 4. de Assum. est, quæ hodie in cælis optimum obtinet locum.

Ecce ergo Mariam, quæ in actiua & contemplatiua vita primas semper obtinuit partes, & sic optimam in gloria possidet. Vniuersa vita eius fuit vnica contemplatio, & nihilominus actioni intenta & filij obsequio summa cura.

Hæc iam in Euangelio videamus. *Intrauit IESVS in quoddam castellum*. Occupauerat dæmon tyrannus regnum Dei; intrauit ergò IESVS virginis castellum, quod munitissimum est; & inde exijt, vt mundum sibi acquireret, & mundi principem foras mitteret. Venit pastor pius quærere ouem, quæ perierat, sed *sui eum non receperunt*: at *mulier quædam excepit* illum in domum suam. O mulier non mulier; mulier sexu, virgo statu; mulier benedicta inter mulieres, quæ emolliuit virum, vicit fortem: mulier cui similis non est in mulieribus. Verè *mulier quædam*, singularis, virgo singularis, quam exprimere non possumus. Si enim eam dixerimus cælum, amplior cælo est: si thronum Dei, maior est: dicamus ergò eam mulierem quandam.

Excepit eum in domum suam. En mulierem, quæ peregrinanti Elisæo in terra fecit cubiculum, in quo ei posuit lectulum in vtero, mensam in pectore, candelabrum in intellectu, sellam in memoria. Recepit verò illum mente & ventre; & vtraque domus illius est: mens nunquam ab ea aufugit, corpus illi semper subditum fuit. quomodo enim corpus, quod vitam generauit, mortis corpus esse potuit? Excepit ergò eum in domum suam Maria. Sed quanta gloria domus illius fuit tanto hospite excepto? Quia vna die in Zachæi domo Christus commoratus dicitur: *Hodie salus huic domui facta est*: Et si gloria Domini im-
Luc. 19. pleuit templum, quando arca in illud ingressa fuit:
2. Par. 5. quænam fuit illa gloria, qua Maria plena fuit, cum in eam Deus ipse ingressus est.

Sed quanta cura ei ministrauerit, quis dicat? Vniuersa misericordiæ opera in eum exercuit. Peregrinum suscepit, nudum induit; pauit illum, vbere de cælo pleno, visitauit in cruce morientem, sepeliuit mortuam. An non Martha fuit? Attende in vili

tugurio pauperem, aspice fugientem in Aegyptum intempesta hyeme: inter Barbaros septennio commorantem, & posteà reuertentem, & semper illam Christo ministrantem; & dices Martham nascenti sapientiæ in infante, potentiæ in tenello, Maiestati in paruulo, Martham viuenti, Martham morienti, Martham officio & hospitio semper extitisse. Rectè profectò impleuit, quod initio dixit: *Ecce ancilla Domini.*

Huic verò erat soror nomine Maria, quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Distingue in illa suprema Maria duplicem portionem: Martha in corpore erat; Maria in spiritu: Martha in ministerio; Maria in otio: miro nanque spiritus S. artificio non se hæc impediebant. Quis enarret, quo feruore spiritus ad pedes Christi spiritus Mariæ agebatur? quot radijs sol ille, licèt nebula carnis tectus, purissimam huius Virginis mentem irradiabat? quali nectare intus potabatur in conuersatione cum Iesu puero, adolescente, viro? quæ illorum colloquia? quæ oracula? quæ mysteria? O felicissimam scholam, vbi infinita sapientia magister est, & Maria discipula est: quid à tanto magistro non didicisti? Hæc verò, quæ tunc didicit, aliquando eructauit, & Apostolos ac Euãgelistas posteà docuit. Maria enim vt sapientissima mater omnia verba Christi in corde suo conseruauit: ab ipsa Apostoli audierunt, ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda proposuerunt. Licèt enim Spiritus sanctus eos docuerit, tamen etiam Maria testimonium suæ vocis adhibuit. Adeò enim manifestè Spiritus sanctus in Maria habitabat, ac loquebatur, vt quòd illa dicebat, à Spiritu S. profectum non dubitaretur.

Sed non ait Martha sorori, Addiuua me, sed Dominum orat, vt id præcipiat: *Dic illi, vt me adiuuet.* Sed qua de causa? quia perfecta contemplatio carcer est diuini amoris, quo vinctus tenetur, qui Deum videt, & diligit. Hinc Martha non rogat Mariam, vt surgat à Christi pedibus, sed Christum, vt id præcipiat. Hunc degustauerat carcerem, qui ait absconditus: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini.* Tota vita in loco orationis commorari vult, vt Domini volu-

ptate fruatur. Debet igitur homo omninò se subijcere diuinæ sapientiæ, vt omnes eius cogitationes, affectus, & opera in Deo solo versentur; quod in Maria factum ostendimus. Eam nos imitari studebimus, vt eò perueniamus tandem, quò ipsa peruenit, &c.

IN FESTO S. BERNARdi Abbatis.

THEMA: *Ecce nos reliquimus omnia. &c.* Matth. 19.

DIEM festum agimus D. Bernardo, qui cum Apostolis dicere iure potuit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Adolescens enim ordinem Cistercienfium ingressus est, in quo vitam cælestem ab omni caducarum rerum cura & cupiditate immunem egit mirabili continentia. Cumque fratres ei impedimento esse vellent, ipse eos omnes post se traxit. Enituit verò in eo pius affectus ad Dei matrem, cuius encomia mirè concionibus celebrauit, & à qua beneficia magna accepit. Eam nos nunc quoque salutemus.

Mirantur, stupentque multi excelsum Sanctorum animum, qui terrena omnia dispicit ac relinquit: quidam verò etiam execrantur, putantes id naturæ contrarium, & ideò à Deo authore natura esse non posse. Vtrique profectò laborant ignorãtia eius celsitudinis, ad quam per gratiam eleuatus est, & inde illorum admiratio, & horum execratio procedit. Sed quænam ista celsitudo ac dignitas est? Certè homo natura sua infimum est intellectualium, sed gratia ornatus eleuatur super naturã vniuersam, etiam Seraphinorũ. Gratia enim supernaturalis cùm sit, suo nomine ostendit, esse se super omnem naturam: quia diuinę naturę participatio est: & ea fit homo filius Dei, & Deus participatione, gloria & honore coronatus. Quid ergò mirãdum, si homo super omnem Angelorum naturam eleuatus, terrena despiciat, & diuinus effectus diuina

quæ

quærat? Ne verò quis causetur gratiam naturæ contrariam esse, attendendum, gratiam perfectionē esse naturæ; tam longe abest, vt eam destruat Sic enim Gratia Naturæ ait: Optas diuitias, honores, voluptates? Sint hæc tibi; hæc quære, sed veras, sed magnas. Quære gloriam, sed quæ apud Deum est; quære delitias, sed non brutas aut fallaces. En gratia naturam non destruit, sed perficit. Non agnoscit mundus hanc filiorũ Dei dignitatem, & ideo miratur, eorum conuersationem, ac stupet cùm videt caduca relinqui à Principibus cælestibus.

Sed audiamus loquentem vnum ex his Principibus omnium nomine: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis?* Duo sunt in quibus humanus volutatur affectus; alterum est: *Quid erit nobis?* vt Petrus ait: alterum, *Quid est nobis?* vt mundam homines dicere consueuerunt. Iustus æterna & futura considerat; peccator præsentia, & caduca attendit: sed iusti quærunt veras diuitias, vera bona; peccatores verò apparentia tantùm, & fucata. Meritò dicit Eccles. *Vana spes & mendacium viro insensato*; cùm enim ille putauit se satiandum re concupita obtenta, contrarium ei accidit; *& somnia extollunt imprudentes*, sicut si extolleret se infimus de plebe, quoniam Rex sibi videretur in somno, *quasi qui apprehendit vmbrem, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia*. Vnde Psalm. *Velut somnium surgentium Domine imaginem ipsorum ad nihilum rediges*. Hinc & Christus diuitias fallaces nuncupat, & spinis cōparat. Iusti verò *bonas margaritas* quærunt relictis inanibus. Est in morib. datus nobis Christus Dominus, de quo Isa. ait, quòd *sciet reprobare malum & eligere bonum*, verum aurum ab aurichalco tanquam Lydius lapis discernere; ille dicit, Spiritualia bona vera esse; & ita est. Post hunc Petrus ait: *Ecce nos reliquimus omnia*, quasi vana ergò illa sunt. Qui verò putat eà aliquid esse, puer est sensibus, quibus dicitur: *Vsquequo paruuli diligitis infantiam?* Et Paul. *Nolite paruuli effici sensibus, sed malitia paruuli estote*. De quibus proinde Psal. ait: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*. thesauros & opes abscondita dicit, vel quia recondi solēt; vel potius quia tanquam vilia ea Deus abscondit. Sicut in prin-

Eccli. 34.
Simile.
Psalm 72.
Matth. 13.
Luc. 8.
Isaiæ 7.
Prou. 1.
1. *Cor.* 14. & 13.
Psal. 16.

in principum domo pretiosa ob oculos omnium ponuntur, vilia verò abſconduntur, quia indigna conſpectu: Ita gratiam & dona cæleſtia in omnium oculis Deus poſuit; aurum verò & gemmas abſcondit in mari & in terræ viſceribus: de his ergò abſconditis illi ſatiati ſunt: *ego verò*, ait Dauid, *in iuſtitia apparebo conſpectui tuo; ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Sic & Bernardus omnia reliquit.

Sed cùm Petrus ait: *Quid ergò erit nobis*, amore concupiſcentiæ mercedem petere videtur. Eſt verò amor amicitiæ puriſſimus, qui ſoli Deo debetur; quem propter ſe diligere debemus, & omnia propter illum: qui amor nobis ineſt à natura & gratia; à natura quidem naturalis, à gratia verò ſupernaturalis. Natura quidem nos inclinat, vt Deum ſuper omnia diligamus. Super iſtam naturalem inclinationem charitas eam perficiens additur, quæ Deum diligit, vt bonum ſupernaturale, & ad eum cuncta refert. Et licèt potuerit Deus velle diligi à nobis ſolo amore amicitiæ, vt tamen eum plus diligeremus, voluit amore concupiſcentiæ diligi, tanquam bonum noſtrum. Vnde ait: Diliges Dominum Deum tuum, q.d. dilige eum, quia bonum tuum eſt. Quod ſi vtilitatem quæras & bonum tibi, nihil melius tibi eſſe poterit, quàm Deus, qui nunc tibi centuplum erit, & in alio ſeculo vita æterna. Licèt ergò homini Deo obſequi propter mercedem: ſed poſtquam homo dilexit Deum, vt bonum ſuum, debet ſe ſuaque omnia in Deo ordinare amore amicitiæ, quod perfectius eſt, & ideò maiori retributione dignũ. Charitas enim puriſſima vtilitatem non quærens, eam ampliorem recipit.

Duabus ergò rationibus homo ducitur, vt Deo obſequetur: prior eſt illius bonitas, quam reſpicit pura charitas: altera eſt vtilitas, quam reſpicit amor concupiſcentiæ.: & ſic nos Deus ducit amore ſui & noſtri. Diligis, ô homo, totum bonum? Deus totum eſt: dilige ipſum. Diligis te & commodum tuum? Dilige Deum, qui eſt præcipuum tuum bonum: ex cuius dilectione ſummam vtilitatem conſequeris. Si bonitatem attendere volueris, infinitam in Deo reperies: ſi vtilitatem: hîc centuplum recipies, & in futuro infinita bona.

Vtrum:

Vtrumque attendebat D. Augustinus. 1. bonitatem, cùm diceret Amo te Deus meus, magisque semper amare cupio; quia tu es reuera omni melle dulcior: ô ignis, qui semper ardes! ô amor, qui semper serues. Accende me, accendar, inquam, totus à te, vt totus diligam te. Vtilitatem attendebat, cùm diceret: Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Sicut non est finis bonitatis tuæ, ita non est finis retributionis tuæ: quoniam tu es ipse pręmium & donum. Quòd si dixeris quomodo tanta bona consequi potero? Respondet Bernard. *Ego quidem à meipso indignus sum, sed Christus Dominus meus duplici titulo ac iure exigere regnum cælorum potest, propter hæreditatem patris, & meritum paßionis. & altero ipse contentus alterum mihi donat, meritum scilicet suum, quo ad tantum præmium assequendum peruenire potero.* *Aug. in Soliloq. c. 19.* *Augu. Soliloq. cap. 21.*

Sed quid Christus respondeat videamus: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me*, &c. Quibus verbis multa docemur. 1. Si quis in Deum diues fuerit, experientur in se magnificentissimum Deum. Multi quidem parci sunt, parceque seminant, dum Deo sua tribuunt; qui tamen in his, quæ mundi sunt, vniuersa sua effundere non verentur: sed quem ex his fructũ habes? centum seminasti, & vnum nõ messuisti. Qui in agro pingui seminant, libenter largeque semen effundit: nouit enim nimis multiplicandum: quare ergò in hoc prædio omnia tua non seminabis? Nunc ergò ad Apostolos ait: *quia secuti estis me* pauperes facti, & minimi in hoc mundo, eritis principes *in regeneratione*, & tanquam regni mei magnates, cùm reliqui adstabunt coram tribunali iudicandi, *vos sedebitis* tanquam principes Magna profectò Dei merces Hinc Sancti libenter vniuersa pro Deo reliquerunt, & nimio feruore corpus macerabant, vt Deo obsequium præstarent. Qua in re multum excessit S. Bernardus, qui semper sibi dicebat, Bernarde ad quid venisti? & pro Ecclesia innumeros subijt labores, vt schisma tolleret; quod & perfecit. Videmus igitur mercedem Apostolis concessam, qui pauperes pro Christo esse voluerunt: cuius participes sunt illi sancti, qui eos imitantur, vt Bernardus. *Rom 6.*

Nobis

Nobis verò quid relinquitur, quibus difficillimum apparet ad eum venire principatum? Addit Dominus. *Et omnis qui reliquerit domum.* &cæt. Sicut duo mala in peccato sunt, recessus à Deo, & conuersio ad creaturam: ita duo complectitur perfectio virtutis, quæ illis opposita sunt, recessum à temporalibus, & accessum ad Christum: relictio enim temporalium & Christi sequela summa est totius perfectionis. Et hoc est quod Petrus ait: *reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Hæc omnium summa virtutum Hinc sancti vt liberius expeditiusque CHRISTVM sequeretur, omnia reliquerunt.

Sed ais, Nónne possum salutem consequi, etiamsi diues sim? nonne Patriarchæ diuites fuerunt? Certè difficile ab affectu dimittitur, quod effectu retinetur. Hinc Bernard ait: Hæc causa fugiendarum diuitiarum præcipua est, quòd aut vix, aut nunquam valeant sine affectu retineri; facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. Et ideò vt ab hac difficultate se Sancti liberarent, effectu omnia reliquerunt, vt certiorem salutem suam redderent. Salus nanq; æterna tantum est, vt sub dubio relinqui non debeat; sed omnib. modis certior reddi. Quod si vnquam difficile fuit, diuitem intrare in regnum cęlorũ, nunc maximè: quando mundi vanitas ac peruersitas supra modum excreuit. Cùm mare tranquillum est, potest nauis onusta mercibus securiùs viam agere: cùm intumuerit, oportet alleuiare nauim. Fuit aliquando mundus serenus, cùm Patriachæ diuites essent: tunc ciborũ nulla pretiositas, vestium cultus moderatus, fastus nullus, arrogantia ferè nulla. Sed nũc tempestas exorta est; est cor hominis tanquã mare feruens. Patriarchę nõ videbant Deum pauperẽ, quem imitarentur: tu verò vides eũ, qui diues erat, pro te pauperem factũ: vt ergò eum imiteris, pauper esto. Noli vero metuere, quòd ideò miser futurus sit, cùm pauper fueris: *melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Nec pretiosior cibus sed gustus lautam facit mensam. Et in hoc verum habet: *Qui plus collegit non inuenit plus; nec qui minus parauit minus.* Si ergò pauperi minus à Deo datur, non ideò minus habere dicitur. Desideras temporalia multa, obtine-

In Matt. 19.

Psalm. 36.

Exod. 16.

2. Cor. 8.

tinebis forsan ea, sed ita te grauabunt, vt dicas cum Rebecca: *si sic futurum erat, quid necesse fuit me concipere*, acquirere diuitias? vt quid has optaui, & conquisiui? &c.

Gene. 21. *Vide in festo S. Benedicti.*

IN FESTO S. BARTHOLOMæi Apostoli.

THEMA: *Cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* &c. Luc. 6.

PRIMVS locus in Dei domo Christo principi debetur: secundus verò locus Mariæ; tertius Ecclesiæ militantis & triumphantis locus Apostolis debetur, quorum hodie electio proponitur in Euangelio, qui reliquos sanctos gratia & donis cælestibus excedũt: & ideò eos primùm in Ecclesia Christus posuit, vt essent cùm eo, & vt illos mitteret ad prædicandum: quorum primum spectat ad ipsorum profectũ, vt scil. familiarissimè cum ipso essent; vt magis ab eo discerẽt mysteria regni cęlestis, & eius exempla intuerentur: secundum pertinet ad profectum Ecclesiæ, propter quã
missi sunt, vt eam docerẽt. Et ideo Apostoli sunt Eccle- *Ephes. 2.*
siæ fundamenta. Et Ioan. vidit 12. fundamenta Ierusa- *Apoc. 21.*
lem descendentis de cælo, in quibus nomina duode- *D. Thom. ad*
cim Apostolorum erant scripta. Significauerunt hos *Ephe. 2.*
12. Apostolos 12. filij Iacob, quoad authoritatẽ: duode- *Gen. 29. 30.*
cim fontes in Helim reperti, quoad doctrinæ effusio *49.*
nem: duodecim panes propositionis, quoad gratiæ re- *Exod. 15.*
fectionẽ: duodecim lapides grandes positi in ripa Ior- *Leuit. 24.*
danis, quoad cõstantiæ stabilitatẽ: 12. boues tẽpli quo- *Ios. 4.*
ad maturitatẽ: 12. stellæ in capite mulieris, quoad cæ- *3. Reg. 7.*
lestium contemplationẽ: 12. Leones sustinentes thro- *3. Reg. 10.*
nũ Salomonis, quoad robur fortitudinis: 12. explorato *Num. 13.*
res missi in terram, quoad sciẽtiam cælestium: duode- *Ioan. 12.*
cim horæ diei, quoad luminis claritatem. *Rupert. in*

Diximus aliquid de 12. Apostolis: dicam⁹ iam aliq̃d *Ioan. 1.*
de B. Bartholomæo, cuius celebrem diem nunc agi *Aug. tract.*
mus. Is ab aliquibus existimatur fuisse magnus ille *7. in Ioan. 1.*
Natha-

Iansen. c. 17. 39. conc: Euang. Beda. Cyrill. lib. 2. cap. 19. in Ioan. 1. σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. & σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ.

Nathanael, quem Philippus duxit ad Christum: quem intuens Christus ait: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*. quia verus filius Iacob, virtutũ illius imitator. Qui viciſſim, cùm audiſſet à Chriſto, *cùm eſſes ſub ficu vidi te*, reſpondit: *Tu es filius Dei: tu es Rex Iſrael.* Nam in Euangelio comperimus, cùm Apoſtoli numerantur, cohærentem Bartholomæum Philippo; per Philippum verò Nathanaëlem vocatum diximus ad Chriſtum. De Bartholomæo verò quando fuerit vocatus, neſcimus: ſicut de Nathanaele non nouimus, quo deuenerit, poſtquam vocatus eſt Deinde Ioan. qui dixerat aliqua de Nathanaële, cùm reliquos Apoſtolos nominat, Bartholomæi non meminit. Et reliqui Euangeliſtæ, qui Bartholomæum nominant, Nathenaëlis non meminerunt. Denique Bartholomęus nomen propriũ non eſt, ſicut nec Bariona: ſignificat enim, filius Tholomæi, id eſt, ſuſpendentis aquas: Nathanael verò nomen eſt proprium. Cùm itaque Bartholomæus coniungatur Philippo, oſtenditur ab eo vocatus: coniungunt enim Euangeliſtæ Apoſtolos numerando, quos vocatione Deus coniunxerat. vt Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem. Tum quoque Ioan. enumerans apparitiones Chriſti Apoſtolis factas, iungit Apoſtolis Nathanaelem: idem ergò fortè eſt ipſe Nathanael, & Bartholomæus. Nec obſtat, quòd Nathanael legis peritus erat: nam ſcientia vnum ex donis Spiritus ſancti numeratur; ideo fidei meritum non minuit Et Paulum ad Gamaliëlis pedes eruditum ab Apoſtolica gratia non repulit.

Ioan. 21.

Vidimus initia ſuprema Apoſtolatus D. Bartholomæi in Nathanaële. In Euangelio oſtenditur electio eius in Apoſtolum; & hodiè exitum & mortem illius celebramus in martyrio crudeliſſimo Sed prius de electione aliquid dicemus, vt Euangelium explanemus. Inſpiciamus ergò Chriſti manus & opera: nec enim minus nos docet operans, quàm loquens. Quid facit Dominus electurus Apoſtolos?

Exijt in montem orare. Vſurus excellentiæ poteſtate, ad quam pertinet Apoſtolos eligere, & Sacramenta inſtituere, orat primùm. Sic quia vniuerſa hominum bona à Deo ſunt, vt bona nobis proueniant, illud quo-

que

que peragendum est Hinc Psalm. *Leuaui oculos meos in montes,, vnde veniet auxilium mihi.* Hinc vocamur à Deo per Moysen, *regnum sacerdotale*: cùm autem munus sacerdotum sit orare, regnum sacerdotale est regnum, quod oratione stabilitur atque firmatur. Tu ergò in omnibus negotijs Deum ora, *à quo omne datum optimum & omne donum perfectum*, & ad regnum sacerdote pertinebis. Hinc Apost. *Nihil soliciti sitis, sed in omni, oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* In omni scilicet re oratione vtimini. Si verò in omnibus negotijs Deum orare debemus, in arduis & difficilibus siue animam siue corpus spectent, diutius nobis orandum est, vt ex voto succedant. Ita nunc Christus Dominus *pernoctans erat in oratione*, electurus Apostolos: vt te doceat. 1. si difficili tentatione vrgeris; si statum tibi aut filio eligere debeat, longam tibi præmittẽdam esse orationem; nec tuam solum, sed & aliorum. Quia verò id non agimus, multi accidunt nobis infelices successus. 2. vt nos doceat in oratione perseuerare. Hinc Chrys. In tranquillitate es? ora Deum, vt ipsa tibi tranquillitas maneat. Tempestatem vides grauem! ora Deum, vt auertat ipsam: exauditus es! gratias age: non exauditus es! perseuera Etsi aliquando differt Dominus, non id odio facit, neque te auersatur; sed differendo te secum diutius seruare vult. 3. si nostra salus adeò cordi Christo fuit, vt causa illius pernoctaret, quàm eadem cordi nobis esse debet? quid nõ te pro salute tua facere oportet? Audi Ier. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Et Psal. *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Et Isa. *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis vigilabo ad te.* Et Dauid. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo: In matutinis meditabor in te, quia tu fuisti adiutor meus. Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* & cæt.

Iacob 1. *Psal. 120.* *Exod. 19.* *Iacob 1.* *Phil. 4.* *In hom. de profectu Euang.* *Ambr. in Luc. 6.* *Thren. 2.* *Psalm. 133.* *Isa. 26.* *Psalm. 60.* *Psalm. 118.*

Post orationem verò ait Luc. *Cùm dies factus esset, elegit duodecim, quos Apostolos nominauit.* In hac electione duo nobis consideranda sunt. 1. quòd cùm posset eligere potentes, sapientes, & diuites, elegit pauperes & *infirma mundi, vt confundat fortia*, vt non glorietur omnis caro; nec Euangelij victoria tribuatur poten- *1. Cor. 1.*

tiæ aut ſapientiæ mundi, ſed Deo. 2. non conſiderandum ſolùm, ſed & mirandum eſt, quòd Iudam elegerit, cùm ſciret eum fore proditorem : *quia ipſe ſciebat, quid eſſet in homine*. Reſp. 1. non erat tunc Iudas indignus Apoſtolatu ; poſteà verò à recto ſtatu decidit. vt diſcas non laudari in Chriſtianis initia, ſed finem. Paulus malè incepit, ſed benè finiuit. Iudæ laudantur initia, ſed finis proditione damnatur Qua in re timenda ſunt nobis iudicia diuina, cum Pſalmog. qui dicit: *A iudicijs enim tuis timui*. Rectè nos monet Apoſt. *Cùm timore & tremore ſalutem veſtram operamini*. Et, *qui ſtat, videat, ne cadat*. 2. Reſpond. Dei amorem in nos limitibus non concludi : quia ergò ex hac Iudæ electione multa nobis commoda prouentura erant, eum elegit, licèt diabolus eſſet. *Primò* autem oſtendit in Eccleſia malos permixtos eſſe bonis debere. *Secundò*, ne deſpiciamus congregationem bonam, quòd vnus vel alter prauus reperiatur. 3. ne quis in hac vita ſecurum ſe putet. 4. vt nouerit iuſtus, cùm poſt orationem aliquid facit, quod Deo gratum putat, ſibique conueniens, non quidem errare, ſed rectè agere; licèt ſucceſſus id non probet : & ideò ante Deum mercedem recipiet. Dediſti eleëmoſyna mei, quem putâſti pauperem, ſi forſan non erat ; eleëmoſyna tamen grata Deo fuit. Sic in ſimilibus. Iam de exitu Bartholomæi pauca dicamus.

Ioan. 2. *Theoph. in Marc. 3.* *Hieron.* *Pſalm. 118.* *Rom. 11. 12.* *1. Cor. 10.* *Philip. 2.* II. *Ioan. 6.* *Vtilitas.* 1. 2. 3. 4.

Sed ſi Iudas electus Apoſtolus, diabolus factus eſt, & fur terrenorum cupiditate ductus, quin & proditor: Bartholomæus ſimul electus ei per omnia contrarius eſt, qui non ſolùm terrenam exuit ſubſtantiam, ſed & veſtes & pellem pro Chriſto dedit. Certè homo ita ſui eſt amans, vt *pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet, det pro anima ſua*, id eſt, vita tuenda, vel animi deſiderio explendo, imò & ipſam Dei gratiam negligat : at vt indueret animam S. Bartholomæus exuit corpus. Præſtitit Bartholomæus, quod ſerpens ; qui vt nouam induat tunicam, veterem exuit per anguſtias petrarum aut ſpinarum tranſiens. Olim Ioſeph pallium dimiſit in manu heræ, ne adulter eſſet. At S. Bartholomæus non pallium ſolùm, ſed pellem pro Chriſto reliquit.

Iob 2. Simile. *Gene. 39.*

Sed

Sed qua fide ô Bartholomæe pellem relinquis? Certè fide illa, qua Iob ait: *Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouißimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea*. Eam nunc relinquo mortalem, recipiam verò gloriosam. Sed ad quid nobis vtilis est hæc Bartholomæi pellis? Sicut animalium pelles protegebant tabernaculum, vt pluuiæ & temporis iniuriæ non pateret; ita Bartholomæi pelle protegere nos possumus, ne tribulatione lædamur. Amisisti, ô homo, diuitias, vxorem, liberos! num pellem amisisti, vt Bartholomæus? excoriatus fuisti pro Deo? si ista passus non es, quid conquereris. Proponitur igitur nobis decorticata virga Iacobi, Bartholomæus pelle detracta, vt eum contemplemur. Inspiciebat seipsum Christi Apostolus, & placebat sibi in infirmitatibus & doloribus; & tunc se regem purpura indutum putabat. Gene. 30. Quid nobis loquitur hæc decorticata virga? vt discas pellem dare pro animæ æterna salute, si necesse fuerit: nec solùm mandata seruanda, sed vniuersa pro Deo relinquenda, imò & pellem. Deinde disces, pellem tuam detrahere te odiendo, non alienam; vt illi de quibus Mich. *Audite Principes Iacob. Nunquid non vestrum est, iudicium scire, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum? qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt?* & cæt. Mich. 3.

IN FESTO S. AVgustini.

THEMA: *Vos estis lux mundi: vos estis sal terræ.* Matth. 5.

SVmma Christianæ & Catholicæ Ecclesiæ laus eà est quòd cælesti quàm simillima est: nam Christus Dominus eã sic fundauit ad cælestis Hierusalem similitudinem, vt de cælo descendisse videatur: quin & eadem est cum illa. Vna est enim Ecclesia militans & triumphans, ambulans per fidem, & quiescens

in cælo. Sicut autem in cælo sunt illuminati & illuminantes; ita & in Ecclesia. Hodiernum verò Euangelium eos respicit præcipuè, qui sunt illuminantes, prælatos scil. doctores, & gubernatores.

Ad hos Christus loquitur, cùm ait: *Vos estis sal terræ*, id est, sapor, dulcedo, consolatio, refrigerium, lætitiaque mundi. Hæc efficit sal in cibo, quem condit; hæc vos efficere debetis in terra. Attende quomodo hæc
Luc. 4. præstiterit primum Salis granum Christus, exponens
Isa. 61. de se illud Isa. *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me; ad annuntiandum pauperibus misit me, vt mederer mansuetis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, clausis apertionem*. Et inde Euangelium dicitur eius doctrina, quod bonum nuntium sonat. Verè Euangelium in consolationem facta est: in idem Prælatus, & prædicator, ideò *Sal* dicitur; quia gustum bonum saporemque tribuit Hinc Paul. *Solicitè cura, teipsum probabi-*
2. Tim. 2. *lem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis*. Cùm mœstum consolaris, perfectum adhortaris, iustum spe firmas, impium terres, tunc verbum veritatis rectè diuidis. Quia verò propria annuntiatio Euangelicæ legis, est amor, misericordia, dulcedo, sicut legis antiquæ timor, ideò nunc dicitur, *Vos estis Sal terræ*: & sic dicuntur eius prædicatores, quia annuntiant benignitatem & humanitatem Saluatoris nostri Iesu Christi. Sed audi, quid eis adijciat Dominus.

Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Prælati casus similis est casui Angeli, qui irreparabiliter cecidit. Licèt enim Prælatus delinquens reparari possit, difficulter tamen. Sed mirum profectò, quòd sal infatuari possit. Hinc facilè colliget, sibi non superbiendum. Summè hominem humiliat, cùm videt infatuari & deijci se posse. Sed si deficere posse nos humiles facere debet; quo nos deijciet in peccata prolapsos esse? Hinc
Psalm. 37. Psalm. *Humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei*.

Adijcit cælestis magister: *Vos estis lux mundi*. Prælatus enim sapiẽtia maxima præditus esse debet, per quã lux sit. Sapientia humana, quæ est cognitio naturalium, & ipsius etiã Dei, vt cognitus est à Philosophis,
in se

in se considerata bonum quiddam est: sed in particulari quādo est in homine peccatore, nec eam in Deum ordinat, bona non est, imò nihil est, & ideò sapientia absolutè dicenda non est: *non est hæc sapientia, quæ desursum est, sed est animalis, terrena, diabolica*, cùm peccator ordinat illam scientiam in bona terrena acquirenda: *nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi*, & *comprehendit sapientes in astutia eorum?* Vera autem sapientia est amor & timor Dei. Hinc Iob ait: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Ratio est; quia ille est verè sapiens, qui se & omnia sua nouit dirigere in vltimum finem, qui beatitudinem nouit sibi acquirere, quod est bonum hominis simpliciter. Sapientia eorum, *qui sapientes sunt, vt faciant malum, bonum autem facere nescierunt*, stulta est, nec honore & nomine sapientiæ digna, & vertigo est, qua mens hominis turbatur; quia deest ei diuina gratia: at diuina sapientia hominem componit vniuersum: *& omnem docet virtutem, iustitiam, & prudentiam, qua nihil vtilius est in vita hominibus.* Hanc omnes possunt possidere, & ab hac, quæ verum est bonum, excluditur nullus. Quando verò huic sapientiæ adijcitur scientia humana, est illi magnum ornamentum, secundum illud Dan. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cum enim vtraque sapientia ista in homine est, non sibi duntaxat, sed vniuerso mundo lucet: & qui hanc habent, verè lux sunt mundi.

Iacob. 3. *1. Cor. 1.* *1. Cor. 3.* *Ierem. 4.* *Sapient. 8.* *Danie. 12.*

Qua in re quantum excelluerit S. Augustinus, superfluum est ostendere, sicut superfluum esset solis lumen amplificare. Sicut Abraham secundum Hebræos tria habuit nomina, primò dictus est Illam, id est, excelsus, cùm esset in Chaldæa in domo patris: deinde vocatus à Deo, dictus est Abram, id est, pater excelsus: tandem postquam circuncisus est, dictus est à Deo Abraham, id est, pater multarum gentium. Ita Augustinus vocatus est primò excelsus philosophus celsitudine *scientiæ, quæ inflat, non charitatis, quæ ædificat.* Accessit mater pietate plena, prædicatio sancti viri Ambrosij episcopi, vita & exempla sanctorum patrum.

Aug. ho. 40. ad frat. in eremo to. 10. *1. Cor. 8.*

Psalm. 28. trum,& cum his omnibus *vox Domini confringentis cedros*,& sic factus est pater excelsus : deinde factus est Episcopus,&tunc factus est pater multarum gentium. Pontifices enim sicut vocantur pastores ,ita & patres

Psalm. 51. plebis : & tunc euasit *sicut oliua fructifera in domo Dei*: &

Psalm. 127. *sicut vitis abundans in lateribus domus Dei* . Fuit ergò Au-

Eccli. 50. gustinus Ecclesiæ lux, & Sol eius; sicut *sol refulgens in*

Ephes. 5. *templo Dei*. Sed num semper lux? imò *aliquando tene-*

Augu. lib. 8. *bræ,nunc autem lux in Domino* . Cùm audita Antonij

Conf. c. 6. 8. morte videret,surgere indoctos, & rapere regnum cæ-

11. & 12. lorum,doctos verò cum suis scientijs demergi in pro-

Psalm. 7. fundum,ingressus hortum ibi orauit; *Vsquequo Domine*

12 78. *obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me?* Si aliquando ad te veniam , cur non modò ? si nunquam,ad quid mihi vita? Venit tunc ad eum è carne cogitatio; Augustine,quid facis? in æternum delitias à te separas? Cumque sic anxius esset,audiuit vocem dicentem sibi : Tolle , lege : & aperto libro offendit lo-

Rom. 13. cum illum Pauli; *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs;sed induimini Dominum nostrum IESVM Christum*. Hoc audito verbo descendit in eius animam lux , omnem abigens amorem, pellens tenebras,viditque se liberari gratia Dei. Tunc ce-

Psalm. 115. cinit: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Psalm. 39. *Erexit eum Dominus de luto , & statuit supra petram gressus eius ; immisit in os eius canticum nouum*. En veram illi concessam sapientiam, qua in vltimum finem se dirigeret & omnia sua . O si vel hinc disceres, peccator, qui cathenis vinctus à dæmone teneris, clamare ad liberatorem,qui facilè te solueret à vinculis . Pressus es

Psalm. 19. seruitute durissima? clama ad Deum *vt mittat tibi auxi-*

Iudic. 5. & *lium de sancto, & de Sion tueatur te* . sicut Israelitæ fece-

sæpe. runt. Filius Dei erat! dæmonis mancipium factus es,

Psalm. 17. ab eo malè vexaris,an nō clamabis; *Eripe me de inimicis meis fortißimis?*

Sed fortè ais;nimis longè factus sum à Deo peccatis grauissimis,non me audiet clamantem. Vide,quo abierit Augustinus?& reuocatus est : vide, quo abierit

Luc. 15. prodigus? certè in regionem longinquam , & rece-

Rom. 5. ptus est. *Vbi abundauit delictum,superabundauit & gratia.* Tu ergo confortare , proijce te in Deum cum Augu-

stinos

ſtino; & excipiet te. Diuina luce circunfuſus Paulus, ex lupo agnus eſt factus. *Actor. 9.*

At cum ſtrenue militantibus terræ reges inſignia dare ſoleant, duo præclara inſignia, myſterio plena Auguſtino data ſunt. 1. Eccleſia, quam manu geſtat; quia eã defendit ab inimicis; vt Hieronymus eũ dicat nouæ fidei conditorem. 2. eſt cor ſagittis transfixum, quo ſignatur illius ardentiſſima charitas; de qua ipſe ait: Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua. Sed quanta illa fuit? Mirabilis certè: nam vniuerſos ſapientia ſuperauit, ſed charitas eius ſapientiam vicit: & ſic ſi ſapientia ſuperat reliquos poſt Apoſtolos, quia maxima; charitate ſuperabit, quæ adhuc in illo fuit maior, quàm ſapiẽtia. Meritò ergò eius inſigne eſt, cor ſagittis transfixum. *Poßidon. in vita S. Aug. Torrenſ. in confeſſ. Auguſtinian. ex teſtim. Patt. de Aug. Hieron. epi. 80. ad Aug.*

Hoc autem primum munus, ſeruare Eccleſiam, Dei amore peregit. Amor enim diuinus in Eccleſiam maximè apparet in cuſtodia maxima erga illam. *Primo enim* eam ipſe cuſtodit; maximè verò ex quo factus eſt homo paſtor eſt hominum, & gregem ſuum cuſtodit. *Secundò* Angelos deſtinauit, vt eam cuſtodiant: *omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium mißi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Tertiò inſuper Eccleſiæ dedit cuſtodes *Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* His enim dominico præcepto incumbit neceſſitas cuſtodiendi Eccleſiam. Horum gladius eſt *gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei* Horum doctrina vicit tyrannos, ſuperauit hæreticos, inſequitur vitia, terret peccatores, ſicut Aſinam Balaam gladius Angeli, vt relinquant vias peſſimas, & denique de omni hoſte triumphat. Cuſtodire igitur Eccleſiam prælatorum munus eſt, eiſque neceſſario incumbit. Hinc Paul. Væ mihi, ſi non Euangelizauero: & Dominus dicit: Si ſpeculator non inſonuerit buccina videns gladium venientem, & populus ſe non cuſtodierit, ſanguinem eius de manu tua requiram. *Ioan. 10. Ezech. 34. Hebr. 1. Ephes. 4.*

Sed quomodo populus paſtorum cura vti debeat, vt ſeruetur, oſtendit Iſa. *Dixit cuſtos, venit mane, & nox:* *Iſaiæ 21.*

si quaeritis, quaerite, conuertimini, venite. id est, qui nosse cupit rem certam, & quae ad eum pertineat inter prospera & aduersa, non à longè interroget, sed propius accedat, & respondebo ei: *Si quaeritis, quaerite* salutem: *conuertimini, venite.* Vult aliquando peccator in peccato manere substantia aliena retenta: consulit doctorem, vt eum securum reddat, non animo restituendi, is à longè interrogat, & malè. Si ergò rectè interrogare vis, propius accede animo parendi, peccatumque omninò relinquendi. Vt ergò doctrina doctorum nobis proficua sit, accedamus prope ad Deum, derelinquamus omninò peccatum, & tunc nobis illa proderit. &caet.

IN DECOLLATIONE S. IOannis Baptistae.

THEMA: *Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum.* Marc. 6.

Chrys. hō. 15. & 16. ex varijs loc. in Matth. Hom. 40. in Matth. 14. Gen. 3. & 34.

MVLTA sunt mala, quę mulieres mundo attulerunt. Eua enim ruinam mūdo vniuerso attulit. Dina Sichimitarum perditio fuit: Et Herodias caput abstulit Ioannis; & caput tantū traditum est pedibus saltatricis filiae Herodiadis. Sed nihilominus per mulierem vnam vniuersa bona mundo allata sunt, quae caput contriuit serpētis, quae caput Ecclesiae Christum è caelis attulit: eam nunc exoremus.

3. Esd. 3 & 4. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei cap. 36. Petr Chrysol. serm. 127 173. 174. Aug. ser 36. de sanct. & serm. 11. 116. 117. in nouis.

Mirabile nobis proponitur, cùm dicitur, *Herodes metuebat Ioannem.* Sed ratio est, quoniam *sciebat eum virum sanctum & iustum*; & ideò nouerat esse Deum cum eo. *Tres custodes corporis Darij* concertantes *scripserunt: Vnus, fortè est vinum: alius, fortior est rex: tertius, fortiores sunt mulieres; super omnia autem vincit veritas.* Vniuscuiusque sententia ex historia huius Euangelij probari potest. Potentia enim vini apparet; dum hoc effecit, vt tantum scelus perpetraret Herodes. Potentia regis hodie etiā manifesta fit, qui Baptistā verbi pręconem occidit. Potētia mulieris etiā palam fit; mulier n.

causa

causa facinoris tanti fuit. Sed potentia veritatis maxima declaratur, dum *metuebat Herodes Ioannem* annuntiantem veritatem. Licèt in carcere vinctus sit, timetur ab Herode: quia potentior est veritas vino, rege, muliere. Qua in re edocemur, vt tanta sit morum grauitas ac vitæ sanctitas in fidelibus, ac tantum in peccatum odium, vt coram eis nullus audeat quippiam mali perpetrare, sed omnibus timori ac venerationi sint, vt Ioannes fuit Herodi.

Ioannes ergo veritatis est præco, Christique testis: & ideo voluit Dominus in veritatis testimonium capite eum plecti; vt testis appareat omni exceptione maior, qui adeò amans veritatis est, vt sanguinem fundat, ne veritatem taceat. Voluit Christus testes suos omni authoritate præditos esse. Et cùm primus ipsius testis Ioannes sit, *qui venit, vt testimonium perhiberet de lumine*, decreuit ea vitæ sanctitate ipsum ornare, vt ei omnes crederent testimonium de Christo danti. Cum Deus in lege naturæ & scripta plures sanctos mundo ostenderit, in fine illarum legum Baptistam condidit; quia *lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*: in Ioanne ergò *Matt. 11.* epilogum omnium & summam conscripsit, vniuersa bona quæ præcesserant continentem. Et cùm etiam initium fuerit Euangelij, tanquam in principio omnẽ virtutem Euangelicam posuit, vt nihil illi desit in vlla gratia. Et ideò Ioannes Apostolus fuit Patris; quia *fuit homo missus à Deo*, Apostolus verò missus est. Fuit Virgo purissimus ac Angelicus; *Propheta & plus quam Propheta*; Patriarcha & pater Eremitarum, & religiosorum; Doctor Ecclesiæ; & ne quid boni in alio inueniri posset, quo ipse careret, martyr hodie efficitur. Quid iam in eo desiderare possumus? Hic Ecclesia. Trina *Ioan. 1.* centeno cumulata fructu, te sacer ornant: quia tribus *Matt. 11.* laureolis in cælo decoratus est, Doctoris, Virginis, & *Greg. Naz.* Martyris. Reliqui martyres autem sequuntur Christũ: *orat 10. in* Ioannes autem Christum præcedit, & vitam fundit; *Machabæos.* cùm adhuc clausum est cælum. Sed qui ante Christi *Aug. in Psa.* passionem subiere martyrium, quid post Christum in *140 in fine* persecutione, eiusq; pro nobis obitæ mortis imitatione *vers. singula-* facturi fuissent? Quorum enim nullo proposito ex- *riter sum e-* emplo talis tantaque virtus fuit, an non ij exemplum *go.*

 illud

illud intuentes fortius in certamen descẽdissent? Christus enim verbo & exemplo leuiorem crucem reddidit, & ideò facilius portatur. Ioannes igitur sine exemplo Christi martyrium fortiter sustinuit. Decollationis verò causam proponit Marcus dicens. *Misit Herodes, ac tenuit Ioãnem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Fuit hic Herodes cognominatus Antipas, qui & Christum illusit veste alba.

In Herode autem intueri licet, quo hominem ducat inordinatus affectus: tulit enim vxorem fratris, & Ioannem è medio tulit. Passio enim vehemens iudicium excæcat & voluntatem deprauat. Excæcat verò hominem duplici de causa. 1. quia considerationem vtiliũ aufert. Sicut enim is, qui magna vrgetur febri ac siti, cogitat flumina ac fontes; ita iratus vindictas; cupid⁹
Psal. 139. pecunias, superbus honores, inhonestus delitias. Hinc
Mich. 2. Psalm. *Cogitauerunt iniquitates in corde.* Ad hos autem Michæas. *Væ vobis qui cogitatis inutile, & operamini mendacium.* Et ideò licèt fidei oculos habeant, tamen clausos; quia illius consideratio impedita est: & ideò fides non operatur. Ideo monet Ierem. *Laua cor tuum Hieru-*
Ier. 4. *salem; vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Sicut verò cogitationes inutiles ac vanæ animam perdunt, ita bonæ ac sanctæ animam impinguant. Hinc Bern. ANIMAE VITA DEI MEMORIA. 2. passio excæcat, quia iudicium turbat, vt malum bonum videatur, & contra bonum malum: similisque est homo ei, qui ocularia habet, colore aliquo infecta, quibus
Isa. 5. omnia apparent illius esse coloris. Ad quos Isa. *Væ, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Quæ obsecrò maior cæcitas esse potest, quàm vilem mulierculã pluris æstimare quàm Deum, vt Herodes fecit? Annõ per simile est id, quod Iudæi fecerunt, pluris ducentes Barrabam, quàm IESVM? Dic, ô homo, quantum bonum Deus est? an non infinitum? quomodo ergo ei præfers breuem inanem delectationem? thesaurum cælestem relinquis pro argenteo, imò luteo? Miserum profectò ac luctuosum commercium, quod peccator facit. Si igi-

tur Herodi ſimilis fuiſti hucuſque, nunc audi Ioannē dicentem Herodi.

Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Conſtans Ioannes eſt, nec Regi parcit filius veri ſacerdotis, & ipſe ſacerdos. De ſolo Azaria dicitur, quòd *ſacerdotio functus eſt in domo Domini*, quia ipſe virili animo reſtitit Oziæ regi, cùm voluit vſurpare ſacerdotij dignitatem, & incenſum offerre. Sic etiam Theodoſius Imperator aiebat; Nullum ſe inueniſſe Epiſcopum in Italia, niſi Ambroſium, qui ei reſiſtebat. Hinc Chryſoſt. Siue quis dux militiæ ſit, ſiue præfectus, ſiue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe; maiorem illo poteſtatem habes. hæc veſtra dignitas eſt. Præclarum ſe exhibet ſacerdotem Ioannes, cum ait: *Non licet tibi.*

2. Paral. 26.
Theodo. li. 5. hiſt. Eccl. c. 17. Chryſ. ho. 83. in Matth. & 60. ad popul.
Amos 5.

Sed ais: Non aſpera fuit reprehenſio Ioannis ſed tantum ait: *Non licet tibi*. Certè ſatis dixit Ioannes: Hoc enim verbo dixit eſſe illud lethale peccatum; reliqua omnia hinc manifeſtè colliguntur. Deinde cùm ait; *Non licet tibi*. oſtendit illud contra Dei voluntatem eſſe: hoc verò ſatis eſſe debet, vt illud nullo modo admittas, licet ratio nulla eſſet. Satis enim filio eſſe debet noſſe aliquid contra voluntatem patris eſſe. Et adeò grauis hæc ratio eſt, vt Ioanni viſum ſit ſatis dixiſſe; *Non licet tibi*. Satis ergo tibi ſit noſſe, hoc lethale peccatum eſt, vt ab eo recedas. Cum enim dicitur; Non licet, dicitur impoſſibile id eſſe homini ratione vtendi.

Chryſ. ho. 15. ex varijs in Matt locis.
Dan. 6. & 14.
3. Reg. 21.
Ion. 2.
Iud. 16.

Herodias autem inſidiabatur ei. Quia odio habuit corripientem in porta, & loquentem perfectè abominata eſt. Herodias enim firmiter decreuerat perſeuerare in via peccati. Nulla beſtia in hoc mundo ſimilis eſt mulieri malæ. Quid leone inter quadrupedia ſæuius? quid ſerpentibus aut draconibus atrocius? Sed hæc animalia ei in malo inferiora ſunt Iuſtum Danielem in lacu leones reueriti ſunt: iuſtum Naboth Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre cuſtodiuit: Dalila Samſoſonem tradidit Philiſtæis. Dracones & aſpides ſurdæ & cornutæ Ioannem in deſerto viuentem ſubdita feritate timuerunt; Herodias eum decollauit. Eliam corui pauerunt, & Iezabel perſequebatur.

Matt. 3.
3. Reg. 17. 19.

Non

Non poterat tamen Herodias Ioannem occidere, quia *Herodes metuebat Ioannem, & libenter eum audiebat, & audito eo multa faciebat.* Sed ô Ioannes, cur hoc contentus non es? Nequaquam: quia *qui offenderit in vno factus est omnium reus.* Sic nihil tibi proderunt plurima opera pia, si Herodiadem Domi contineas. Caue ergò, ô homo, ne in domo tua retineas Herodiadem. Licèt omnia alia relinquas peccata, si Herodias in domo manet, nihil te fecisse crede.

Iac. 2.

Et cum dies oportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnã fecit principibus. Ritus hic gentilium erat, vt diem natalis celebrarent. Dies quidem natalis noster flendus potius ac maledicendus, quam celebrandus esset: quia in peccato nati sumus. qua ratione omnis homo plorans nascitur. Vnde Sap. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Qualis enim materia gaudendi, quòd quis in mare descendat, eius pericula probaturus. In die ergò natalis tui attende plurimos elapsos annos vitę tuę, ex quibus aut nihil, aut parum fructus collegisti.

Sap. 7.

Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, &c. Saltus nihil aliud est, quàm insania quædam, sed placere solet. Nihil aliud est peccatoris vita, quàm saltus & insania. Sicut enim saltans huc illucque mouet pedes, manus, corpus, quasi insanus: Ita peccator dum vindictam exercet, dum superba curat, quid aliud quàm saltus insanos peragit? Sed huiusmodi insani non iudicantur, non quia non insaniunt, sed quia eorum saltus conformes sunt sono, quem eis pulsat mũdus. Alij verò sunt iustorum saltus, qui stultitia videntur amatoribus seculi huius, cùm tamen sapientia pleni sint: quos significauit saltus Dauidis ante arcam, quos irrisit Michol. Stulti hi saltus apparent mundo, quia nõ audit interiorem sonum, quem Deus pulsat iustis, cui aptantur. An non crux Christi stultitia apparuit? Sed sic saltandi promittit Deus non dimidium regni, vt Herodes, sed integrum regnum cælorum.

2. Reg. 6.

Cum autem petijsset caput Ioannis, *contristatus est rex: sed propter discumbentes, &c.* Ne iudicaretur infidus verbo suo discumbentibus, occidit Ioannem. Ita mũdani homines, cùm ab alijs cernuntur, promissis stant, non

non vt fidem seruent, sed vt seruare videantur. Sic propter discumbentes Herodes fidem seruat puellæ. Tu verò Deo dedisti fidem in conuersione tua coram vniuersa curia cælesti, quæ tunc lætata fuit, nec tamen illud seruas. Fidem adstrinxisti homini, & eam seruas, cur Deo datam fidem irritam facies?

Præcepit adferri caput Ioannis in disco, &c. In extremã conuiuij escam caput Ioannis in disco adfertur: quod etiam barbari horrere consueuerunt. Quis non cùm è conuiuio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam dimitti? Quid cum funeribus voluptati? Meritò verò pretiosissimum caput à vilissima fœmina tollendum est, & Ecclesiæ in disco tradendum; illa caput hoc in digno habebit pretio.

Sed singulas huius capitis partes attendamus: Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum delitiarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quàm horrore luxurię. Cerne aures, quæ in auditu auris obedierunt Domino. Cerne palatum, quod nil præter locustas & mel syluestre comedit: os aureum illud exangue, cuius sententiam ferre non poteras; conticescit & adhuc timetur: quas emisit os illud voces, cùm viam salutis vniuersæ terræ prædixit? Si interiora capitis aspiciamus, pretiosius apparebit. Ioannes, qui humilia & modestia de se cogitat, indignum se dicit, *vt soluat corrigiam calceamenti*. Verè hoc caput est *lucerna ardens & lucens*, & ideò *super candelabrum poni* debet, *vt luceat omnibus, qui in domo* Ecclesia *sunt*. Audiemus nos hoc caput, quod ad nos clamat, ne similes simus Herodi, qui non audiuit, sed decollauit. Qui ideò verbum audire non meruit à Christo in passione, qui eius vocem. Ioannẽ è medio sustulerat. Nos ergo Ioannem audiamus &c.

Amb. lib. 3. de virg.

Luc. 3.

Ioan. 5.

Luc. 23.

FESTA SEPTEMBRIS.

IN NATIVITATE B. MARIÆ Virginis.

THEMA: *De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus.* Matt. 1.

HOdierna die proponitur nobis contemplanda vera Dei domus, quæ sine dubio Mariæ est, in qua ille propriè & verè requieuit. In hac Dei domo omni pulsanti aperitur, & omni petēti tribuitur ad eam ergo cum fiducia accedamus illam salutantes, Aue Maria.

Naturale inest desiderium artifici præclaro efficiendi opus aliquod suæ artis, omnibus numeris absolutū, in sui gloriam & artis suæ ostensionem; quod etiam simul sit exemplar & forma aliorum operum, quæ effecturus est. Hoc verò maximè conuenit primo artifici Deo Opt. Max. qui omnia operatus est, vt splēdeat eius diuina gloria & bonitas manifestetur: cū *omnia propter semetipsum operatus sit Dominus*, tum in operibus naturæ, tum in operibus gratiæ. In operibus naturæ constituit Luciferum: In operibus verò gratiæ, vbi gratia omninò fuit gratia, elegit Mariam, quæ in gratia perfectissima fuit, & gratiæ exemplar meritò dici potest.

Has verò gratiæ immensas diuitias ostendit Maria in vniuersa vita, & operibus. Et valdè mirabilis apparet gratia in natura humana magis quàm in Angelica. Hoc ergò operum Dei mirabilius est inter gratię gratū facientis opera, quòd natura humana ex se varia fuerit & infirma, in Maria tanta ornata sit gratia: vt cum liberè operaretur, semper tamen gratiæ ductum sequuta fuerit in omni cogitatione, verbo & opere; nec vnquā
4. Reg. 20. à gratia declinauerit vel vna linea. Cæli non seruant
Ios. 20. tantum ordinem ac Maria: illi enim aliquando retrocesserunt, aliquando steterunt: sed Maria stabilis terra est & immobilis.

Hac

Hac verò in re nos decet imitari Mariam, *contemplãtes ne quid desit gratiæ Dei.* Quam facilè verò deijcimur? Aura tenuis nos prosternit? verbum leue nos vulnerat; res nihili nos detinet. Licèt vniuersus mundus in te insurgeret, adhuc tamen stare deberes. Superior omnibus dæmonibus es, cùm gratia Dei omnia potes in eo, qui te confortat; ne ergò desis gratiæ. Cura pro modulo tuo exemplar gratiæ inueniri, *vt videant homines opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis.* *Heb. 12.* *Phil. 4.* *Matt. 5.*

Cùm igitur Maria tanta gratia ornata procedat, Angelisque sanctis mirabilis, quos pulchritudine sua lætificat, sed & vniuersos homines lætitia afficit: illa enim veniente remedium aduenit mundi, nox seculi finita est, & nobis surrexit pulchra aurora: Merito in hac natiuitate vniuersus mundus lætatur, diemque festum agit.

Lætatur 1. Deus; veluti solet artifex gaudere, cùm perficit opus optimum, quod illi maximè placet. Condito hoc vniuerso requieuit Deus die septima, id est, gauisus est, vt Hebræa vox sonat, & placuit Deo opus quod fecerat. Si autem lætatus est, cùm fecisset terreno Adamo domum conuenientem, quid mirum si delectetur constituta domo secundo Adæ cælesti? *Quia quem cæli capere non poterant, suo gremio contulit.* Lætantur 2. Angeli eorum nata Regina, per quam sedes Angelorum vacuæ restaurandæ sunt. Lætatur etiam vniuersus mundus, vt Ecclesia canit: Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo; ex te enim ortus est sol iustitiæ CHRISTVS Deus noster &c.

Ex dictis verò nobis colligendum est diem nobis iam esse Maria præsente: quid ergò? Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Inimica tenebrarum aurora est, quæ eas fugat: inimica peccati Maria est. Sicut ergo *qui diligitis Dominum, odite malum*: ita qui diligitis Mariam, omne peccatum fugite; non sitis noctis filij & tenebrarum, sed lucis & diei.

Sed iam operæpretium est videre, quid de hac tanta Virgine loquatur Euangelista Mattheus. Euangelij initium est, quod nobis Ecclesia hodierna festiuitate

proponit, *Liber generationis IESV Christi*. Librum alterũ scripsit Moyses de quo ipse loquitur: Hic est liber generationis Adam: nam cũ omnia propter Adam cõdita sint, ideò eius liber dicitur. Sed est nunc alter liber generationis IESV CHRISTI; Christi dicitur, quia omnia propter ipsum, & *in ipso condita sunt vniuersa, siue quæ in cælis, siue quæ in terris*. Sed iste liber dicitur Euangelium, id est bonum nuntium; quia in eo mundi reparatio, culpæ euacuatio, & omnis mali remediũ describitur. In hoc verò generatio & posteritas Christi, qui generationem aliam diuersam omninò à generatione Adam in mundum induxit, de qua Psalm. *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Quare *sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cælestis*. Hic ergò liber generationis IESV Christi gaudium continet & lætitiam.

Col. 1.

Psal. 23.

1. Cor. 15.

Vis hoc tuis oculis subijci? Audi in conclusione huius libri Euangelistam, *De qua natus est IESVS, qui vocatur Christus*. Sed obsecrò non amplius habes, quod dicas de Maria? nihil aliud in Maria vidisti laude dignũ? Certè Matthæus videns, quod ex Maria *natus est IESVS*, multò maius existimauit esse quòd Deum habeat filium, quã si infinitos haberet, quantumlibet sanctissimos filios: ideoq; sancti Angeli summè diuinam gloriam affectantes, de Maria, cui sedes & corona regni tãti seruatæ erãt, maximè lætati sunt, quòd nouerunt per eam summè Deum glorificandum. Infinita quoq; gloria patri est, talem habere filium; sicq; ait se glorificans: *Filius meus es tu ego hodiè genui te*. Et. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Psal. 2.

Matt. 17.

Dolebant quoque Sancti innumera peccata videntes, quibus Deus offendebatur: consolatione verò & gaudio afficiebantur: intelligentes, Mariam matrem Dei venturam in mundum, quæ bonitate & meritis suis totius mundi peccata victura erat. Quia igitur mũdus expectabat hanc fortem mulierem, quę caput contereret serpentis, quæ Deum ad terras traheret; satis fuit dixisse; *De qua natus est IESVS*. Est enim illa mundi gaudium; quia ex illa *ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster*. Cumque illa in mundo nata fuit, continuò Deo domus conueniens extitit, qui erat *desiderium collium æterno-*

Ecclesia.

ternorum : & *desideratus cunctis gentibus* : omnia enim bona in eius aduentu promissa erant. Sed ille ad nos venire recusabat; quia digna habitatio non erat, quæ eum exciperet. Attende omnes, quæ in hodierno Euangelio numerantur, & in omnibus spinas videbis. *Genuit Obeth ex Ruth*: hæc sancta erat mulier; sed ecce spinam, ex gentibus orta erat. *David genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*. En spinam; Bersabee hæc fuit adultera. Prætereà *Iudas genuit Phares & Zaram de Thamar*, scilicet ex incæstu. Veniat ergò Maria, quæ est *lilium inter spinas*; in qua spina nulla cauenda est, in qua secura Deo habitatio sit; quia *elegit eam in habitationem sibi*. Vnde illa ait: *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*. Maxima ergo causa lætitiæ est. Maria mundo, quia ex ea ortus est sol iustitiæ; quia Deo domus digna iam est in mundo.

Gene. 47. *Agg. 2.* *Cant. 2.* *Psalm. 131.* *Luc. 1.*

Nec tantum Deo constructa domus est in Maria, sed & omnibus nobis. Tabernaculum nostrum Maria est & requies nostra. Est enim Maria vniuersalis interpellatrix, omnium mater, gallina pullos congregans; turris Dauid omnes protegens, est refugium in omni tribulatione, abscōsio in omni tentatione, misericordiæ visceribus abundat in omnes pauperes.

Eam verò nos imitemur, eam sequamur. Primò vt dignam in mentib. nostris domum præparemus Deo nostro. Illa Dei domus fuit, & nos templum Dei esse possumus: *templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Illa mater Dei fuit, & nos possumus matres Dei esse. Sed maximum hoc est, inquies; quomodo huius tantæ dignitatis possumus esse participes? Sed ipse hoc docet, qui de Virgine natus est, dicens: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*. Tanta res est Dei verbum audire, & illud custodire, vt illud faciens Dei dicatur mater. Maxima planè & inaudita dignitas. Si tibi diceretur, facilem tibi viam esse, vt Rex fias; quàm anxiè interrogares, qua ratione tantam dignitatem assequi potero? Dicitur verò tibi, potes esse Dei mater, quin & Deus; & hoc audito torpes? Audi verbum & custodi illud, emunda cor tuum, vt ad illud Deus descendat. Secundum vero in Maria

imitandum est, vt quisque prout illi possibile fuerit refugium sit pauperis. Quo res nobilior atque perfe-ctior eò magis se magisque diffundit, & alijs bene fa-cit. Hinc Deus infinitè se communicat, & inter creatu-ras Maria Deo propinquissima. Tibi ergò eadem cura sit: & ratio: quia pauper filius Christi est, filius Mariæ Deum reficis, cùm pauperem cibas; Mariam pascis, cùm pauperi escas das. Hinc tertiò colligitur quanta dulcedine ac charitate respiciat iustos vniuersos. Eius charitatis ignis quantus sit, illud facilè ostendit, quod in se continuit infinitum cęli ignem. Tu ergò tanto charitatis igne, vt mater Dei, prosequeris filios & fra-tres tuos: vt illa sit tibi refugij domus in omni ne-cessitate, & angustia cum spiritali, tum tẽporali. Cùm enim templum Salomonis Mariæ figura fuerit, in ea inuenienda sunt præcipuè, quæ illi templo fuerunt à Deo concessa. &c.

IN EXALTATIONE S. Crucis.

THEMA: *Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exalta-tus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12.

NVnquam à memoria nostra Crux excidere de-bet: quia per ipsam vita nobis concessa est; ei vitam & vniuersa bona debemus. Simul vti-lissima nobis hæc memoria est Crucis, & Christi in ea crucifixi: illi⁹ enim recordatio mira in nobis operatur: nam *his qui salui fiunt, id est nobis, est Dei virtus*: quia for-titudo Christi in cruce est; dum per eam à patre obti-nuit mundi reconciliationem, & à nobis plura obtinet virtutum opera, vt hodiè dicit: *Omnia traham ad meip-sum.* Sed vt illius agnoscamus mysteria, opus nobis est gratia, & eam nobis obtinebit Maria, *quæ stabat iuxta crucem Iesu.*

1. Cor. 1.

Ioan. 19.

Ad Crucis exaltationem & honorem illud impri-

mis facit, quòd Christus eam honorauit, dum eã thronum fecit regni sui, in quo regnare voluit; & *exaltari* se dicit, cùm in ea ponitur. Ita testatur Psal. *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno.* (Psal. 95.) A cruce verò regnare Christus dicitur, quia ibi superauit diabolum, & mortem: *ibi omnia traxit ad se, & data est ei potestas in cælo & in terra.* (Matth. 28. Ioan. 5.) Figi verò in Cruce clauis voluit, vt regni eius stabilitas ac firmitas ostenderetur; quia *regni eius non erit finis.* (Luc. 1.)

Hoc verò facto sic Crucem honorauit, vt quæ prius fuerat maledictum, nunc sit supra capita Principum. Amplius autem exaltari non potuit, quàm quod adoratione latriæ in Christo adoretur. Impletumque est illud Ezech. *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile; & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum*: (Ezech. 17. Hieron. ib.) hoc intelligit Hier. de Cruce, vbi dęmonis regnum dissipatum est, & Christi regnum erectum. Lignum profectò humile Crux fuerat, sed exaltatum à Christo Domino mirum in modum fuit; vt iã homines dicant: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.* (Gal. 6.) Sicut enim nubes nigra pulcherrima redditur, si Sol occidens radios in illam mittat: (Simile.) ita occidens CHRISTVS in Crucem radios suos mittens, eam illustrissimam ac omnibus honorabilem reddidit.

Sed quid obsecro mirum, si nobis Crux venerabilis appareat; cùm olim antè Christum in veneratione fuerit habita? Audi quid Paul. de Iacob dicat: *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius*, (Hebr. 11. Gene. 47.) id est crucem, quæ erat in fastigio virgæ, dixitque, *salutare tuum expectabo Domine*, & sic obijt cruce adorata, motus consideratione potestatis Christi. Et quia aratrum cum iugo fuit sceptrum, seu virga potestatis AEgyptiorum, cuius si attendamus summitatem, crucem reperiemus; (Pier. lib. 48. Hierogl. & lib. 14.) fide adorasse dicitur Iacob, quia ibi crucem Christi & Christum crucifixum adorauit, quem fide cognouit, dum eum expectare se dicit.

Sed iam mira, quæ in Cruce perfecit Christus, in Euangelio videamus. Ait ergò: *Nunc iudicium est mundi*, id est, adest tempus mortis meæ, in quo ferenda est

ſententia pro homine contra dæmonem ; & iuſto iudicio eripiendus homo eſt à poteſtate eius, cui traditus fuerat à Deo Cùm verò dicitur homo iuſtè dæmoni traditus, non eſt intelligendum dæmonem ius habere aut iuſtitiam ex ſeipſo in hominem ; ſed Deus eum iuſtè tradidit, ſicut homo reus traditur iuſtè tortori, in quem nullum ius tortor habet, ſed iudex iuſtè tradit; ſic quia homo ſe à dęmone vinci permiſit, iuſtè à Deo ipſius dæmonis poteſtati traditus fuit, vt ei ſubditus ſit. Potuiſſet autem Deus ſua poteſtate hominem liberare ſine vlla iniuria dæmonis : ſicut iudex poteſt liberare reum traditum tortori ſine vlla tortori iniuria facta aut iniuſtitia: ſed noluit hac potētia vti, ſed aliam iuſtitiæ viam inijt. Hæc verò iuſtitiæ via fuit, Deus homo factus. Et cùm dęmon in hominē ſæuiebat, diuinę iuſtitiæ limites tranſgreſſus non eſt. Cùm verò in Chriſtum innocentem, dæmonique non ſubditum deſæuit, eum tentans & occidi curans, conceſſæ ſibi à Deo poteſtatis terminum tranſilijt; & ideò dæmon damnatione factus eſt dignus : & ita ſententia in eum iuſtè lata eſt; vt qui manum miſit in eum, qui dominij ipſius non erat, dominio priuetur eorum, quos prius ſub ſe habebat: & ſic homo erutus eſt de poteſtate tenebrarum. Et hoc ſignificat, cùm ait: *Nunc iudiciū eſt mundi*, ad quem nempe homo pertineat, ad me, an ad dæmonem. Iudicabitur verò ad me pertinere tanquam ad verum Principem, dæmon exſpoliabitur dominio; & hoc eſt, quod addit. *Nunc Princeps huius mūdi eijcietur foras*. dicitur Diabolus princeps huius mundi propter peccatum & mortem : Nam cùm diabolus per ſuperbiam principatum appeteret, nec in cælo habere poſſet, eum in terra quæſiuit & per peccatum regnauit in orbe terrarum.

Homo quomodo traditus dæmoni dicatur.

Simile.

Simile.

Sed quomodo foras miſſus eſt? Chriſtus diaboli principatum deſtruxit, quantum ad ius & poteſtatem ; poteſt enim homo, vtens gratia Chriſti, dæmonem ſuperare. Si verò homo velit ſub peccato eſſe, manebit in dæmonis poteſtate ſpontaneè, non coactè. Et ideò quantum ad poſſeſſionem non penitus eiectus foras eſt dæmon : licèt multa ex parte etiam poſſeſſio ab eo ablata ſit.

Maxi-

Maxima profectò hominis miseria erat, cùm captiuus à dæmone teneretur, & ideò summa fuit misericordia, cùm ab illius potestate liberatus est. Nudus relictus est homo per peccatum in paradiso, sed operta fuit eius nuditas veste pellicea: nuditas verò animæ multò erat deterior; operiri non potuit animantium pellibus; operuit verò hanc Christus charitate sua, & cruce. Allegoria.

Exponit deinde qua via princeps omnium sit constituendus, & ait: *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* id est, diaboli principatu destructo ego vniuersorum Princeps existam; quia omnium sum redemptor & iudex. Vel omnes trahere dicitur prædestinatos. Omnes verò istos baculo crucis acquisiuit Christus; sicut olim Iacob diues factus est, & regressus duabus turmis; cùm tamen ex patris domo solùm baculum sumpsisse dicatur. Christus enim è domo patris in mundum veniens nihil præter Crucem accepit, quę illius baculus fuit. Sed præclarus hic baculus est; eo .n. omnia traxit ad se, & omnium Dominũ se fecit. Simili verò ratione nos exaltandos nouerimus, si multa Dei causa patiamur: nam de laboribus iusti dicitur: *Honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.* Quæ igitur gloria fideli est? Certè si glorietur in Cruce Crux enim arbor est vitæ, qua salutem animæ per gratiam, & æternam consequi possumus. *Augu. tract. 52. in Ioan.* *Gene. 32. & 28.* Allegoria. *Sapien. 10.* *Gal. 6.*

Sed quid est, *omnia traham ad me*, illud enim *traham* vim quandam importat? Hanc verò Christus intulit hominibus ex cruce: eam enim bonitatem ac dilectionem in homines ostẽdit, vt quasi compellat nos eum diligere. Quid verò dicit turba, audita Christi Cruce? *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum.* Sed non attendebant etiã lege prædictam mortem Christi. Isaias enim multa de ea dixerat: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* &c. Et Daniel ait. *Occidetur Christus.* *Isa. 53.* Daniel. 9.

Respondit Iesus & dixit: *Adhuc modicum lumen in vobis est*; q d. Ad huc modicum tempus superest, in quo ego, qui lumen sum, ero in vobis veritatem docens, & viam vitæ vobis tradens: *ambulate ergò, dum* hanc *lucem* vobiscum *habetis*; ne si nunc lucem neglexeritis, com-

prehendamini à tenebris, lumen Christus fuit, qui viā vitę ostendit Crucem esse, quam qui non tenent, comprehenduntur à tenebris: quia nulla alia in cælum via est, nisi Christi Crux: Et sicut ille crucifixus est, ita omnes crucifigi oportet, qui viam in cælum tenent.

Galat 5. Hinc Paul. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis.* Non anima solùm crucifigenda est, sed & caro. Non enim sat est animam continere diuino timore ac meditatione, nisi corpus crucifigatur castigatione.

Simile. Sicut enim primùm ferrum ignitur, sed deinde tunditur ictibus, vt efformetur: ita homo in meditatione ignitur, sed afflictione & corporis maceratione in diuersa virtutum officia efformatur. Tunc ergò anima fortis est, cùm illa crucifixa corpus etiam crucifigit. Quia cùm timor legis proprius erat, eo caro non ita configebatur, ac gratia. In lege verò Euangelica configitur plenè caro per gratiam & charitatem, qua anima sponsæ vulnerata est.

Rom. 6. Hodiè ergò exaltatur ab Heraclio C R V X; exaltemus nos eam, crucifigentes in ipsa animas & corpora nostra. &cæt.

IN FESTO S. MATTHAEI, Apostoli, & Euangelistæ.

THEMA: *Vidit I E S V S hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.* Matth. 9.

A Simili. SICVIT Apelles eximius pictor Helenam in tabula depinxit mira pulchritudine, & seipsum in eadem: Ita diuinus pictor Matthæus Christum Dominum in suo depinxit Euangelio diuina quadam arte; seq; ipsum in eodem nunc depingit, non quidem vanè vt Apelles, sed humiliter, vt Apostolum decebat; vt Christi misericordia magis appareat.

In festo S. Matthæi eius nobis proponitur conuersio, qua eum è telonio in Apostolum & Euangelistam suum Deus vocauit; auferens ex eius manibus

librum

librum telonij, & dans illi librum historiæ magnalium Dei; & ex infima sorte hominum euexit in altissimam Ecclesiæ dignitatem, quæ Apostolica est, & assumpsit in Consiliarium suum, dum Euangelistam fecit. Septimo loco numeratur Matthæus inter Apostolos, & septimum fundamentum cælestis Hierusalem Chrysolitus est, qui aureo colore translucet cum marini coloris similitudine. Matthæus in hac gemma indicatur, qui maris. i. seculi huius colorem aliquando habuit, cùm publicanus esset: posteà verò sapientia & charitate fulsit vt aurum. *Apoc.*

Sed in hac Matthæi vocatione illud attende, quòd sicut, vt *ostenderet Deus potentiam & sapientiam suam, infirma mundi elegit, vt non glorietur omnis caro:* ita vt summam ostenderet misericordiam, maximos elegit peccatores, vt Paulum, & Matthæum: Vt nouerit peccator, se non solùm esse à gratia excludendum, si sibi prospiciat; sed nec à maxima gratia: cùm maximos peccatores principes regni sui CHRISTVS fecerit. maximum profectò malum peccatum est, adeò malum, vt maius malum vnum peccatum sit, quàm vniuersa illa pœnæ mala, quæ impij omnes in inferno patiuntur. Si verò adeò malum est vnicum peccatum, quantum obsecrò erit innumera peccata, in quæ homo ex consuetudine incidit, & in quibus sedet, quasi in pestilentiæ cathedra, in qua ille sedebat, qui non stare, sed *in telonio sedere* dicitur? Tria significat peccatoris mala Psalt. cùm ait: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* In *consilium impiorum* abijt, qui semel aut bis peccauit: sed *in via peccatorum stetit*, qui gradum in peccato fixit, qui habitum peccandi contraxit, & qui nō peccat per imprudentiā, sed cōsulto & cogitatio: *in cathedra pestilentiæ sedit*, qui vita & doctrina peccata effudit in alios: quia aliorum vitiū more pestis grassatur, & alios inficit. Et huiusmodi designatur Matthæus fuisse, cùm dicitur, *sedens in telonio*. vt in ꝓpria mercatorū cathedr Pro diuersitate enim horum pestiferorum hominu diuersæ eis cathedræ *Psalm. 1.*

accommodantur. Magdalena ſedebat in cathedra deli tiarum: Saulus in cathedra perſecutorum. Cauendum maximè ab hoc ſtatu, qui ſummi periculi eſt.

Sed num tanto malo remedium eſt? Eſt certè: quia licèt grauiſſima infirmitas ſit, Deo tamen nulla eſt inſanabilis, qui hodie medicum ſe dicit, qui è cælis deſcendit, vt nos viſitaret. Et ſanguis illius medicina eſt potentiſſima, qua omnis infirmitas facilè curatur. Vt verò id nobis cōpertum eſſet, hodie hominem ſanat, qui *in cathedra peſtilentiæ* ſedebat. Eo ergò inſpecto fidendum nobis omnibus eſt, ſi diuina gratia vti voluerimus. Videmus hodie Matthęum eductum *de lacu miſeriæ, & de luto fæcis*, ergò *ſperate in domino*. Attendamus nunc Matthæi curationem, vt ſperemus; &, quo pacto ſanandi ſimus, videamus.

Pſalm. 49. & 33.

Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominē. Non ſolùm eum aſpexit oculis corporis, ſicut cæteros, ſed magis oculis animi, oculis gratiarū. Sicut enim Sol aſpectu ſuo plurima ac pretioſa metalla producit in terræ viſceribus: ita Chriſtus Sol iuſtitiæ in corde Matthæi diuerſa germina virtutum aſpectu ſuo produxit. Hinc orat Pſal. *Reſpice in me, & miſerere mei. Facilè enim eſt in oculis Domini honeſtare pauperem Oculi Domini ſuper iuſtos: & reſpectus in electos illius.*

Simile.

Pſalm. 24. Exod. 2. Pſalm. 33. Sapi. 4.

Sed & allocutus eſt, dicens, *Sequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum.* Non ſunt leuitatis arguendi Apoſtoli, vt Iulianus & Porphyrius volebant, quòd ſtatim à Chriſto vocati, eum fuerint ſecuti, quem nō agnoſcebant. Non erāt illi experti diuinæ vocationis; quo enim virtutis agentis maior eſt, eò citius operatur. Hanc hominum obedientiā ad vocē Chriſti eos vocantis prædixit Hierem. dicens: *Perdix fouit, quæ non peperit; fecit diuitias ſuas nō cum iudicio: in nouiſſimo dierū ſuorū derelinquet eas.* Quædam perdices ſteriles ſunt; quæ cùm propria oua non habeant, aliena furantur, & eis incubant; ſed cùm fœtus adoleuerit, & audierit vocē matris proprię, quæ oua genuit, derelinquit alienam matrem. Id cùm dæmone agendum Propheta denuntiat. Sterilis quidem dæmon eſt hominem ille non genuit, ſed furatus fuerat. Procreauerat Dæmon homines ſibi in filios, cùm tamen Dei eſſent. Venit verò Chriſtus verus parens,

Ierem. 17. Hierem. in Iere 17. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 3. & epi. 48. Euſeb. Emiſ. hom. 11. In Paſch.

rens, & vocem emisit, cum vocauit ad se homines. Quid illi faciant, nisi relicta adulterina matre ad veram euolare? Id nunc Matthæus præstat audita Christi voce. Lucebat in Christi facie diuinitas, qua homines facilè ad se trahebat. Sicut ferrum ignitum ignit: & quemadmodum Magnes ad se trahit ferrum aliud: illud verò ferrum immediatè magneti vnitum à magnete accipit, vt aliud & aliud ferrum ad se trahat: ita diuinum verbum ad se traxit humanitatem Christi, sibique immediatè vniuit; humanitas verò illa, assumpta à Verbo, ab eo vim accepit trahendi ad se homines vocatione ac verbo. Cum enim tubæ Moysi datæ fuerunt à Deo, vt conuocaret Israel dictum est: *Si semel clanxeris, venient ad te Principes capita multitudinis Israel:* satis ergo esse debuit Apostolis, qui Principes & capita erant, quod semel clanxerit Christus, quòd semel vocaret, vt venirent, & sequerentur eum.

Sed attende, ô Matthæe, quem sequaris! ad crucem enim properat. Sed recta vtitur ratione, aitque secū: si secutus Christū fuero, quod de Christo factū fuerit, de me etiā fiet. Hinc Ier. ait. *Non sum turbatus te pastorem sequens*: quia *magna gloria sequi Dominū*: sicut vilitas maxima, alia sequi. Cordatè igitur Mathęus vmbris relictis Christū sequitur. Præcedere impossibile est, aut etiam comitari; quod potest, præstat; dum Iesum sequitur. Ioan.12. Ier 17. Eccl.32.

Mirabilis planè Christus ostenditur in visu & verbo, dum eis tantam in Matthæo mutationem efficit, vt omnia relinquat, ipsum sequatur, conuiuium paret, publicanos vocet, & ad Christum eos trahat: quisnam vniuersa ista operatus est? visus & verbum Christi. Agar attendens se adiutam à Deo in maximo discrimine vitæ filij sui, & vim diuini respectus experta ait: *Tu verè Deus es, qui sic respexisti me*: eodem modo Matthæus, cùm attendit Christum se respicientē, vim tantam expertus est in corde, vt meritò dicat. *Tu Deus es, qui sic respexisti me*, qui ea virtute oculorum præditus es, vt cor mutes. *Relictis* igitur *omnibus secutus est Dominum.* Allegoricum exemplum. *Rupert in Matt.* *Gen.16.22.*

Non incepit solùm, sed & consummauit. Multi incipiunt, sed non consummant. Qui Zaram similes sunt, qui nasci incipiunt in spirituali vita, sed paruo dolore aut difficultate oblatis facilè retrocedunt. Hi cùm re- Allegoria. *Gen.38.*

Luc. 9.

ſpiciunt retrò, non ſunt apti regno Dei. Alius illum præripiet, qui ſimilis ſit Phares, qui intrepidus naſcitur.

Luc. 5.
Act. 4.
Matt. 6.

Fecit verò conuiuium magnum in domo, Lucas addit, *ſua*, Matthæus verò ſolùm ait, *in domo*, quia omnia reliquit ex animo, nec domum iudicabat ſuam, ſed communem omnibus. *Conuiuium verò facit* in lætitiæ ſignũ. Si enim Herodes infeliciter natus diem natalis ſui inſigni conuiuio celebrat; cur non celebretur dies, quo in vitam ſpiritualem & æternam regeneretur homo? quoniam prius *mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt.* Abraham fecit conuiuium in die ablactionis Iſaac: ita Matthæus videns ſe ablactum à venenatis mundi diuitijs, & ad ſolidiorem cibum cæleſtem tranſlatum, conuiuium parat. An non lætetur homo ereptus à duriſſima ſeruitute, & magnis ditatus opibus? ſicut Iſraelitæ diem exitus de Aegypti ſeruitute Paſchate perpetuo Dei iuſſu celebrabãt. Quidni lætetur Matthæus à duriſſima ereptus ſeruitute peccati, & cæleſtibus donis locupletatus? Hac libertate donatus Eunuchus Candax *ibat per viam ſuam gaudens.*

Allegoricũ exemplum.
Luc 15.
Gen. 21.
Exemplũ allegoricũ.
Simile.
Exod. 12.
Allegoricũ exemplum.
Act. 8.

Ex hoc verò gaudio prouenit, alios ad Chriſtum vocare peccatores, vt Matthæus fecit. Id enim diſtat inter amorem cæleſtium, & terrenorum; quod qui terrena diligit, ea ſibi ſoli ſeruare cupit: qui verò cæleſtia bona inuenit, ea omnibus communicare cupit. Inueniunt pauperes illi eſcas & diuitias, & aiunt: *Sceleris arguemur, ſi tacuerimus*: quid non dicant, qui cæleſtia inuenerunt? Hinc Ioan. *Qui audit, dicat veni.*

4. Reg. 7.
Apoc 72.
Oſe 6.
Greg. ho. 19. in Ezech.

Murmurant Phariſæi, ſed reſpondet Chriſtus: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, id eſt, pluſquam ſacrificium. Sed dubitas, quare miſericordia præponatur ſacrificijs? 1. quia miſericordia corporalis, multò magis ſpiritualis, per ſeipſam Deo grata eſt: ſacrificium verò nequaquam, ſed propter Dei inſtitutionem ad tempus, & deuotionem offerentium. 2 Licèt ſacrificia actus ſint religionis, quæ eſt præcipua moralium virtutum; tamen miſericordia hic dicitur non illa præcisè, ſed vt charitatem includit. Charitas verò religionem ſuperat. Miſericordiam verò in Matthæum Chriſtus pleniſſimè effudit: Vidit Matthæum, cum eum *prædeſtinauit*: inde ſequitur, vt eum *vocaret*, dicens,

Rom. 8.

ſeque-

sequere me. traxit ad se liberè & ineffabiliter. Statim *iustificauit*, cum eum secutus est; & tandem *magnificauit*, *& glorificauit* efficiens illum Euangelistam, Apostolū, & miraculis illustrem. Et in cælo *glorificauit*, vbi solùm magnificus est Dominus Deus noster. &c.

IN DIE S. MICHAELIS Archangeli.

THEMA: *Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.* Matth. 18.

LOcus iste ad dicendum amplissimus desiderat nō hominum eloquentium linguas, sed Angelorū; & hodiè maximè, cum de Angelis dicendum est. Ostendit Dominus Danieli Angelum in visione, & dicit; *Vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo.* In qua visione, *vestis linea*, qua *vir vestitus* erat, significat angelorum puritatem, *cingulum aureum*, charitatem; *corpus quasi Chrysolitus*, immortalitatem; *facies vt fulgur*, summam agilitatem; *oculi vt lampas*, perspicacissimum intellectum; *corpus vt æs candens*, eorum omnia opera plena charitatis igne, quia *ministros suos facit ignem vrentem*; *vox vt multitudinis*, fortitudinem plus quam virilem. Et quis ad tantum spectaculum non paueat? Oculi nostri debiles & infirmi auxilio gratiæ indigent; hanc petamus ab Angelorum Regina. Ad hanc enim, vt nunciaret remedium mundi, *missus est Angelus Gabriel*. Huius partum diuinis festis concelebrandum, *facta est multitudo militiæ cælestis exercitus.* Huius fugam in Aegyptum & reditum monuit *Angelus, qui apparuit in somnis Ioseph.* Huius perpetui socij in vita fuerunt Angeli. Offeramus ergo ei angelicam salutationem dicentes cum Angelo, Aue Maria, &c.

Dan 10.

Psal. 123.

Luc. 1.2.

Matt. 2.

Hunc ordinem seruauit naturæ author in rerum creatione, in sublimioribus & perfectionibus collegit omnium inferiorū perfectiones. Et ideò Metaphysici dixêre, essentias rerū esse sicut numeros; quia in superiore cōtinetur inferior. Volēs ergo Seruator noster vno

verbo complecti omnia, quæ de Angelis sancti tradiderunt, explicuit summam eorum operationem, dicēs; *semper vident faciem patris mei*: & ex hac vna, vt principio colliguntur omnia, quæ de Angelis nosse possumus; quæ ad duo præcipua reducuntur; primùm de eorum substantia & nobilitate; secundum de cura erga nos, & perpetua vigiliq́ue custodia.

Chry. hom. 1. in Genes. & ser. de ieiun. Aug li 1. de ciu. Dei c. 9. Act. 25.

Primùm colligitur ex his verbis, Angelos esse; quod vniuersa scriptura attestante manifesta fides est. Moyses in mundi opificio eorum non meminit; vel quia rudi populo loquebatur, qui spiritualia non intelligebat; vel ne eis ad idololatriam propensis ansam daret plures Deos colendi; vel quia cū lucis meminit, angelos intelligi voluit. Saducæi negârunt angelos esse; sed non tantum sola fide constat, sed & lumine naturali, eos esse. Id assequuti sunt Plato, Aristoteles, & omnes, qui de natura philosophati sunt. Necesse est, ait D Tho. ponere aliquas creaturas incorporeas. Deus enim creaturam producit per intellectum & voluntatem. Vnde ad perfectionem vniuersi requiritur, quod sint aliquæ creaturæ intellectuales. Et sic est perfecta similitudo artificiati ad ideam, cùm non solùm assimilatur ideæ, sed etiam ipsi naturæ ideæ; quæ cum sit in Deo purus spiritus, necessarium fuit, esse creaturas omninò à materia separatas. Et tandē *cùm Dei perfecta sint opera*, mundus hic omninò perfectus esse debuit. Eius verò perfectio est omni rerum genere constare. Genus verò vniuersum est corporeum, incorporeum, mixtum. Omnibus his constat, Angelis, corporibus, homine ex vtroq; compacto. Denique necessum est Angelos esse, vt conuenienter mundus corporeus gubernetur. Quis præsideret omnibus corporibus, & ea tutaretur, nisi Angelus? quis hominem defenderet, nisi Angelus? Nonné *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis æternæ*? Omnes incumbunt operi salutis nostræ; sed non omnes executione; sicut omnes artifices ædificant domum, hi præcipiendo & dirigendo, illi exequendo. *Milia millium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei*. Alij assistunt, alij ministrant. Et hac de causa Christus ait: *Angeli eorum*, nostri enim dicuntur propter tutelam.

D. Thom. p. q 50. art. 1.

Heb. 1.

Greg lib 17 mor. ca 9 in Iob 25. & hom. 34. in Euang. Luc. 15.

Dan 7.

Simile.

Rex

Rex noster Deus regnum habet Angelorum super cælos, omninò pacatum, eique per omnia obediens, & omninò pulchritudine pacis securum. Vnde Psal. *Lauda Ierusalem Dominum: qui posuit fines tuos pacem* Est Deo aliud regnum inobediens, in quo ei dicitur: *Nolumus hunc regnare super nos* Et qui hodie dicit: *Nónne Deo subiecta erit anima mea?* cras dicit. *Quis noster Dominus est?* Et qui ad pedes confessarij positus ingentia promittit; inde exiens nec minima præstat. Huius ergo ciues regni iam obediunt, iam rebellant Veniant igitur ex pacatissimo regno fideles Dei ministri semper *facientes voluntatem eius*, qui præsint nobis, gubernent nos, *dirigantque pedes nostros in viam salutis, & pacis.*

Psal. 47. Luc. 19. Psal 61. Psal. 11. Psal. 102. Luc. 1.

Inter hos spiritus præcipuus est Michael, cuius hodie mater Ecclesia dulci memoria delectatur, cui vniuersa Ecclesiæ cura demandata est, sicut olim Synagogæ. Sic apud Dan. dicitur, *Michael Princeps vester*; &, *Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui*. Egregia Angelorum facta nobis ob oculos ponit; quia nos defendunt, & pro nobis pugnant. Videt se Ecclesia versantem in periculo propter violentos hostes; *vim faciebant, qui quærebant animam meam*. videt quia pauci in ea viri; viriles animi deficiunt in Ecclesia, occidente Pharaone viros eius: muri virtutum ferè corruerunt. In tanto periculo quid faciat Ecclesia, nisi illud Psalm. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi?* Venit ei in auxilium cælestis exercitus, cuius dux Michael. Tali viso exercitu potest dicere, quod Helisæus: *Plures sunt nobiscum, quàm cum illis*. Mittit ergo nobis Deus exercitus suos in exilium. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* alij vertunt, castra metabitur Angelus Domini, vt nos liberet. Certa est igitur salus nostra, si auxilio vti velimus, certaque victoriæ spes talibus auxilijs. Sed cùm *spiritum ponderatur sit Dominus*, Michaelem præfecit vniuerso operi Ecclesiæ militantis. Reliquorum Angelorum munus est animas custodire, sed Michaelis tandem est eas suis coaptare locis, & pro nobis bellum gerere.

Dan. 10. & 12. Psal. 37. & 108. Allegoria. Exod 1. Psal. 120. 4 Reg. 6. Psal. 33. Pro 16.

Sed quale fuit bellum hoc in cælo factum nosse desideras? Planè inter spiritus spirituale fuit certamen, non carnale. Condidit Deus nouem Angelorum ordines,

Apoc. 12.

nes, nobilissimos spiritus, in quos mirè effudit bonitatis suæ diuitias. Ornauit eos mirabili largitate; intellectum eorum ornauit scientijs infusis: dedit eis voluntatem in bonum propensam: dedit tantam naturalem vim, vt omnia corpora eis obediant in locali motu. Non solùm magnificum se ostendit eis in naturalibus, sed maximè in gratuitis: dedit eis gratiam tantam, vt vnico actu excellentissimam gloriam meruerint. Et tanta fuit in eis gratia, vt quo illi vno actu peruenerunt, homo difficilè perueniat innumeris. Cumque se Deus eis præbuerit adeò magnificum, ex eis quidam eleuati sunt, & pulchritudinem suam intuentes in ea perstitere, Dei obliti, volentes æquari ei. Eius enim fuit peccatum, quòd appetijt similis esse Deo, auertens appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex diuino auxilio; quod interpretatiuè est, Deum se esse velle. Et sic dicit apud Isa. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero altißimo.* Et Ezech. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo; dixisti, Deus ego sum.* Sed Michael & Angeli eius videntes offensam hanc diuinæ maiestatis, Dei erexerunt vexillum, & contrarium omninò facientes *ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum.* Lucifer dicit, *sedebo in monte testamenti*: Michael & Angeli eius procidunt. Ille, *similis ero altißimo*; Michael, *QVIS SICVT DEVS*? Cum autem veritas Michaelis & Angelorum patuit, confusus est dæmon, & proiectus est è cælo in æternum. Descendit diabolus in terram ira plenus, homini bellum indixit, vel potius Deo in homine: *Væ terræ, quia descendit ad eam draco, habens iram magnam*; & vno ictu deiecit primos nostros parentes, deinde Cain & eius posteritatem; & factionem improborum hominum secũ iungens omnibus iustis perpetuum bellum indixit. Mittit Deus Michaelem & Angelos victores in iustorum auxilium. En *iterum committitur prœliũ magnum in cælo*, scil. Ecclesia. Ante solùm erat pugna spirituum cõtra spiritus: nunc spirituum & hominum cõtra spiritus & homines. Et Michael, qui Dux fuit in bello, in cælo feliciter ab eo gesto, idem ipse dux est belli, quod in terra com-

Isa. 14.
Ezech. 28.
Apoc. 5.
Michael. id est, quis vt Deus.
Apoc. 12.
Gen. 3. 4. 10. 11.
Eph. 6.
Aug. lib 11 *de ciuit. Dei c.* 1. *lib.* 12. *c.* 1. *lib.* 14. *c.* 1. 28. *lib.* 15. *c.* 1. 2. 3. 4. 5.

committitur. Nec solùm inuisibiliter pugnat, sed & visibiliter apparens Dei gessit negotia in terra, & iustorum se ducem ostendit: vt Israëlitis in Aegypto in columna ignis exeuntibus. Iosue, quem confortauit: Gedeoni, quem roborauit, vt cum 300. viris innumeros prosterneret Madianitas. Quis Dux curruum ignitorum, qui erant in circuitu Helisæi? Quis angelus, qui vna nocte 185000. Assyrios prostrauit? Hic venit in adiutorium Angelo, cui resistebat princeps regni Persarum. Fortissimi sine dubio exercitus sunt dæmonum nos impugnantium, sed longè fortissimi Angelorum pro nobis pugnantium; ad charitatem incendentium, prudentiam docentium, castitatem suadentium, ad patientiam adhortantium, & sic in omni virtute nos cõfortantium. Sed interim, ô homo, agnosce dignitatem tuam, pro quo vno tam diuturnum est bellum. *Quid est homo, Domine, quòd sic magnificas eum?* vt pro eo obtinendo mittas exercitum Angelorum? Tu verò, ô homo, te pro nihilo inimico tradis, quasi nihil esses!

Exod 3. & 14. Ios. 5. Iud. 6. 4. Reg. 6. 4. Reg 19. Dan. 10. & 12. Iob. 7.

Sed quia diuturnæ pugnæ sine grandi causa esse non solent, quid mouet inimicos nostros dæmones, vt nos perpetuo expugnent? tantæne animis cælestibus iræ? Quid contra Angelos, vt *custodiant nos quasi pupillam oculi*, nec vnquam lassentur in pugna diuturna pro nobis inita? Bellum inter dæmonem & Deum est, sed materia belli homo est. Odium enim dæmonis in Deum summum est & perpetuum: quoniam perpetua pœna maximaque afficitur à Deo. Hinc Psalm. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* velletque si posset, Deum in nihilum redigere. Hanc rabiem in Deum exercere non potest, contra quem nihil potest. Videns ergo hominem imaginem & filium Dei, arbitratus est occasionem se nactum magnam Deo improperandi, & vilipendi, si hominem stimulet dæmonem, vt eum persequatur, sed maximè odium in ipsum DEVM. Maxima ergò cautela nobis cauendum est à tanto inimico, vt diuus Petrus monet. O iners Christiane, qui audis tot te hostes crudelissimos habere, tanto te odio persequentes, quomodo dormis? Deinde quia propter DEVM nobis præcipuè aduersetur dæmon, & nos perdere curat

Psal. 73. 1. Pet. 5.

quo-

quomodo non ad Deum pertinebit cura & defensio nostra? qui idcirco non contentus missione tot sanctorum angelorum in nostri auxilium, ipse descendit de cælis, & dux noster factus est, implens illud; *Propter nomen tuum dux mihi eris.* Ecce prælium maximū. Christus & omnis militia cæli cum iustis ex hac parte; ex altera verò bestia cum omnibus impijs. Agnosce interim, miser homo, imbecillitatem tuam atque miseriā: In exercitu es Christi sub duce tanto, sub crucis vexillo, dęmoni formidabili, accessisti ad Sion multorum millium Angelorum frequentiam, in exercitu victore es: & adhuc tu iners, imbecillis, vt vincaris ab hostibus?

Isa.52. *Surge, induere fortitudine tua Sion. In omnibus sume scutum*
Eph.6. *fidei, in quo possis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

Sed videamus arma inimicorum nostrorum præcipua. Omnia quæ in mundo sunt, eis arma sunt; & ex omnibus curant nobis conficere venenum. Sed præci-

Rom.6. puè arma eorum sunt peruersæ inclinationes nostræ.
2.Pet.2. Ideo monet Paul. *Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tanquā ex mortuis viuētes; & membra vestra arma iustitiæ Deo.* Et Petr. monet, *abstinete à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* His armis dæmon contra nos pugnat, & sæpe expugnat: ideo *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.*

Col.3. Et in hunc sensum exponitur verbum Euangelij, quod nobis propositum est: *Si oculus tuus scandalizat te, erue*

Psal.118. &c. id est, mortifica inordinatas sensuum affectiones, claude oculos tuos, & *auerte, ne videant vanitatem*: circuncide manus & pedes, & omnia, quæ in te sunt, ne sint *arma peccati*, hoc est, *abscinde eum, & proijce abs te.* Sed ais, dura hæc pugna est contra passiones. Esto, sit dura. Sed si duram pugnam quidam inierunt solum pro gloria militari: tu qui pugnas pro gloria cælesti,

1.Cor.9. terreberis pugnæ difficultate? *Et illi quidem vt corrupti-*
2.Tim.2. *bilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Si placet corona, placeat & pugna: *non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Quod si adeò acriter & instanter pro te pugnat Angelus tuus, quomodo te pugnare oportet, cuius interest victoriam consequi? Sequere ergo eius ductum, acquiesce eius consilijs Sed quod præcipuum Angeli consilium? vtique humilitas, per quam ille stetit.

tit. Hanc docet hodie Christus paruulo proposito. Eousque potens est superbia, vt discipulos Christi impetierit, qui accedunt ad Christum dicentes.

Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans IESVS paruulum, statuit in medio eorum. Si sic Christo placet paruulus, & eius proprietates, quæ in eo natura sunt, non virtus; quantum placebit humilis, in quo hæc virtutis nomen & rem habent? Ab initio mundi ostendit in paruulos dilectionem, eligens minores filios in suos. In mundum veniens paruulos vocat ad se; quia humiles ei semper placuerunt: *Excelsus Dominus, & humilia respicit.* Dicit igitur: *Nisi efficiamini sicut paruuli.* Vide puerorum mores; quanta in eis innocentia, *Psal. 137.*
quanta simplicitas, quanta puritas, quanta humilitas? nulla in eis ambitio, nulla temporalium solicitudo. *Nolite ergo pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* *1. Cor. 14.*
Paruulus puer decorus, simplex, amabilis, & gratus est: adde ei intellectum, quid erit, nisi humanus Angelus? Talem te præsta, vt intres in regnum cælorum. Paruulos sic dilexit Dominus, *custodiens paruulos*, vt pro- *Psal. 114.*
pter illos paruulus nasci dignatus sit: *paruulus enim na- Isa. 9.*
tus est nobis. Non audisti Helisæum paruulum effectum *4. Reg. 4.*
cum paruulo; & hac paruitate paruulum suscitasse? *Allegoricum exemplum.*
Quid hoc significat, nisi quod Deus magnus paruulorum amore factus est paruulus, & hac sua humilitate nos suscitauit atque redemit? Magnus esse vis? effice re paruulus: ille enim verè magnus est, qui coram Deo talis est. Superbi, sibi adhærentes, nihil verè sunt; hi *putant se aliquid esse, cum nihil sint.* Reuera hi humiles magni sunt, quia coram Deo tales habentur. Adijcit verò Dominus.

Qui scandalizauerit. Apud Iudæos mos fuit, vt ingentium scelerum patratores saxo ligato in profundum mergerentur: ideò hac pœna plectendum eum dicit Christus, qui scandalum est fratri. Sed quis hic est? Qui scandalum ponit in via cæli. Ingreditur ille Dei viam; tu exemplo malo vel consilio impedis viam eius, scandalum ei posuisti. Væ malis parentibus, qui malo exemplo filijs sunt scandalo. Væ falsis amicis, qui vitijs irretiunt amicos. Melius tibi fuisset,

vitam amittere, quàm ſcandalum illi dare. Caue ma-
Rom.14. ximè à ſcandalo: quia *perdis illum, pro quo Chriſtus mor-
tuus eſt. Si peccaſti ſolus, facilè peccato tuo remedium
eſt; Dei gratia tibi eſt ad manum & pœnitentia: ſed ſi
alteri peccandi occaſio fuiſti, non ſic remedium adeſt.
Væ igitur mundo à ſcandalis.

Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala. Hæc neceſſitas antecedentis eſt, non conſequentis: vt ſi homo currit, mouetur, ſed non neceſſe eſt eum currere. Quia
1 Ioan. 2. mundus eſt, & mundani, neceſſe eſt ſcandala eſſe. Vis
Pſal. 118. non ſcandalizari? exi de mundo. *Nolite fratres diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt*: quia *pax multa diligentibus legem tuam Domine; & non eſt illis ſcandalum*. Sed ais, difficile eſt à mundo exire, & à peccatoribus me ſeparare! Audi Chriſtum.

Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum. Sicut debes cauere alijs ſcandalo eſſe; ſic tibi cauendum, ne ſcandalizeris. Tantum bonum Deus eſt, vt pro eo ſint facilè omnia dimittenda, & arbitranda vt detrimentum & ſtercus. Separa à te omne, quod ſcandalizat te, licèt ſit ſanguis fundendus. Præterea *ſi oculus tuus ſcandalizat te*, id eſt, ſi ratio tua titubat in altiſſimis fidei myſterijs, in diuina gubernatione & prouidentia, in prædeſtina-
Matt. 11. tione, & his quæ circa te diſponit: *erue oculos iſtos*: *beatus enim, qui non fuerit ſcandalizatus in me*, inquit Chriſtus. Qui ergo in omnibus diuinæ conformatur voluntati, ſuamque illi ſubijcit, ille beatus eſt, Melius ergo tibi ſit ſalutem æternam conſequi ſine amico, qui ſit tibi oculus, pes, vel manus; quàm cum eo damnari in æternum. Myſterium verò latet in his verbis: quia ea animi contentione nobis curanda ſalus ſpiritualis eſt, vt nihil prætermittatur, etiamſi vita profundenda nobis ſit. Ideo ait, manum abſcindendam, oculum eruendum: non quòd hæc, vt iacent, facienda ſint; ſed quia ea, & plura alia, etiam difficiliora, ſubeunda eſſent, ſi oporteret, pro regno cælorum. Addit tandem.

Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis. Dico enim vobis; quia Angeli eorum vident faciem patris mei. Ex illis

Iis verbis, *semper vident faciem patris*, colligitur 1. An- 1.
gelos spiritales esse substantias : nec enim oculis cor-
poralibus facies Patris videri potest. Colligitur. 2. co-
rum perfectio summa in natura. Est enim tanta An-
geli perfectio naturalis, vt omni scientia & specie sit 2.
ornatus à principio, simplicique intuitu omnia na-
turalia nouerit. Hoc verò peccantem Angelum in-
excusabilem reddidit, & eius peccatum inexpiabile,
& expers redemptionis : hominis verò peccatum
contra fuit excusabile. Errauit Angelus, & quæsitus
non est à Deo: errat homo, & quæritur ; quia igno-
ranter errauit. Angelos autem fides nostra innume- *Dan.7.*
rabiles esse dicit : dicit enim Daniel. *Millia millium.* *Apoc.5.*
Et Ioann. *Et erat numerus eorum millia millium.* Et Iob.
Non est numerus militum eius. Et cùm tot sint Angeli
numero ; hoc eorum cælum reddit pulcherrimum,
quòd omnes diuersæ sunt naturæ & speciei, vnius
verò voluntatis. Interrogo nunc te carnalis homo,
elige è duobus vnum, vel per horam frui omnibus
mundi delitijs ; vel Angelico intuitu, consortio, &
colloquio : sine dubio hoc præeligeres, & putares te
beatum per horam, si talis esses dignus aspectu. Co-
gita ergò quale erit illud gaudium, cùm inæternum
fruêris omnibus Angelis simul, omnium decore, o-
mnium colloquio tam felici ? Quid terrenum pro 3.
tanta obtinenda felicitate non aspernendum ? Ex
ijsdem verbis, *vident faciem patris*, colligitur 3. maxi-
mam gratiam Angelis datam esse, per quam ad tan-
tam peruenere gloriam, vt faciem patris mererentur
aspicere.

Nec enim potest esse adeo excelsa natura creata, cui
gloria contingat nisi per gratiam. Erat in eis DEVS
simul condens naturam, & largiens gratiam: & sum-
mam adepti gratiam summam vno instanti adepti
sunt felicitatem. Quæ tamen nobis non contingit ni-
si per multa opera atque labores. Velles, ô homo, bea-
titudinem consequi, sicut Angelus vna actione; sed nō
potes. Homo es, non Angelus. Satis tibi sit longo iti-
nere eò peruenire, quo Angelus breui, Deus nullo.

Ideò cum Deus breui itinere posset Israel ducere in terram promissam; longissimo tamen duxit. Quia quod pretiosum est & optimum, magnis laboribus acquiritur. Sed quis labor est magnus, si æterna est
Ier 31. retributio? *Quiescat ergo vox tua à ploratu: est enim mer-*
Matth 5. *ces operi tuo*. Ex iisdem verbis 4. colligitur qua cura,
4. qua dilectione nos Angeli custodiant, nobis perpe-
Hieronym. tuo assistant, nobis monita dent salutis, quia *vident faciem patris*. Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam Angelum delegatum. Sed & maxima in nos diuina di-
Psal. 90. gnatio: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Imò & Angelos quasi ministros & seruos nostros facit. Sed quid mirum hæc fecisse, qui seipsum seruum & ministrum hominum fecit?

Sed quomodo Angelus tantæ dignitatis optat hominem tam vilem custodire? Respondet CHRISTVS: *quia vident faciem patris mei*. Ex hac enim visione diuina oritur in eis summa charitas, vnaq; vo-
1. luntas eaq; indiuidua cũ diuina. Cùm ergo videant diuinũ cor versum ad homines tanto desiderio & amore, & gratissimam esse Deo hominum salutem, norunt in hoc maximè se Deo placituros, si huic operi
Psal. 103. incumbant. Quarè Psalm. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, id est, qui eos, quos creauit spiritus, facit Angelos & nuncios suos; & quos ministros nostros efficit, vult vt tanta in nos flagrent charitate, vt sint quasi flamma ignis. Et cùm charitas, qua in Deum ardent, ostendi nequeat in Deo, vt in eo quippiam ponant aut augeant; vident verò hominem Dei imaginem, Dei filium, omnibus vijs curant hominum bona, vt eos iuuent; & in eis
2. promouendis se Deo gratos exhibeant. Mouet secundo ad hoc opus Angelos cognitio valoris animarum, quarum pretium tunc agnoscunt probè, cùm *vident faciem patris*. Vident humanitatem illam à
Apoc. 5. verbo assumptam, quam sic suspiciunt, vt dicant: *dignus est Agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem, virtutem, sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & be-*

& benedictionem. Deinde cùm intuentur beatissimam virginem Mariam, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, & iubilant omnes filij Dei, quomodo despicere possunt humanam naturam? Hoc quoque ardens desiderium boni nostri auget in beatis spiritibus superbia & diabolica dæmonis inuidia & persecutio in nos. Angeli enim fratres nostri, zelantes honorem nostrum contra diabolum armantur, & vindictam in dæmones exercent, eis resistendo, nos eripiendo, technas eorum ostendendo, eos calcando. Idem tandem auget desiderium ipsorum Angelorum vtilitas, & cumulus gloriæ, quam ex nostra salute sperant. Licèt enim in eis non crescat gloria essentialis, crescit tamen accidentalis non parui pendenda, tum quia magna, tum quia æterna. Illi rectè norunt, quantum bonum sit Deum assequi, ideò curant maximè, ne rem tantam amittamus incuria nostra. O ergo beati serui Salomonis, qui ei semper assistitis; ô diuini exploratores, qui videtis *faciem patris*, estote Duces nostri: iam vidimus per fidem terram promissam; introducite nos ad eam, expugnatis hostibus nostris, ne pereamus in deserto. Tollite iam gladium de ostio paradisi, & illum in fauorem nostrum conuertite, vt possimus edere de ligno vitæ. O diuini Consiliarij, dissoluite consilium Achitopel, ne pauper Dauid pereat. Reducite Thobiam, vt incolumus redeat ad patris domum; eripite à deuoratione piscis, dæmonium alligate, & compescite: O altissimi pincernæ, ne obliuiscamini Ioseph in carcere positi, suspirantis pro libertate filiorum Dei. Defendite animam inter pericula versantem, vt custodistis Iudith euntem, commorantem, & redeuntem; quam coinquinari non permisistis, sed victricem reportâstis. &c.

3. 4. 5. 2. Par. 9. 3. Reg. 20. Gen. 5. 2. Reg. 6. Tob. 6. 8. 11. Gen. 10. Iudith. 13.

(∴)

FESTA OCTOBRIS.

IN FESTO S. FRANCISCI Confessoris, Ordinis Minorum fundatoris.

THEMA: *Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ.* Matt. 11.

MEritò tribuuntur S. Francisco à D. Bonauentura illa verba Isa. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Ita nanque humilitate excelluit Franciscus, vt inde cognomen Humilis adeptus sit. Egregium certè cognomen, quo ostenditur omni gratia ac dono ornatum, quia *humilibus gratiam suam Deus dat.* Inter dona verò B. Francisci vnum non contemnendum fuit, quod humillimæ MARIAE singulari deuotione inhæsit. Et ideò Ecclesiam B. Mariæ de Portiuncula vir sanctus amauit præ cæteris mundi locis, vbi humiliter cœpit, virtuosè profecit, & fœliciter consummauit, & fratribus commendauit. Aderit ergò nobis Maria, vt Francisci laudes dicamus, si eam humillimè salutauerimus.

S. Bonauent. in vit. S. Frãcisci. 4. Octob. ANNO 1226. Surius.

Ex officij ac muneris dignitate, ad quam Deus hominem eligit, colligitur gratia ac dona, quibus ab eo ornatur. Vt ergo Francisci celsitudinem explicemus, videndum est, ad quod munus sit electus à Deo. Si ergò nosse cupis quod Francisci fuerit munus, scito illi à Christo demandatum (vt ostẽdit ipsi Francisco & Innocentio Pontifici Christus) reparare Dei Ecclesiam labentem, sustentare, ac fulcire. Ecce Franciscum verũ Athlantem, qui Dei Ecclesiam humeris sustentat. In laudem Simonis sacerdotis magni dicitur, *Suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templũ*, hoc Franciscus in spirituali templo Ecclesiæ fecit. Sed excelsum nimis hoc munus est, Dei labentem Ecclesiam restituere. Sed quis illud præstare poterit, nisi ille, qui fundauit eam? qui primum erexit? sed nunquid primus Christus de-

Eccl. 50.

scende-

ſcendere iteru m debet, vt Eccleſiam reſtituat? Minimè, inquit: Sed dabo vobis, qui vices meas gerat; qui ſit prorex meus; qui id faciet per me, quod ego facturus eram. Hic verò Franciſcus eſt, quem vt ſcias meas gerere vices, & Chriſtum Dei eſſe, meis plagis ornabo. Ego fui petra fundamenti elaborata quinque plagis; ſimili ratione elaborabitur Franciſcus, qui fundamentum eſt inſtaurationis Eccleſiæ.

Obſecro nunc quæ ſunt inſignia Eccleſiæ? quod eius vexillum? quæ eius ſtigmata? Certè Crux Chriſti, & eius vulnera. In his nos gloriamur. Attende ergò, quo exaltauerit humilitas Franciſcum. Humiliatus in cruce Chriſtus, exaltatus eſt ſuper omnem creaturam. Humilis Franciſcus inſignitur Chriſti vulneribus, vt dicere poſſit cũ Paulo: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* 1. Cor. 11. Vt verò mundus Franciſco Euangelicam perfectionem prædicanti crederet, inſignitus eſt Chriſti vulneribus; quæ eius ſunt inſignia, vt ei plenam fidem mundus habeat. Perforabatur olim ſubula auris illius, qui ſeruus erat ſempiternus, nec à domo Domini diſcedere volebat, cùm ei libertas à lege concedebatur. Exod. 21. Verè Franciſcus Chriſti ſeruus eſt ſempiternus, qui ſe tradidit in ſeruũ Chriſto Domino, non ad tempus breue, ſed in æternum. Ideoq; vſurpare ſibi Franciſcus poteſt illa verba Pauli: *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Gal. 6. Nemo ergò Franciſco moleſtus ſit, nemo eũ à Chriſto ſeparare curet: ſeruus eſt ſempiternus, eius ſtigmata portat.

Ex quo excellens illius gratia oſtenditur, qui in opus deſtinatus à Deo fuit, ad quod ipſemet Chriſtus neceſſarius videbatur. Vnde vniuerſa illius vita imitatio eſt vitæ Chriſti, & Euangelicæ perfectionis norma. Nam initio conuerſionis coram Epiſcopo & patre non ſolùm bonis paternis ceſſit, ſed & vniuerſa veſtimenta depoſuit, & omninò nudus relictus eſt; & dixit. Vſque nunc patrem te vocaui in terris: amodò ſecurè dicere poſſum: *Pater noſter, qui es in cælis*, apud quẽ omnem fiduciam collocaui. Idipſum & moriens præſtitit. Deportari enim ſe voluit ad S. Mariam de Portiuncula; & vt veritatis exemplo monſtraret, quod nihil erat illi commune cum hoc mundo, proximus

morti super nudam humum se totum nudatum in spiritus feruore prostrauit; quatenus illa hora extrema, qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Miranda & prædicanda hæc nuditas, & rerum omnium contemptus, quem semper habuit, & suis testamento reliquit. Vt autem se homo omnibus exspoliet maxima indiget gratia. Id facilè ostenditur in iuuene, qui audiens; *Vade, & vende omnia, quæ habes,*
Matt. 19. *si vis perfectus esse, & da pauperibus, & sequere me, & abijt tristis. Erat enim habens multas possessiones*; & difficile ei apparuit omnibus nudari. Sed cur difficile est hominem nudari? Certè in teipso id cernere poteris. Attende quot tibi quæras & velis vestimenta. Quid omnia terrena sunt, nisi indumenta nuditatis ac miseriæ nostræ? Amor verò sui id efficit, vt homo plura sibi quærat indumenta. Quis ergo efficiet, vt omnia relinquat? omnia contemnat? Planè diuina gratia id efficiet; sed non quæuis, verum excellens. Difficile enim id opus
Matt. 19. est, & rubusti hominis. Et tanquam maximum illud Christo proposuit Petrus dicens: *Ecce nos relinquimus omnia.* Nunc ergo mirabilem in Francisco gratiam attendamus, mirabilem illius nuditatem ac rerum omnium contemptum. Dominam suam paupertatem dicebat. Nullus auarus sic diuitias coluit, vt Franciscus paupertatem sanctam.

Sed quæ huius nuditatis rationes? Multæ profectò. Prior est, quod ardenti in Christum charitate erat: & sicut nimius calor efficit, vt vestes tollas: ita flagrans e-
1. Reg 18. ius charitas eum nudauit. Sicut ergo *Ionathas se exspoliauit tunica sua, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua*; ita & Franciscus præ nimio in CHRISTVM amore se nudauit, & omnia pro illo
Isa 20. reliquit. 2. vt vniuerso mundo ostendat, quod Isaias
Hier. ibid. vni populo ostendit vadens nudus & discalceatus, significans AEgyptum & AEthiopiam sic nudandas esse: ita Franciscus nuditate sua ostendit quod cū omni homine mundus tandem aget, cùm eum demū bonis omnibus exspoliabit, & in morte vniuersa auferet bona inuito. Mirabili verò prudentia Franciscus vsus est, dū se ille exspoliauit, priusquā à mundo exspoliaretur præuenit inimicū: & quod ille auferre debuit, ipse dereliquit;

reliquit;

reliquit; & sic inæternũ sibi seruauit: & abijciens nũc vestes, eas custodiuit in cælo. Sed num propterea possessio nulla ei relinquitur? Imò maxima. Deus enim possessio illius est. Ecce partem & hæreditatem Francisci. 3. demùm nudari voluit, quia ad certamen properabat cùm diabolo: & nudus cum nudo melius luctatur. Si enim vestitus quispiam cum nudo luctetur, citius ad terram trahitur; quia habet vnde teneatur. Nudi sunt maligni spiritus; nihil possident in terra: Qui ergo ad certamen cum illis venit, vestimenta abijciat, ne succumbat. Sic nudus in sterquilinium venit Iob, quia in arenam descendebat cum dæmone.

Sed mirandum valdè est, quòd ad tantum opus homo infimus à Deo eligatur. Hoc Dei mirabile consilium probans Christus ait: *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Quibus verbis duo significat. Primùm, quòd infirma mundi elegerit. Secundum, quòd elegerit humiles, quos nomine paruulorum significat; reiecerit verò superbos, quos dicit sapientes & prudentes; non quod tales sint, sed videantur. De Francisci humilitate quis dicat? Cùm iter ageret cum socio interrogatus ab eo est, quid de seipso sentiret. Ad quem humilis Christi seruus. Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Rationem reddẽs: Si quantumcunque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè, quòd multo quàm ego gratior Deo esset. Impleuit planè Franciscus, quod Christus dicit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Nulla gratia, nulla virtus Deo placet sine humilitate. Hinc humillima mater: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Respicit Deus animam humilẽ, quia eam bonis replet. Quòd si à Deo non respiceris, respice teipsum, & inuenies in te superbiam, qua tibi magnus appares, ob quam à Deo non respiceris. Et ideò rectam viam in cælum non tenes. Quia verò te errare videt cælestis magister rectam viam in Euangelio ostendit, dicens, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Nihil ita fatuum hominem reddit ac superbia. Hinc Paul. *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Malè se Deus cum superbis habet; quia *ijs resistit: humilibus* Galat. 6. 1. Cor. 4.

autem dat gratiam. Superbus se magnificat: Deus despicit. Ipse magnus apparere vult, Deus eum deijcit. A seculo Deus cùm superbis cōtendit. Imitemur ergò humilem Franciscum, & humilem Deum: quia non esse superbum hominem docuit humilis Deus. &c.

IN FESTO S. LVCAE Euangelistæ.

De hoc Euang. vide in die S. Marci Euang. fol. 53. & seqq.

THEMA: *Designauit Dominus & alios 72. & misit eos binos ante faciem suam.* Luc. 3.

INTER plura, quæ in laudē D. Lucæ dici possunt, illud est præcipuum, quòd B. Mariæ amantissimus fuit, & familiarissimus: cui illa dixit vniuersa, quæ de Christi Incarnatione & infantia Saluatoris ille fidelissimè scriptis mandauit. Et sicut solent hi, qui præcipuo amore sponsas diligunt, earum figuras tabula expressas secum gestare in maximi amoris signum: ita D. Lucas expresserat quidem in corde suo Mariæ effigiem & in Euangelio, sed vis amoris eum impulit, vt in tabula etiam exprimeret, quæ Romæ seruatur vsq; in præsentem diem: verè Mariæ filius, qui eam sic dilexit. Ad eam ergò accedamus, vt B. Lucæ laudes dicere possimus.

Simile. Niceph. li. 2. hist. Eccles. ca. 43. lib. 14. cap. 2. lib. 15. cap. 14. Synod. 7. Actor. 10. 5.

Doctores ex doctrina Pauli ad Roman. cap. 5. & 7. colligunt triplicem mundi statum. 1. Ab Adam vsque ad Moysen, & status erat legis naturæ: secundus à Moyse vsque ad Christum, & erat legis scriptæ: tertius à Christo vsque ad mundi finem, & est legis Euangelicæ. In priori statu legis naturę omninò regnauit peccatum: vnde Paul. *Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen.* Cùm sic mundus esset, accessit secundus status legis scriptæ, in qua vidit mundus peruersum statum suum, agnouit peccati malitiam, & Deum eius vindicem, diaboli tyrannidem, & regnum peccati: sed licèt hæc omnia agnoscerent per legem, non tamen illa vires & gratiam subministrabat: quare pauci erant, qui

Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei ca. 43 qu 49 super. Iudic. Tract. 9. in Ioan. 2. Greg hom. 19. in Matt. 20. Rom. 5.

liberi inuenirentur. En mundi statum ante Christi aduentum *Venit ergò filius hominis, vt dissoluat opera diaboli,* & eius regnum euertat, & Dei stabiliat. Ad hoc verò plenam peccati & eius malitiæ cognitionem tribuit, & simul gratiam ac vires donet, quibus Sathanã vincere possimus. Hinc Paul. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per I E S V M Christum Dominum nostrum.* Et viros designat fortes, qui diaboli regnum euertant, & Dei in terra fundent, vt hodie in Euangelio dicitur: quibus dedit virtutem calcandi serpentem antiquum & eius malitiam. 1.Cor.15.

Vt ergò opus hoc eximium perficiant, *designauit Dominus & alios 72.* Aduenit iam gratiæ tempus, de quo Paul. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia.* In quo enim lex infirmabatur per carnem, veniens I E S V S nobis omnia concessit & integram cognationem peccati, & gratiam superandi. Egrediamur ergò à captiuitate peccati in regnum filij Dei. Si enim vti voluerimus remedijs legis gratiæ, facilè vniuersa peccata superabimus, & *erunt nobis praua in directa, & aspera in vias planas.* Si times inire pugnam cum Sathana, & satellitibus eius, vt Israël contra Amalech, audi verum Iosue I E S V M, tibi dicentem: *Sicut panem, sic eos possumus deuorare, nolite timere, Confidite,* inquit, *ego vici mundum.* Alligatus est fortis armatus, exspoliatus est armis suis; quid times, quid trepidas? Rom.6. Rom.8. Isa. 40. Luc. 3. Num.14. Ioan.15. 16. Luc. 11.

Ne verò timeamus, mittit fortissimos duces, qui nos præcedãt, Apostolos & discipulos; quos hodiè designat in hoc opus. Et sicut olim accepit de spiritu Moysi, & dedit 70. viris, qui etiã prophetârunt, & iuuerũt Moysen in regimini populi: ita pater æternus accepit de spiritu Christi, & dedit 70. discipulis, vt eum iuuent in mundi conuersione, & cooperatores sint; quibus ait: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* q. d. sicut missus sum ego in mundi salutem, vt dæmones pellam, vt ægros curem, ita ego vos mitto mea potestate ac munere. Per hos verò discipulos significatur ordo Sacerdotũ, sicut per Apostolos ordo prælatorum. Sacerdos verò facer dux esse debet fidelibus ad bella spiritalia gerẽda. Ioan. 20.

Quia verò Apostoli satis non erant vniuerso mundo, discipuli eis adijciuntur:ita quoniam Prælati satis nō erant, mittitur ordo sacerdotum ac religiosorum, qui eos iuuent.

Matth. 18. Mittit verò *binos*. Dixerat enim: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Cùm ergò bini irent, nosse poterant Deum cum illis esse. Sed quia iustus vt palma florebit, & palma hoc inter arbores singulare habet, vt florem & fructum non producat, nisi proxima sit illi alia palma; ideò iustus comitem quærit. Sed *mittit ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus*. 1. ante faciem suam eos mittit, vt sicut venator regem comitans feras inquirit, quas ad regem perducat:ita discipuli animas feras ad Christum ducant, vt mortuæ peccatis iustitiæ viuant. Mittit igitur eos ante faciem suam, vt sic prædicent, quasi Christus præsens esset. Sic Paul. *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur*. 2. mittit eos, *quò erat ipse venturus*. vt videant quomodo laborent, *vt sint operarij incōfusibiles*:ipse enim post eos vadit, vt eorum opus videat. Sicut enim discipulus exactiùs opus exequitur & perfectius, quādo nouit à magistro illud statim inspiciendum:ita Christus seruator noster ait: Ite in ciuitates, ad quas ego ibo, & videbo opera vestra: ideò strenuè laborate. Sicut verò discipulis ait, se venturum, nec tamen dicit, quando; sic omnibus nobis dixit, se venturum ad nos in iudicium & mortem: non tamen nouimus, quando veniet, vt semper parati simus.

Simile. Hier. 16.

2. Cor. 2. & 12.

2. Tim. 2.

Marc. 13.

Sed quid eis dicit, cùm eos mittit? *Messis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergò Dominum messis, vt mittat fideles operarios in messem suam*. Sub Christi oculis erat tunc vniuersus mundus, quem eius potestati Pater tradiderat; ideò messis multa, sed operarij pauci: quia *omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi*. Orare verè oportet Dominum, vt operarios mittat; si enim hi non essent, Ecclesia periret. Sicut salutis bonum non agnoscitur, cùm habetur; sed cùm non habetur: ita Concionatorum necessitas non cognoscitur, nisi cum abfuerint.

Phil. 2.

Sed

Sed 4 Euangelistæ Dei singulari munere ad Ecclesiam missi sunt, quasi illa 4. flumina, de quibus in Gen. dicitur. *Fons egrediebatur de paradiso ad irrigandam vniuersam superficiem terræ, qui inde diuiditur in 4. capita.* Fons Christus est, cuius doctrina diuisa est in Euangelia, quibus aqua sapientiæ salutaris continetur. Quanta verò dignitate Euangelistæ cæteros emineant, testantur Ezechiel & Ioannes, qui mirabiliter describunt ea quatuor animalia, quæ Euangelistas significant. Tantæ quidem dignitatis erant illi, qui verba & facta Redemptoris scribendo memoriæ tradiderũt, vt non solùm prophetico, sed etiam Apostolico essent testimonio commendandi. Verè *operarij inconfusibiles* Euangelistæ sunt, *rectè tractantes verbum veritatis*; quod literis mandârunt, facti chronographi Regis cælestis.

Gene 2.
Hieron. in 4. Euang. ad Damas. præf.
Ezech. 110.
Apoc. 4.
Aug. li. 1. de cons. Euang. ca. 1.2.3.5.4.6.7.8. Beda.
2. Tim. 2.

Adijcit verò Christus: *Ite, Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Ite, ait; sed quo Domine? Ad messem, ad agrum dominicum, non ad ludum, aut venationẽ; sed vt triticum Domini in horrea Domini recondatis. Quod illi sedulò peregerunt. Vnde de illis Psalt. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Ecce*, inquit, *ego mitto vos*. Emphasin habent hæc verba: significant enim authoritatem Dei mittentis. Quis enim in vniuersum mũdum mittere suos posset, nisi Deus? Cùm ergò ait; *Ecce ego mitto vos*, idem est, ac si diceret: Si alius vos mitteret, possetis formidare; sed cùm ego vos mittam, *ite* sine timore; licèt agni sitis inter lupos. *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Dabo vobis Spiritum sanctum, vt nihil non aggredi possitis. *Ego omnipotens vos mitto, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Ego* in vobis ero, *ego* pro vobis pugnabo. Hinc Paul. *An experimentum quæritis præstantis in me Christi*, vt Chrys. legit.

Psalm. 125.
Felix Pap. epist. 1.
2. Cor. 13.

Sed cur Deus Agnos mittit, vt lupos superent? Sicut in Pharaonem non misit leones aut tygrides, sed cinifes & muscas; cõtra Holophernem infirmam mulierem: ita Christus in mundum mittit discipulos minimos, quibus lupos superauit. *Vt non glorietur omnis*

Exod. 8.
Iudith. 16.
1. Cor. 1.

caro coram illo: ideò ea, quæ non sunt, elegit; vt ea, quæ sunt, destrueret. Ex quibus colligitur, nihil esse imbecillius homine, cùm Deus ab eo recesserit: nihil verò fortius

Phil. 4. homine, in quo & cum quo Deus est. Vnde Paul. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Si ergò, ô homo, Deus tibi

Iob. 7. adest, dic cùm Iob. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pu-*

Psalm. 26. *gnet contra me.* Si Deus tecum fuerit, nihil time, omnia

Psalm. 30. spera, omnia aude. Si verò Deus à te recedit, time: nihil erit tibi prosperum, nihil efficies arduum. Sicut ergò Agni lupos superant Dei virtute; ita tu superabis omnes vires inimici: Deo ergò adhære.

Sed attende, qua celeritate suos ire velit Christus: *Nolite portare sacculum, neque peram, & neminem per viam salutaueritis.* id est, nullam moram facite, nulla vos res detineat, quia estis *Angeli veloces ad gentem conuulsam &*

Isa. 18. *dilaceratam* Sed peccator discat, quanti eius intersit, citò à peccato recedere: Cuius enim magis interest hæc festinatio prædicatoris, an peccatoris? Manifestum est,

Isa. 60. peccatoris plus interesse: sicut imber magis necessarius est terræ quàm nubi. Si ergò prædicator veloci cursu ire debet, vt nulla re detineatur; quomodo tu miser peccator differs à peccato recedere?

Sed quid prædicant mundo discipuli? *Appropinquauit in vos regnum Dei* Dicitur vniuerso mundo: hucusque regnauit in te dæmon, peccatum, mors; iam verò pro-

Danie. 9. pe est, vt morte mea *deleatur iniquitas & peccatum, & fi-*

Ioan. 12. *nem accipiat præuaricatio, & adducatur iustitia sempiterna. iam princeps huius mundi eijcietur foras* Expectabat Israël temporale Messiæ regnum: sed illi & omnes nos audiamus: *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, &*

Rom. 14. *pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Hoc regnum stabilire in terra Christus venit, quo semper fideles regat, quos Pater *eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum*

Coloss. 1. *filij dilectionis suæ.* Hoc regnum appropinquabat tunc; sed nunc stabilitum in terra est Ad illud ergò citissimè transferamur, si in eo non sumus. Cur ô homo ser-

Ierem. 2. uus eris peccati, *quare factus es in prædam,* quem Christus sanguine redemit? Appropinquauit in nos regnum Dei, ad illud nos transferamus, &c.

IN FESTO SS. APOSTOLOrum Simonis & Iudæ.

THEMA: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15.

IN vniuerſis ſanctorum feſtis lætatur Eccleſia; quia in quolibet ſanctorum aliquid inuenit præclarum laudeq; dignum, quod imitari poſſit; in Martyre fortitudinem, in virgine puritatem, in Confeſſore perſeuerantiam, in Doctore ſapientiam: præcipue verò gaudio afficitur in Apoſtolorum feſtis, tum quia illi patres & progenitores eius fuerũt; tum etiam quia vniuerſæ gratiæ & virtutes in eis perfectiſſimæ fuerunt, de quib Iſa. *Omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, & dicent; hi ſunt ſemen, cui benedixit dominus.* Et Paul. *Vt filios chariſſimos vos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Reliqui Sancti quaſi pædagogi ſunt, qui fidelium mores inſtruunt: Apoſtoli verò parentes Eccleſiæ ſunt. Iſaiæ 61. 1. Cor. 4.

His ergò ſpiritualibus mundi patribus primùm legem ſuam proponit, quam ſeruent, & filios ſeruare doceant. Sed quænam iſta lex? *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Quia audiret, *Hæc mando vobis*, putaret innumera præcepturũ; ſed vnũ mandat, & id facilè: *Vt diligatis inuicem.* Taceat nũc Moyſes legiſlator Hebræorum, qui legem tulit longã & aſperã: audiamus legiſlatorẽ Chriſtianorũ, cui nullus ſimilis eſt; audiamus legem, & teſtamentũ ſeu mandatũ ipſi⁹: *Hæc mãdo vobis, vt diligatis inuicẽ.* An nõ ſuauis lex iſta eſt? Rectè Pſal. *Dulcis & rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentib. in via.* Dulcis profectò ac melle ſuauior lex iſta eſt; & meritò vir iuſtus in ea delectatur, & ſibi complacet, iuxta illud Pſal. *in lege Domini voluntas eius*, ſecundùm Hebræam linguam, pro *voluntas* eſt complacentia ſeu delectatio. Hinc Pſal. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* id eſt, intra volũtates eius. q. d. *magna opera Domini*, magna beneficia in nos cõtulit Dominus, Pſalm. 24. Pſalm. 1. Pſal. 110.

exqui-

exquisita in omnes voluntates eius, id est, Dei infinitus amor in nos fecit, vt excogitaret beneficia in nos maxima, quoniam plena voluntate & voluptate ea præstabat. Meritò ergò *in lege Domini* omnis *voluntas* iusti esse debet; vt integra volũtate ille amplectatur, quòd Deus plena voluntate & dulcedine cordis dedit.

Sed qua ratione hoc dilectionis præceptum adeò commendauit Apostolis, & omnibus fidelibus? Primò vt ea finem conuersionis mundi assequerentur. Dixerat enim Christus: *Posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*: vt ergò hunc *fructum afferatis*; *mando vobis, vt diligatis inuicẽ*. sic enim perficietis, quod dixi, & mundum ad me trahetis. Natiuum hominis ingenium est, amore trahi: nulla similia vincula hominem ligant ac dilectionis. Taurum ligabit funibus, leonem cathenis, hominem verò dilectione ac benefi-

Ose. 11. cijs: Vnde per Ose. Dominus dicit se his vinculis vsurum. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

Iudi. 16. Cor hominis vim non patitur, & ideò amore ducen-

1. Cor. 13. dus est, sicut Sampson amore Dalilæ. Omnia vincit amor, omnia superat: ideò ignis dicitur, quia omnia domat. Quid durius ferro aut metallo? igne tamen liquescit, vt quam volueris formam ei aptes: ita durum

Cant. 8. cor amore lenitur. *Fortis est vt mors dilectio*: sicut enim mors omnes superat, ita amor: sicut mors omnia relinquere facit, honores, diuitias, alienam substãtiam, vindictam; sic & amor, si cor tuum occupet, omnia re-

Rom. 8. linquere faciet. Hæc dilectio ita in cordibus Apostolorum fuit infixa, vt nulla vi pelli potuerit. & imple-

Thren. 1. tum est illud: *de cælo misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Hoc igne per vniuersum mundum decurrerũt, & eum inflammârunt. Hoc igne Simon & Iudas ducti sunt, qui Mesopotamiam, Aegyptũ & Persidem percurrerunt, & in Persiam & Babyloniam venerunt; &

Isaiæ 21. impleta est visio Isa *duorum equitum, qui Babyloniam vastauerunt, & idola eius confregerunt* Quibus iuxta ordinẽ

Apoc. 21. Apostolorum ex 12. stellis lapidibus, qui fundamenta sunt cælestis Hierusalem, in quibus nomina 12. Apo-

Franc. Ribe. in Apoc. 21. stolorum scripta erant, Chrysoprasus, & Hyacinthus. Hyacinthus violacei coloris est, non rutilat æqualiter, sed cum facie cæli mutatur; sereno enim perspi-

ſeuus eſt, atque gratus; nubilo coram oculis euaneſcit, atque marceſcit. Huic Simon ſimilis eſt, cæleſtibus moribus præditus, ad terrena immutabilis, cum ſolius cæli facie, id eſt, Dei voluntate mutari ſolitus. Chryſopraſſus verò viridis eſt aureis interuenientibus guttis. Cui perſimilis Iudas Thadæus eſt, propter eximiam eius fidem & charitatem. Secundò hæc charitas Apoſtolis minimùm commendatur; quia eâ fortes in mundi expugnationem redditi ſunt. Quod enim verecundia & in honeſtis ſtudium vim furoremq; heroibus inſpirauerit, vt à turpibus abſtinerent, & ad honeſta, quaſi quadam æmulatione contenderent; hoc AMOR in amantibus effecit. Miſſurus ergò Chriſtus ſuos in ſumma diſcrimina, in quibus multa fortiter patranda, & vita fundenda eſſet, furorem & vim amoris in Heroes inſpirans ait: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*: hac enim dilectione fortes eritis. Cùm enim vniuerſus mundus eis eſſet aduerſaturus, oportebat eos charitate vinciri, & vniri, ne pereant. Sicut & vir Schyta moriens filijs dedit frangẽdas virgas collectas; ac colligatas, quas frangere non poſſent, ipſe verò diſſolutas fregit, & dixit: Si mutuo amore colligati fueritis, nullus vos confringere poterit: ſi verò ab inuicem ſeparemini, infirmus quiſque vos perdet.

Iſidor. li.16. etym. cap. 7. & li. 19. c. 7.

Plato.

Plutarch in Apophth. & in li. de garrulitate.

Poſtquam dilectionem Apoſtolis neceſſariam vidimus: nobis quoq; perneceſſariam eſſe facilè oſtendemus. Primò vt nos fructum afferamus: hic verò fructus noſter dilectio eſt. Secundò vt fortes ſimus in omni diſcrimine.

Modum verò dilectionis alio loco oſtendit dicens, *ſicut ego dilexi vos*: quia ſicut ille propter ſe, & nulla ſua vtilitate inſpecta, ſed ſola bonitate dilexit, ita & nos proximum diligamus propter Deum, non attendentes vtilitatem noſtram. Eſt enim in dilectione magna diuerſitas: quidam enim proximum diligit propter Deum; quidam verò propter vtilitatem ei ex amico prouenientem.

Secundo loco oſtendit Chriſtus perſecutiones, quas tolerare oportet Apoſtolos, q̃ obſtare nõ debet charitati proximorũ. Oſtendit verò plurib. rationib. eas ſuſtinẽdas ab eis eſſe patienter, quarũ prior & efficaciſſima illa

est *Si mūdus vos odit, scitote, quia me priorē vobis odio habuit.* Est energia maxima in his vocibus, ME, qui de cælis propter eum descendi, qui tot ei beneficia contuli. *Et, priorem me*: non enim vos priores in pericula mitto. Prius ego hæc subij: tanto ergò exemplo vobis proposito, non est cur retrocedatis. Commune quidem iustis & iniustis est, vt multa mala sustineant; sed iniusti sustinentiam amiserunt, & impatientes sunt. de quibus Sap. *Væ ijs, qui perdiderunt sustinentiam.* Iusti verò patiuntur similia, sed animo forti atque constanti. Hinc

Simile. Chrys. Quemadmodum columna cùm recta est, si pondus super eam ponis, stabilior ac firmior redditur: si verò inclinata sit, pondere superposito ruit: ita iustus, cùm rectus sit, pondere persecutionis non deijcitur, sed confirmatur; peccator verò in tribulatione frangitur. Hinc *Iustus vt palma florebit*; palma viuacissima est, & semper viret, etiam hyeme; sic in prosperis & aduersis iustus diuina gratia virebit, & fructum suauissimum proferet. Et Palma onere pressa sursum leuatur: ita iustus tribulatione oppressus, sursum cor erigit, & magis in Deum tendit Sic Paul. *In omnibus tribulationem pati-*

2. Cor. 4. *mur, sed non angustiamur.* Attende igitur rationes, quibus Christus suos fulcit, ne in persecutione deficiant: *Scito-*

Psal. 43. *te*, inquit, *quia me priorem vobis odio habuit.* Hinc Psal. Ae-

Simile. stimati sumus sicut oues occisionis. Sicut autem pinguiores oues primùm in macellum ducuntur, vt mactentur: ita primùm Christumagnum pinguissimum & pulcherrimum mactauit.

Sed dubitari potest, quinā fieri possit, vt Deus odio habeatur? Certè Deus in seipso, & probè cognitus, odio haberi non potest; nihil enim in eo mali est. Sed aliter quādo fit, vt homo sibi fingat imaginatione Deum aliter, quàm sit; & sic odio haberi potest: *sed gratis* odio ha-

Augu. tract. 90. in Ioan. 15. & serm. 59. de verb. Dom. & in Psal. 91. Amb. hexā. lib. 5. cap. 9.

betur. quia medicus ille est, vulneribus & ægritudinibus nostris mederi vult; pater est nos corripiens; Et quod ille amore ductus facit, putat homo odio fieri; & insanit homo in Deum: cum vitia nobis displicere deberent, non medicus ea curans. Cùm ergo mundus vos odio persequutus fuerit, *scitote*, inquit Christus, id est, mementote, *quia me priorem vobis odio habuit.* Cōtra vniuersas mundi procellas remedium præclarū est Christi

memo-

memoria, qui easdem sustinuit. Equus marinus, qui dicitur Herinacius; tempestatem præsentiens, adheret petræ: ita tu in medio tentationum & tribulationum memorare *lapidis illius, reprobati ab hominibus, à Deo autem electi*; & dic; *Mihi adhærere Deo bonum est*, &c. Hoc nos Apostolus monet: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Qui hæreditatem adire cupis, eam cum suo onere accipe. Onus verò est, *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Basil. hom. 7. in hexam. 1. Pet. 2. Psal. 72. Hebr. 12. Luc. 24.

Sed quia difficilis carni est via ista Crucis, secundam adijcit rationem Christus. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret, &c* q. d. quia iusti estis, iniquus mundus, vos odit; si ei conformaremini, vos diligeret: multò verò melius est cum iustitia odium mundi sustinere, quàm cùm dilectione eius amicitiam assequi, quæ futilis ac vana est. Hinc Paul. *Placeo mihi in contumelijs, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo*, id est, considerans causam, quia pro Christi iustitia ea patior. Signum ergò recti est mundo displicere. *Si enim hominibus placerem, Christi seruus haud essem.* 1. Cor. 12.

Cùm verò signum recti sit mundo displicere, ac persecutiones pati; cùm pauci nunc odio habeantur, & persecutiones patiantur, pauci profectò sunt iusti. Præcipuè verò pauci discipuli Christi, qui liberè veritatem annuntient, & mundo dicant, qualis ille sit. Si nunc Simon & Iudas hanc ingrederentur ciuitatem, & eius mores intuentes, viderent clericorum auaritiam, luxum, domos ornatas, pauperum neglectum, clamarēt certè: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. &c.* Si conuentum Senatorum, in quo quisq; sua quærit, non quæ Reipub. sunt, vociferarentur & clamarent. Si etiam mores fidelium deperditos viderent, si iudicum auaritiam ac tyrannidem; si ministrorum ipsorum rapinam; si nobilium infames gressus & ludos; si fœminarum indumenta pretiosa, clamarent certè, vt Iudas fecit. *Væ illis, qui in via Cain abierunt*, &c. Mira energia hominum mores deperditos arguit. *Væ*, ait, *illis, qui in via Cain abierunt.* 1. qui inuidi sunt in fratres: *& errore Balaam mercede effusi sunt*, qui pro amore terrestrium commodorum veritatem agnitam impugnant. Gal. 1. Ezech. 34. Iudæ cap. 1. 2. pet. 1. Gen. 4. D. Thom. Num. 22.

Glossa Num.16. nant. Qui in contradictione Chore perierũt, qui increpatione sanctæ Ecclesiæ nolunt emendari Hi sunt *maculæ conuiuantes*, quia non solùm in cõmessationibus & ebrietatib⁹ maculantur, sed etiam sunt maculę aliorũ; quia alios maculant: *nubes sine aqua*, q̃ solem obnubilãt, & pluuiã non dãt: arbores autũnales infructuosæ, quia in Autumno fructus nõ est in arboribus, quia iam collectus; *bis mortuæ* in corde & opere, *eradicatæ* à Deo, & charitate: *Fluctus feri maris*, quia in altum efferuntur, & alios conturbant: *sydera errantia*, per quæ nauigationem null⁹ dirigere debet. *His procella tenebrarũ æterna seruata est*. Si hæc nunc diceremus Apostolica libertate deperditis hominibus, lapidarent certè nos: at verò tacemus, ideoque persecutionem non patimur.

Tertiam rationem in idẽ proponit cælestis magister dicens: *Mementote sermonis mei, quẽ ego dixi vobis; Non est seruus maior domino suo*. Si ergò ego dominus ista passus sum; non miremini, si vos serui eadem patiamini. Sic apud Matth. *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius*. Hac ratione querelas vniuersas eorum, qui tribulãtur, abstulit dominus manifestè, quia *non est seruus maior domino suo*. An non princeps Christus Rex? an nõ Principes Apostoli, quos constituit principes super omnem terram? Hi ambulant quasi serui, vilibus induuntur, laborant vsq; ad mortem: tu verò otiari vis, & frui delitijs? Simon & Iudas Mesopotamiam, Aegyptum & Persidem percurrerunt, & martyrio simul in Perside coronati sunt, &c.

FESTA

FESTA NOVEMBRIS.

IN SOLENNI FESTO OMNIVM SANctorum.

THEMA: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5.

NOMEN hui⁹ Ecclesiæ, in qua versamur, est Ecclesia militans. Hinc Iob. *Militia est vita hominis super terram: benè super terrã*, quia q̃ super cælum sunt triumphant. Vnde oẽs sanctos vidit Ioannes palmis ornatos. Palmæ verò post bellũ dabantur triũphãtibus: oẽs ergò pugnauerunt, omnes vicerunt. In illo ꝑmagnifico Assueri conuiuio Vasthi regina vocata est, sed non venit, & ideò à regno est deturbata. Celebram⁹ hodie Dei conuiuiũ, quo in sanctis ostendit infinitam bonitatem suam, in quo Regina omnium pulcherrima Maria nõ deest: sed illis omnib. adest, eos mirificè lętificãs. Nobis etiã non deerit eius patrociniũ postulantib⁹. *Iob. 7.* *Apoc. 7.* *Hest. 1.*

Sanctos, qui in cęlis sunt, pro nobis orare, certa & indubitata fides est. Si enim Sancti adhuc in corpore constituti possunt oráre pro cæteris, quando pro se adhuc debẽt esse soliciti; quãto magis post victorias, coronas, triumphos? Vnus Moyses orat pro vniuerso Israële, & exauditur. Stephanus, oras pro ꝑsecutoribus, Paulũ lucratur. Paulo donantur 276. animę. Iob orat pro amicis, & eis placatur Deus. Multò magis ergò post mortẽ, cum coram Deo sunt, idẽ pręstabunt, & obtinebunt. Cùm.n. ad amicitiã pertineat amicum exaudire, sine dubio sancti à Deo exaudiuntur, *qui voluntatẽ timentiũ se faciet, & deprecationem eorũ exaudiet.* Rationis huius vis apparebit, si consideres, quòd charitas vię, collata charitati patrię, est quasi puerorũ amicitia collata virorũ arctissimo amori. Adeò verò feruẽs fuit sanctorum in nos dilectio, vt continuò pro nobis orarẽt, teste Paulo. cùm charitas est cõsummata, nec eius actus interrũpitur; cùm sine labore eam ostendere possunt, quid non facient sancti pro nobis? Manifestam huius rei promissionem tenemus *Sanctos exaudit Deus.* *Hieron. aduersus vigilant.* *Exod. 32.* *Act. 7.* *August.* *Act. 27.* *Iob. vlt.* *Psalm. 144.* *Charitas erga Deum.*

Clem.epi.1. ad Iac. fratr. dom. mus Petri Apostoli ante mortem datam orandi pro nobis post mortem. *Dabo autem operam,* inquit, *& frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam habeatis.* *2. Pet. 1. Oecumen ibid.* Vidit etiam Iudas Machabæus Hieremiam & Oniam post mortem orantes pro populo Dei.

Sed quantũ valeat oratio sancti Deũ videntis, patet *2. Matth. 15.* ex summa amicitia inter Deum & sanctos, q̃ arctior in patra est, quàm in via. Quia loc⁹ præmij sanctorũ est cælum. *merces vestra copiosa est in cælis.* Quòd verò quis petita obtineat, ad mercedẽ pertinet: mereri exauditionẽ, huius vitæ est; sed obtinere, alterius. Ex quo sequitur, maximè nobis interesse, si sanctos amicos nostros habuerimus. Si nosti innumeras necessitates tuas, in quib⁹ es, & eris, cur tibi amicos non concilias, qui tibi auxilia *2. Amor erga nos.* ferant? Secunda ratio intercessionis Sanctorum pro nobis colligitur ex illo Paul. *Non acceperunt repromißiones, Deo pro nobis melius aliquid disponente, vt non sine nobis consummarentur.* Sic enim ordinauit Deus modò in bonum nostrum, vt sancti, qui in cælo sunt, non omninò in gloria consummentur, donec nos in eadem gloria simus: vt sic non solùm nostri, sed etiam sui amore moueantur, vt pro nobis orent. Audeo dicere, ait Bernard. mea salute multam me gloriam beatis cumulaturum: si enim mea conuersione lætati sunt, quid mea æterna salute facient?

Obiectionis dilutio. Nec verò huic veritati quippiam obstat, quod Christus solus dicatur hominum Aduocatus & Mediator. *1. Tim. 2.* Ipse enim se solo talis est; Sancti verò per Christum tales sunt; quibus ille nomen hoc & officium communicauit, sicut & alia. Sicut vnus est magister, pastor, & *Matth. 23. Ioan. 10.* fundamentum, fecit tamen plures magistros, pastores, *Eph. 2.* & fundamenta Ecclesiæ. Vnde patri ait: *Claritatem, Ioan. 17.* *quam dedisti mihi, dedi eis.* Nec verò hoc tollit vnitatem magistri, pastoris, & aduocati; quia ipse est omnia hæc in corpore suo & membris: & illi hæc sunt in Christo *Sancti quo modo exaudiantur.* & per Christum. Non enim sancti in se exaudiuntur, sed in Christo, & per Christum. Imò petere in nomine Sanctorum, est petere in Christi nomine: Christus enim & Ecclesia vnum corpus est. Nec petimus in Sanctorum nomine, vt quid separatum à Christo, sed vt vnũ sunt cũ Christo, ab ipso participantes, vt exaudiantur.

Sed

Sed vt maximè appareat sanctos à nobis venerandos esse, satis illud esse debet, quod Christus ait: *Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui est in cælis.* Et, *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum* Omnes verò causæ atque rationes, quibus honor cuique deferendus est, in sanctis maximè inueniri, est manifestum. *Sanctos esse à nobis colendos.* *Ioan.12.* *1.Reg. 2.*

Primò omnium Philosophorum & hominum cōsensu honor virtuti debetur. Si enim *qui tribuit insipienti honorem, sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij*, id est, sicut qui præter ordinem mittit lapidem in aceruum rationum, qui est Mercurij rationum Dei, cumq; lucratus non fuerit, frustra lapidem ponit; sic qui defert stulto honorem: vel sicut qui proijcit lapidem preciosum in aceruum communium lapidum, quod est indecorum & perditio lapidis pretiosi, sic qui tribuit insipienti honorem: vel sicut qui in purpura ligat lapidem vilem, quod est ineptum, sic ineptum facit, qui dat insipienti honorem: vel sicut qui apponit lapidem in templum Mercurij errat, sic qui insipientem honorat, tribuit honorem ei, cui non debetur. Omnes verò similitudines propositæ ostendunt virtuti honorem deferendum. Præmium enim virtutis honor est. Cùm verò in sanctis fuerit & nunc sit virtus in heroico atque perfecto gradu, meritò eis summus est honor deferendus. *1. Virtuti honos debetur.* *Prou.26.* *D.Thom. 22. q. 6. arg.3.* *Iansen. in hunc locum.* *Margema pro lapidare. vel profunda.* *Margema pro purpura.* *Beda in hunc locum.*

2. Fortitudini inter virtutes maximus in mundo honor defertur. Inde Alexander Magnus, Iulius Cæsar, & similes tanto honore cumulati sunt. At omnis eorum fortitudo, collata Sanctorum fortitudini, nihil fuit Omnes enim Sancti fortissimi fuerunt; vt qui non tantùm homines, sed & dæmones vicerunt, quorum *non sit potestas super terram, quæ comparetur ei.* Illi quoque alios vicerunt, hi seipsos. *2. Fortitudo est honoranda.* *Iob.14.*

3. Honor alicui solet exhiberi à nobis; quia eo valdè egemus, & per eum multa nobis bona proueniunt. Hinc regum familiares hominibus honori sunt, quòd per eos bona sperēt quàm plurima. Omnia bona nostra à Deo pendere manifestum est: quòd verò per Sanctorum intercessionem hæc nobis dentur, etiā est manifestum, sicut reges per familiares suos. Sic orat Abra- *3. Honor eorū necessarius nobis.* *Simile.* *Gen 20. 25.*

Abraham pro Abimelech,& exauditur ; Isaac pro Re-
*Iob.*42. becca, vt concipiat;& exauditur:Iob pro amicis,&obti-
Psalm. 144. net.Quia *voluntatem timentium se faciet.*

4. *Dignitas honoranda.* 4. Honor exhiberi solet propter dignitatem;qua ratione superiores,etiam discoli,honorandi sunt. Quantæ verò dignitatis sint, illi solùm agnoscere possunt,
1.*Ioan.* 3. qui nôrunt,quantus sit Deus,cuius illi filij sunt. Om-
Rom. 8. nia denique,propter quæ honos deferri solet,in sanctis
Sap. 5. maxima apparent. Nobilitas generis,*qui non ex sanguini-*
5. *Nobilitas.* *bus,sed ex Deo nati sunt.* Diuitiæ, quæ tantæ sunt,vt Deus
Ioan. 1. sit eorum possessio. *Gloria & diuitiæ in domo* eorum. Ve-
Psal. 111. rè igitur *Nimis honorati sunt amici tui Deus. Nimis* inquit,
Psal. 138. quia nulla ratio honoris,quæ in ijs non sit, & *nimis* sit;
nimis ergò honorandi sunt.

Iam vides, quòd meritò Ecclesia omnium Sanctorum memoriam agat, à quibus oratione sua tanta bona sperat. Attendens verò Ecclesia multos Sanctos à nobis non honorari, nec posse de omnibus fe-
Analogia. stos dies agi, instituit diem omnibus solennem, quo
*Num.*28. omnibus deferamus honorem, omnium petamus au-
& 29. xilium.

D.Thom. Celebrabat olim populus antiquus festum taber-
2.2. *q.* 102. naculorum,& festum cætus atque collectæ.Primum in
art. 4. *ad* memoriam diuinæ protectionis in via deserti,quando
10.*arg.* in tabernaculis habitabant: secundum verò in memoriam quietæ possessionis in terra promissa; & tunc eleëmosynæ petebantur ad tabernaculi sumptus. Et per hoc festum dicit D.Thom.significari congregationem fidelium in regno cælorum; & ideò hoc festum dicebatur sanctissimum, quod nos hodiè celebramus. In memoriam enim reuocamus quietam possessionem cælestis gloriæ Sanctis datam.In hac verò die eleëmosynæ nobis petendæ sunt à Sanctis pro tabernaculo Dei.Omnes egeni sumus:quis enim non eget? Quibus eges tu?ais,puritate,patientia,fortitudine,oratione.&c. Hodiè pete omnium remedium.Ingredere ergò Virginum purissimarum vicum,vbi inuenies Catharinam, Agnetem,Luciam,Agatham,Vrsulam; quæ cum sexu mundum etiam vicerunt: pete ab eis Angelicam illam

puri-

puritatem, animique cõstantiam. Transi in illustrium Confessorum ordinem, vbi inuenies grauissimos viros, Ecclesiæ doctores, Prælatos; pete ab eis mirabilem illam cælestemque vitam, omnibus ornatam virtutibus. Transi inde in martyrum triumphantem exercitum, vbi inuenies Stephanum, Laurentium, &c. quorum mira fortitudo etiam Angelis fuit admirationi; pete ab eis animi constantiam in aduersis. Transi tandem in Apostolorum ordinem, qui patres nostri extitêre, principesq; Ecclesiæ: pete fidem maximam, charitatem eximiam, quâ illi præditi fuêre: pete etiam ab his paupertatem spiritus, mãsuetudinem, in persecutione constantiam, esuriem iustitiæ. Pete etiã ab Angelis tutelã. Sed cum ad beatam Virginem peruentum fuerit, omnia sunt ab ea petenda, quæ vniuersalis & omnium est interpellatrix; mater est, à qua omnia petere possis. Maximè cùm non tibi solùm petas, sed vt tabernaculum Deo dignum in anima tua construas, & feliciter cum sanctis omnibus bellum geras.

Sed interrogas, contra quos nobis gerendum est bellum? Resp. contra inimicos nostros, dæmonem, mundum, & carnem; qui nobis impedimento sunt. Capienda & debellanda est Hierusalem cælestis, quam vi, & armis certaminibusq; expugnare debemus; quamque Sancti iam bello superauerunt. Hinc. Psalm. *Circundate Sion* i. cælestem Hierusalem, Obsidete eam; *& complectimini eam.* i. ab obsidione nullo modo cessetis, donec eam capiatis: *narrate in turribus eius* i. narrate turres eius, ex quibus agnoscetis opulentissimam esse ciuitatem: *Ponite corda vestra in virtute eius.* i. considerate innumera bona, quæ in ea sunt: *distribuite domos eius.* i. cùm in ea plures sint mansiones, eas inter vos distribuite. *Psal. 47.*

Exploratores exercitus.

Sed iam omnes in bellum accingamur oportet. Verùm antequam ineamus hanc pugnam, oportet mitti exploratores fidos, qui vniuersam ciuitatem explorent, nobisque renuntient eius diuitias. Sic quondam misit Moyses, qui terram promissam explorarent. Horum primus Isa. qui illam cælestem Sion contemplatus ait. *Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ: Oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum,* quod

Allegoricum simile. *Num. 13. Isaiæ. 33. Ciuitatis status.*

quod nequaquam transferri poterit. &c. Audi explorato-
Thob.15. rem alium Thobiam. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis*
Apoc.21. *mei ad videndam claritatem Hierusalem.* &c. Audi & ter-
Apoc.2.3. tium, Euangelistam Ioannem, qui omnium melius
Hierusalem explorauit. *Vidi,* inquit, *ciuitatem sanctam*
Hierusalem nouam, & cæt. Et qui vicerit, poßidebit hæc. Erat
structura muri eius ex lapide Iaspide. &c. Si nunc diceretur
ciuitas apparuisse, quæ tota aurum est, qua auiditate ad
eius expugnationem accederes? Verè qui illam consi-
Psalm.83. derat, diceret cum Psal. *Quam dilecta tabernacula tua Domi-*
& 121. *ne virtutum; concupiscit & deficit anima mea in atria Domi-*
Scriba exer- *ni.* Scriba huius exercitus, idem Ioannes est, qui nume-
citus. rum militum descriptum habet *signatorum* 144 *milia ex*
Apoc.7. *omni tribu filiorum Israel: post hæc verò vidit turbam magnā,*
Signum ex- *quā dinumerare nemo poterat.* &c. Sed quo signo sancti si-
ercitus. gnati sunt, vt se inuicē agnoscant? Signū habent Chri-
Apoc. 14. sti crucem *in frontibus eorum,* vt verum signum Tau. Sed
Dux exer- quis dux huius exercitus? Planè Christus Dominus. Sic
citus. Mich. *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Et
Mich. 5. Isa. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem, & Præceptorem*
Isaiæ 55. *gentibus.* Videamus milites, ex quibus alij equites, alij
Ordo exer- pedites sunt. Equites meritò virgines dicuntur, qui su-
citus. per carnem suam semper stetere. Harum dux est Maria,
Equites. de qua dicitur: *Adducentur regi virgines post eam,* scil. Ma-
Psal. 44. riam. Reliqui fideles pedestres sunt. Quorum in castris
Pedites. hic ordo. Primi in ordine sunt Patriarchę: Hos sequun-
tur Prophetæ: Statim sequitur Apostolorum chorus.
Post hos venit Martyrum exercitus. Sequitur conti-
Consiliarij nuò Confessorum turma. Sed quia in castris præcipuè
exercitus. necessarium est aliquos esse à consilijs, Doctores Ec-
clesiæ à consilijs sunt in hoc exercitu. Sed & tubis opus
Isaiæ 58. est. Hæ sunt Prædicatores, quibus dicitur: *Clama, ne ces-*
Numer. 10. *ses; quasi tuba exalta vocem tuam.* Duæ sunt, quia geminā
Allegoria. charitatem, vel fidem & opera significant. Argenteæ
Psalm. 11. sunt, quia *eloquia Domini eloquia casta, argentum igne exa-*
minatum, prædicant.

Ecce vniuersum exercitum Sanctorum, confla-
Via exerci- tum ex *omni gente, & tribu, & lingua, & populo, &*
tus. *natione.* Nihil profectò desideratur, vt exercitus sit
validus. Sed qua via pergunt, & vnde discedunt? Vti-
Psalm. 83. que ab hoc mundo nequam; & *ibunt de virtute in vir-*
tutem.

tutem. Ecce iam propè ciuitatem sunt, oportet modò eam expugnare.

Sed quomodo nobis pugnandum? Id nobis ostenditur hodierno Euangelio, qui est liber veritatis, vitæ, *Pugnæ modus.* & viæ, dicens nobis: *Hæc est via ambulate in ea.* Videamus *Isaiæ 2.* iam eius verba. Docturus pugnandi modum.

Ascendit in montem. De hoc Isai. *Venite, ascendamus ad* *Isaiæ 2.* *montem Domini; & docebit nos vias suas.* Quot Virgines, Martyres, Confessores ad hunc accessere montem, vt *Chrysost. in* Christum audirent docentem vias suas? Rectè verò *Psalm. 44.* ait, *docebit vias suas*; quia verè docet, quæ opere compleuit. Dicit, *Beati pauperes*: ille pro nobis factus est pauper. Dicit, *Beati mites*: & ille ait; *Discite à me, quia mitis* *Matth. 11.* *sum & humilis corde.* Si *beati misericordes*, ille verè misericors Samaritanus. Si *beati pacifici*; ille est *pax nostra*. Si *beati mundo corde*, ille speculum sine macula. Si *beati, qui* *Chrys. hom.* *persecutionem patiuntur*, ille multa passus. 2. *Ascen-* *9. oper. im-* dit quoque *in montem*, vt impleret illud Isa. *Super* *perfect. in* *montem excelsum sta tu, qui euangelizas Sion.* Moyses *Matth. 5.* legem recepturus montem ascendit, sed laturus de- *Isaiæ 40.* scendit. Sed CHRISTVS in monte legem dat; *Augu. lib. 1.* quia lex eius perfecta est, dans gratiam, qua eam possis *de ser. Dom.* implere. Recepturus Deus Christi sanguinem, propter *in monte.* illum olim aliquid gratiæ dedit, sed integram gratiam iam dat accepto sanguine. Vnde nulla relinquitur excusatio legem non implenti. Si tibi præcipitur, vt castus sis, vt patienter mala toleres, &c. difficilia tibi videntur, & sunt quidem, sed Dei gratia facilia tibi reddentur. Ne *Exod. 3.* timeas ergò: *Ego ero tecum, dicit Dominus.*

Et cùm sedisset. Sedet, vt ostendat hanc legem per- *Cur sedeat.* petuam fore. Sedere enim æternitatis est. Ideò Christus 1. sedere dicitur *ad dexteram patris*: & Ephes. 2. sancti cum *Greg. hom. 2.* Deo sedere dicuntur. Deus Moysi, tabulas frangenti di- *in Ezech.* gito Dei scriptas, non irascitur: sed quas ipsemet Moy- *Cypr. serm.* ses fecit, Dei præcepto non franguntur; quia lex prima *de Spirit S.* à Deo solùm data erat, vt finē acceptura in multis; sed *Exod. 31.* quam Deus homo inscriberet, perpetua futura erat. Se- *32. 34.* det etiam, vt ostendat quietem & pacem, quam hęc lex 2. in corde recepta efficit. *Pax multa diligentibus legem tuam.* *Psalm. 118.* Sedet 3. vt ostendat debere quiescere passiones, vt hæc 3. lex audiatur, & recipiatur.

Et ape-

Et aperiens os suum, quia magna sunt, quæ sequuntur. Aperto enim Christi ore patent thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, in eo reconditi. Simul ostendit, quàm libenter loquitur. Solent enim, qui grauatè loquuntur, vix os aperire; qui verò amanter loquitur, aperit os spõ-

Hebr.1. taneè & libenter. Ante *multifariam multisque modis olim*

Augu. lib.3. de Trin. cap. vltim. *loquens Deus patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in filio*, qui aperiens os suum immensæ sapientiæ fontem effudit, qui corde latebat. En iam impletum illud:

Psal. 77. *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitu-*

Deut.12. *tione mundi*. Videntes ergò Christum os aperire, atten-

Ponam verba mea in ore tuo. &c. damus quasi discipuli diuinam sapientiam loquentem. Si enim Moyses videns populi idololatriam & vitia tabulas legis fregit, indignum iudicans ebrium

Allegorica similitudo. populum tali lege: attende ne tu peccatis tuis indignũ te reddas hac diuina doctrina. Quid enim auaritia tua nisi idolorum cultus? quid delectatio turpis, nisi ido-

Basil. hom.1. de laudibus ieiunij. lum inhonesti? &c. Audi igitur verba Christi. Si enim dicto regis inobediens punitur, etiam si per nuntium ei mandetur; quomodo punietur, qui inobediens est i-

A simili. psi regi per se præcipienti, & ad bellum dirigenti? Audi iam modum pugnæ.

Pugnæ modus. *Beati pauperes spiritu.* Non dicit, beatos pauperes, sed spiritu pauperes, id est, qui voluntate & e-

I. *Paupertas.* lectione pauperes sunt, propter Deum omnia terrena vilipendentes. Sunt multi exterius pauperes, interius diuites desiderio: sic contra multi exterius di-

Iob. 31. uites, interius *pauperes spiritu*. Talis erat Iob; qui ait:

Eccli. 31. *Si putaui aurum robur meum*. Talis regina Esther, quæ ait:

Esther 14. *nunquam lætata est ancilla tua nisi in te Domine.* &c.

Prou.13. Sed quid ad pugnam ineundam paupertas prodest? Multum omninò: qui enim pugnaturus est, omnia ex-

Matt.19. uat oportet, quæ ei impedimento esse possunt. Ideò Petrus rete reliquit. Cùm enim luctandum nobis sit, à terra recedere necesse est. Luctandum nobis est cum

Greg hom. 32. in Matt. 16. diabolo, qui nudus est: nudemur igitur & nos. Nam si cum nudo luctetur vestitus, citius succumbit; quia habet, vnde teneatur. *Beati* ergò *pauperes*. Sed quia difficile est multas possidere diuitias, nec cor eis apponere, ideò plurimi non affectu, solùm sed effectu diuitias reli-

que;

querunt; qui omninò apparent spiritu pauperes, dum re ipsa paupertatem sunt professi.

Sed dubitas, quid grande ego acquiro in hac rerum omnium abdicatione? 1. gaudium maximum, & à miserijs ac curis cor abstractum. Quare & multi Philosophi voluntariè pauperes sunt effecti, vt Socrates, Diogenes, Crates. *Diuitiæ enim spinæ sunt* verbum diuinum suffocantes; & *radix omnium malorum cupiditas*. Vt ergò ab his omnibus difficultatibus libereris, optimum consilium est, cuncta relinquere. Hinc Sap. *Beatus vir, qui post aurum non abijt* &c. 2. verò, si te euacuas terrenis, eò magis cælestibus impleris. Hanc viam Christus suo exemplo nos docuit. *Beati ergò hi pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, primò in hoc mundo: quia *regnum Dei non est esca, aut potus; sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto*. Hoc regnum pauperi conceditur. Eius est 2. etiam regnum cælorum, id est, beatitudo in cœlo.

Vtilitas paupertatis. *Hieron. in Matth. 19. lib. 2. aduers. Iouinian. Epist. 26. ad Pam.* *Luc. 8.* *1. Tim 6.* *Diog. Laert. lib. 6. de vita Philosop.* *Eccli. 31.* *Rom. 14.*

Augustinus & Chrysostomus dicunt, *Pauperes spiritu* rectè humiles dicuntur, quasi non habentes inflantem spiritum. Et hi etiam alia ratione eisdem verbis significantur: *Beati pauperes spiritu*, id est, quos spiritus facit pauperes, ostendens eis, nihil eos esse, nec aliquid boni ex se habere: qui ideò securi sunt, quia Deus est firmamentum eorum. Superbi verò sunt, qui aliqua sua bona intuentes sibi videntur sufficere. Hanc verò humilitatis viam ostendere venit Christus in mūdum, quæ prius erat ignota. Beati ergò humiles.

2. Cor. 6. *Aug. lib. 1. de ser. Dom. in monte* *Chrys. hom. 15. in Matt. 5.* *Hieron. in Matth. 5.*

Secundum maximè necessarium militi est Mansuetudo. *Beati* igitur *mites*. Mansuetudo facit omnia mala æquo animo tolerare: procedit hæc ab humilitate & patientia. Est verò maximè necessaria militanti. Sicut enim bellum spirituale impeditur multis diuitijs, quasi impedimentis belli: ita in bello multa sunt incommoda, quæ sine mansuetudine tolerari nequeunt. Vnde Paul. *Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes*. Huius virtutis exemplar se nobis Christus ostendit. An non mitis, *qui coram tundente se obmutuit? qui cùm malediceretur, non maledicebat*? Nec tamen gubernator propter mansuetudinem, qua maximè indiget, relinquere debet iustitiam. Etenim Moyses mansuetissimus occidit idololatras. Et Agnus mansuetus Christus

2. Modus Mansuetudo Simile. *Cæsar. lib. 2. de bello Gallico.* *Tit. Liuius lib. 3. de bello Carthaginens.* *2. Tim 2.* *Isaiæ 53.*

1.Pet. 2. stus fecit flagellum ex funiculis. Multa ergò mansuetudine dissimulanda sunt; sed cùm videris graue
Num. 12. peccatum, sume flagellum. Mansuetudinis verò præ-
Ioan. 2. mium est; *Ipsi poßidebunt terram*. Triplex est terra; quam
Greg. 3. part. gerimus, quam terimus, quam quærimus. 1. conceditur
past. cap. 17. terra ista, quam terimus: quia *sedes superborum ducum de-*
1. Petr. 2. *struxit Deus, & sedere fecit mites pro eis*. Sic Ioseph man-
Eccli. 10. suetus terræ Aegypti factus est Dominus. 2. terram
1. Reg. 24. possidet mansuetus, quam gerimus, qui *vincit in bono*
Hilar. can. *malum*. vel quòd homines possideat, qui omnes man-
4. in Mat 5. suetis se tradunt: sicut Saul se Dauidi mitissimo: vel
Psal. 26. quòd se & cor suum possideat; quæ profectò maxima
Psalm. 141. est possessio. 3. terram quoque viuorum possidendam
& Chrys. accipit mitis. Quia enim mitis se omnibus calcandum
ibid. præbet, datur ei cælum calcandum.

Beati, qui lugent. Pulchra arma atq; fortissima lachry-
3. Modus. mæ sunt pænitentis, vt vim inferamus cælorum regno. Sed noua profectò doctrina, & mundo inaudita;
4. Luctus. *beati pauperes*, non diuites; *beati mites*, non vindictam ex-
Soto in Mat. ercentes; *beati lugentes*, non ridentes. Nec verò alius,
21. quàm Christus, hæc dicens crederetur. Duo autem sunt genera lachrymarum & tristitiæ, vt Paul. explicat.
2. Cor. 7. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pænitentiam in salutem sta-*
Tristitia *bilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur*. Seculi
duplex. tristitia est, quæ ortum habet ex amissione eorum, quæ inordinatè dileximus Hæc tristitia mortem operatur, tum corporis, cui nocet, tum animæ. Alia verò tristitia fundamentum habens altissimum in Deo & bonis æternis, & hæc est beata tristitia; quæ etiam in maximum
Luc. 19. cadit animum. Hac tristitia super Ierusalem, & Laza-
Ioan. 11. rum, & in cruce Christus plorauit.
Hebr. 2. 4. Triplices verò huiusmodi lachrymæ sunt: quæ-
Triplices lachrymæ. dam enim propter peccata funduntur. Hæ fuerunt lachrymæ Magdalenæ & Petri immensæ. ô si nosses
1. peccator, quantum sit malum sine Deo esse, quomodo lachrymis te rigares? Hæ lachrymæ sunt secundùm a-
Ioan 9. nimæ baptisterium. Hæ natatoria Siloe, hæ aquæ Ior-
4. Reg. 5. danis, vbi leprosi mundantur. Verè tanta lachrymis illis mixta est consolatio, vt dulces sint. *Beati qui sic lugēt*.
2. Aliæ verò sunt lachrymæ cōpassionis, cùm Christum pro te consideras vulneratum, vel cùm proximū vides

afflictum. Aliæ verò sunt lachrymæ dulcedinis & a-
moris, similes illis, quas sponsa propter sui sponsi ab-
sentiam fundit. Cùm enim anima considerat despon- 3.
satam se Christo, quem absentem tamdiu videt, lachry- Simile.
mis saturari non potest; sed dicit: *Super flumina Babylo-* *Psalm.* 136.
nis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Sic- Simile.
ut captiuus patriæ recordatur & flet, cogitatque, quan-
do in patriam sit reuocandus: sic anima, quæ se capti-
uam agnoscit, & in exilio positam, quomodo non la-
chrymabitur suspiciens Sion? Sed *beati, qui sic lugent*: e-
tenim hic consolantur diuina consolatione, sed in cœ-
lo illos summa manet consolatio, quando implebitur
illud: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sancto-* *Apoc.* 21.
rum.

Vidimus iam gradus aliquos ex his, quos nobis Chri-
stus in Euangelio proponit, quibus ascendimus in cæ-
lum, qui difficiles apparent, præcipuè carni. Sed quia
quod maximam spem obtinendi petita Sanctis tribuit,
est pro Christo passos multa esse, restat vt de vltima
beatitudine pauca adhuc dicamus. *Beati, qui persecutio-*
nem patiuntur. Vltimus hic gradus est huius scalæ, & dif-
ficilior. Hæc verò perfectio est Christiani; nec te putare
debes perfectum, donec hunc conscenderis gradum. *Ioan.* 12.
Christianus Christi triticum est, quod seminatur hu- *Grego. lib.*
militate & spiritus paupertate; radicatum est mansue- 23. *Moral.*
tudine in terra putrefactum; lachrymis rigatum est; mi- *cap.* 18. *in*
sericordia creuit spicam misit; fame & siti iustitiæ ven- *Iob.* 33.
tilatum est in area, & purgatum cordis munditia; pace *D. Ignat. ep.*
in diei horrea repositum, nunc molatur oportet, & in 12. *ad Rom.*
camino reponatur, vt panis Deo efficiatur. Sed addit
Christus, *Propter iustitiam.* Non enim sola passio, sed *Augu. epist.*
causa iustitiæ beatum reddit. Multi enim vt lucra re- 61. & 161.
portent, vt vindictam exerceant, vt cupitis fruantur, pa- *lib.* 1. *contr.*
tiuntur, quorum infames sunt passiones & gressus. *epist. Parm.*
Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustineat *cap.* 7. & *in*
quis iniurias & tristitias, patiens iniustè; in hoc enim vo- *Psalm.* 32.
cati estis. q. d. hoc est esse Christianum. Et hoc est si- 1. *Pet.* 4.
gnum diuinæ clementiæ & electionis pro Christo 1. *Pet.* 2.
pati.

Sed quia naturæ difficile est pati, & difficilis hic
ascensus est, cùm per octo gradus nobis ascendendum

3. Reg 10. *Fecit Salomon fulcra domus Domini de lignis thyinis. &c.*

sit (summa enim distantia à terra in cælum est) proponens octo gradus, octo beatitudines, quibus in cælum ascendas, proponit simul totidem fulcra, quibus sustenteris, vt facilè ascendas; & cuique gradui fulcrum apponit. Si paupertas difficilis gradus est, fulcrum ei apponitur, *ipsorum est enim regnum cælorum.* Si mansuetudo difficilis est, attende fulcrum appositum, *mites poßidebunt terram.* & sic in reliquis.

Gene. 28.

Deinde vt facilior hic ascensus sit, Angeli in hac scala sunt, vt in scala Iacob, vt nos iuuent ascendentes; eorum implora auxilium, & tibi aderunt. Et in summitate Deus est, quem consequeris, si viriliter ascenderis.

Sed & rationibus munienda est natura, vt libenter
1. persecutiones amplectatur. 1. est memoria culparum nostrarum. Vnde Gregor. *Tunc illata conuitia benè toleramus, cùm in secreto mentis ad malè perpetrata recurrimus.*
2. 2. est Sanctorum exemplum. Veneramur omnes Sanctos, quia sustinuerunt multa: discamus etiam nos aliqua sustinere; sed maximè intueri Christi exemplum;
3. quod efficacissimè mouet. 3 summum præmium regni cælestis. Quis labor non vertetur in gaudium, si attendatur hanc esse in cælum viam? Promissio ergò regni cælestis consolatio est in omni humiliatione. de quo in Euangelio dicit Dominis. *Gaudete & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælis.*

Merces sanctorum. Ephes. 1.

Maximè autem necessaria est Christiano huius mercedis cognitio: *vt sciatis*, inquit Paul. *quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis.* Hęc merces est Deus, & illius beatitudo. Vide, an placeat tibi infinitum bonum æternaliter possidendum; quod Deus est? Homo omnis boni cupidissimus est: si ergò audiat, Potes acquirere infinitum thesaurum; quàm facile terrena contemnet, qui huius tantæ promissionis magnitudinem contemplatur? Sed qualis beatitudo nostra est? Certè diuersæ fuerunt Philosophorum de hac re sententiæ; sed Christiana Philosophia, quæ infinitè alias excellit, ponit beatitudinem in visione diuinæ essentiæ, & eius fruitione, quod infinitum est bonum.

Augu. li. 19. de Ciuit. Dei ca. 1. ponit 288. opiniones de Beatitudine.

Vt tanti boni magnitudinem aliquo modo asse-

quà-

quamur, aduerte. Omnis dilectio fundatur in vnione *Magnitudo*
& apprehensione alicuius boni; & quãto maius est bo- *beatitudinis.*
num, & vnio maior, eo delectatio excellentior causa- *Rationes in-*
tur. Ex quo patet visionem Dei & delectationem inde *trinsecæ.*
prouenientem, esse omne bonum. Quid enim est vi- 1.
dere Deum? est quasi esse Deum: cum Deus non so- 2.
lùm sit obiectum, sed & species, qua ipse cognoscitur. *1. Ioan. 3.*
Hinc Ioan. *Verè similes ei erimus; quia videbimus eum,* *Chrys. hom.*
sicuti est. 2. vt beatus summo perfunderetur gaudio, *33. in Genes.*
charitas animæ bonum alterius meum facit, efficitque, *Hom. 7. in*
vt de eo læter, sicut de proprio bono. Maximum chari- *Act. 2.*
tatis lucrum. Ego non possum videre Deum & eo frui, *Hom. 10. in*
nisi vt vnus: charitas facit, vt eo fruar, quasi ego solus *1. Cor. 4.*
essem omnis homo; quia bonum alterius meum fa- *Hom. 14. in*
cit. In cælo vnum cor, anima vna omnes sibi inui- *1. Tim. 5. &*
cem bona communicant: ibi verè non est MEVM *Serm. de*
& TVVM. Nec verò per ea tollitur diuersitas graduum *laud. Mo-*
gloriæ; quia quilibet his omnibus gaudet secundùm *nach. tom. 5.*
mensuram charitatis; quæ diuersa est in diuersis; vnde *1. Cor. 15.*
& diuersa gloria. *Sicut stella*

Sed rationes aliquas perpendamus, quæ ab extrin- *differt à*
seco ostendant gloriæ immensam magnitudinem. id *stella in cla-*
est, immensa bonitas diuina, quam in glorificatione *ritate, sic e-*
Sanctorum effundere vult. Potuit Deus infinitos con- *rit & resur-*
dere mundos, & se infinitis modis communicare; sed *rectio mor-*
omnia in hoc vnum collegit, vt hanc gentem conde- *tuorum.*
ret, & exaltaret. Hoc ergò opus est finis operum Dei, *Rationes*
quo ostendit, quis ille sit. Et locus præmij id osten- *extrinsecæ.*
dit, quod cælum est. 2. est, quia Iudex, qui nobis præ- 1.
mium daturus est, ipse est, qui sanguinem & vitam de- 2.
dit, vt illud nobis acquireret. Quòd maxima bona dare *Aug. li. 1. de*
possit, manifestum est; quia omnipotens est: de volun- *doct. Christ.*
tate quis dubitet, dum vitam dedit, vt nobis magna da- *ca 15. serm.*
rentur? Si *cùm adhuc inimici essemus, reconciliauit nos* *29. de temp.*
sanguine suo, amicis quæ non dabit? Bona verò, quæ no- *serm. 1. de*
bis daturus est, talia sunt, quæ impleant eius amorem, *Epiphan.*
& æquent desiderium boni nostri. Dicit ergò ei Pater, *Rom. 5.*
vt Pharao Iosepho, *Hi fratres tui sunt, Terra Aegypti in* *Gene. 47.*
conspectu tuo est; Dominus gloriæ es, da eis sedes, prout libuerit. Typus.
Si ergò res hæc in manibus Christi est, sine dubio *1. Cor. 2.*
magna bona sanctos exspectant; cùm ab illis ea spe-

rent manibus,quæ pro eis cruci affixæ ſunt. ô diuitiæ omninò inæſtimabiles. 3. quòd multa à ſuis petat, vt
3. eis iſta donet. Petit captiuitatem intellectus, voluntatis amorem,& quòd parati ſint vitam millies profundere Dei cauſa. &cæt. Quæ omnia licèt reſpectu Dei nihil ſint,tamen noſtra infirmitate conſiderata opera ſunt præclara. Si ergò nos ille adeò liberales ac magnificos eſſe vult ſecum,quantus ille nobiſcum erit?4.ex eo
4. etiam magnitudo gloriæ colli poteſt, quòd non tam opera noſtra in ſe præmio afficiantur, ac merita Chriſti nobis applicata per bona noſtra opera. Cùm ergò Chriſti merita infinita ſint,etiam in quolibet opere;& paucos eligat,in quos bonitatis ſuæ theſauros effundat,colligaturque in his, quod in multos erat diffundendum, ſine dubio maximo Sancti præmio ſunt afficiendi. Et hoc eſt illud
Luc. 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Menſura debita erat; ſed *conferta & ſupereffluens* ex liberalitate datur. Vnde ſatiat omninò, nec vnquam faſtidium generat: quia quod datur,ſuperat deſiderium, ideoque implet deſiderium: temporale verò, quia minus eſt deſiderio,illud implere non poteſt 5. demùm
5. illud oſtendit quanta ſint gloria donandi Sancti, quòd membra futuri ſunt illius magni capitis Chriſti. Quantum verò ornandum ſit membrum, vt tanto congruat
Psalm. 35. capiti, quis enarret? *Certè torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sed quomodo ego torrentem bibere poſſum? poteris quidem, Deo dilatante os tuum,& cor tuum. Ex quibus ſequitur, omnibus neruis intendendum, vt hanc gloriam conſequamur, & vniuerſa noſtra opera
1.Cor.15. in hunc finem dirigenda. Ibi erit *Deus omnia in omnibus,*
Exod. 33. qui ait, *oſtendam tibi omne bonum*: vbi anima ſimul cum corpore omni bono fruetur.

Sed ô feliciſſimi, terque quaterque beati Conuiuæ,
Heſt. 1. qui admiſſi eſtis ad maximum Aſſueri conuiuium, vbi
Luc. 16. omnibus bonis fruimini, micas ſaltem è menſa adeò opulenta ad nos pauperes mittite. O felices animæ ad-
Heſt. 1. miſſæ iam in magni Sponſi illius ſponſas, recordamini terræ huius, vbi ornatæ fuiſtis, vt eius oculis place-
Ruth. 2. retis. O felices meſſores magni Booz, qui hic in lachrymis

mis seminâstis, nunc verò cùm exultatione metitis, ex Psalm. 125.
industria spicas aliquas mittite, quas pauper Ruth colligat. O felices exploratores terræ illius sanctæ promissæ, in quorum manibus iam botrus est, & omnis illius fructus, animos erigite nostros, vt qui iam per fidem venimus, non deficiamus in via. O columbæ sanctæ sedentes iam in ligno vitæ respicite fluenta mundi, decurrentesque aquas nostræ miseriæ. O grex ouium sanctarum, quæ pascimini in montibus Israel, in pascuis vberrimis, compatimini ouibus, quæ errant in conuallibus inter leones & feras. Et tu ô sapientissime Salomon, qui plusquàm Salomon, qui nosti ligna, ex quibus hæc cælestis Hierusalem ædificatur, da nobis oleum & panem, vt viam agere possimus cum Elia vsque ad montem Dei Oreb, in quo Deum facie ad videamus. &c.

Num. 13.
Cant. 5.
Cant. 4.
3. Reg. 5.
Matth. 11.
3. Reg. 19.
Psalm. 41.

IN COMMEMORATIONE omnium fidelium Defunctorum.

THEMA: *Sancta ergò & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. Mach. 12.

HOC ipsum quod tunc Iudas Machabæus præstitit (vt verba thematis habent, quæ spiritu sancto suggerente pro conclusione colligit author libri Machabæorum) Ecclesia nunc pro fidelibus defunctis præstat, offerens sacrificia & dona pro peccatis mortuorum. Hoc vero sanctum & salubre est, vt ostendemus: quia defunctis hæc memoria necessaria est, & nobis proficua & salutaris.

Notandum igitur est, remissa culpa per pœnitentiam, sæpe manere reatū ad aliquam pœnā temporalem. Hoc verò manifestè colligitur ex eo, quod Dauidi accidit; cui remissa culpa mors filij relinquitur in pœnam.

D Thom. 3. p. q. 86. art. 4.
2. Reg 12.

Num. 20. nam. Moysi etiam remissa est culpa dubitationis ad aquas contradictionis, sed pœnam subit, dum non ingreditur terram promissam. Simile quid Absaloni
2. Reg. 14. accidit, cui remissa fuit culpa homicidij à Dauide, sed per biennium regis faciem non vidit: quod figura est, quod cum animabus iustis fit, quibus remissa culpa est, sed in purgatorio detinentur, ne faciem Dei videant. Et ratio est; quia in peccato duplex est malum, auersio ab incommutabili bono, & conuersio inordinata ad commutabile bonum. Ex parte auersionis consequitur ad peccatum pœna infinita; vt qui contra bonum æternum peccauit, in æternum puniatur. Ex parte conuersionis inordinatæ, sequitur etiam reatus alicuius pœnæ. Vnde in Apocal. *Quantum glorificauit se,*
Apoc. 18. *& in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quia tamen hæc conuersio est finita, ex hoc non debetur ei æterna pœna; vt patet in peccato veniali: vbi est inordinata conuersio ad bonum commutabile; quia tamen est sine auersione à Deo, debetur ei finita pœna. Cùm ergo homo remissa mortali culpa gratiam recipit, tollitur auersio à Deo; quia anima Deum conuertitur; & sic per consequens tollitur infinita pœna. Potest tamen remanere reatus pœnæ temporalis propter conuersionem ad commutabile bonum, quando conuersio non eo dolore fit, vt huic inordinationi satisfaciat. Hæc verò pœna in purgatorio soluitur. Vbi etiam pœna venialium tollitur, quæ in mundo hoc soluta non est. Et si ipsi animæ optio daretur, vt ante Deum & curiam vniuersam apparere vellet cum minima macula, vel igne purgatorij plus mundari; præeligeret igne hoc ardere, quàm cum macula Dei oculis apparere.

Vt ergò vniuersæ maculæ tollantur, quæ post pœnitentiam manent in anima, iniungitur à Confessario pœnitentiæ satisfactio, & indulgentiæ à Summo Pontifice & Prælatis Ecclesiæ: & tandem relinquitur Purgatorium, in quo omnis in hac vita relicta macula in anima purgatur, & tollitur. Hanc doctrinam insigni loco D. Paulus docet, dum ait: *Fundamentum aliud*
1. Corint. 3. *nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS. Si quis autem superædificat su-*

gat su-

cat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos; ligna, fænum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies autem Domini declarabit; quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit. quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sex ponit D. Paulus, contra se diuisa; ex vna parte *aurum, argentum, lapides pretiosos*, quæ habent quandam inclytam claritatem, pretiositatem, & inconsumptibilitatem; ex altera parte alia tria, *lignum, fænum, & stipulam*, quæ sunt obscura, vilia, & consumptibilia. Vnde per tria priora intelligitur aliquid præclarum, pretiosum, & stabile: per posteriora aliquid temporale, vile, & transitorium. Cùm autem illa *superædificari* dicantur *super* Christum *fundamentum*, oportet hæc intelligi in eo, in quo Christus habitat per fidem formatam, id est, charitate operantem. Opera igitur, quibus homo intendit rebus spiritualibus & diuinis, comparantur *auro, argento, & lapidi pretioso*, quæ sunt solida, clara, & pretiosa. *Per aurum* intelliguntur ea opera, quibus homo intendit in ipsum Deum per amorem. *Per argentum* significantur actus charitatis cum proximis. *Per lapides pretiosos* intelliguntur opera aliarum virtutum, quibus anima ornatur. Nunc ergò *superædificare aurum, argentum, & lapides pretiosos*, est superædificare opera dilectionis Dei, & proximi, & aliarum virtutum. *Superædificare* verò *lignum, fænum, stipulam*, est intendere operibus humanis; primò constituendo in eis finem; & tunc non ædificat super Christum. 2. ea omninò in Dei gloriam referendo; & tunc non sunt *lignum, fænum, stipula*, sed *aurum, argentum, & lapides pretiosi*. 3. cùm his rebus afficitur, plus quàm oportet; & retardatur per hæc ab eis, quæ Dei sunt: quod est peccare venialiter. & hoc propriè est *superædificare ligna, fænum, stipulam*; non quia ipsa superædificentur propriè loquendo, sed quia opera ad temporalium curam pertinentia habent venialia adiuncta, propter nimium affectum ad ipsa. Quæ quidem affectio secundum quod magis vel minus inhæret, comparatur vel *ligno*, vel *fæno*, vel *stipulæ*, quorum vnum est altero solidius.

D. Thom. in 1. Cor. 3.

Margin: 1. 2. 3.

Addit Paul. *Vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit*. Nunc occultum est, quid superædificet quis: multi enim videntur *superædificare aurum, qui superædificant ligna*; quia intendunt temporalibus, licèt spiritualia administrant: Alij contrà videntur *ligna ædificare*, quia intendunt temporalibus; qui tamen *aurum ædificant* propter optimam intentionem. *Declarabit* hæc omnia *dies Domini*, id est, dies mortis, in qua iudicium particulare fit; & dies iudicij, in qua vniuersale. *Ignis* verò, probans opera, ignis est purgatorij, de quo Iob.

Iob. 25. *Probauit me quasi aurum, quod trãsit ignem Si cuius opus manserit*, quando ignis purgatorij nihil inuenit, quod consumat, *erit merces operi tuo Si cuius opus arserit*, quia *lignum est, aut fœnũ, aut stipula*, ipse saluabitur, sed *per ignem purgatorij* transibit.

De grauitate pœnæ in purgatorio. Sed huius purgatorij pœna quanta sit, nullis verbis pro dignitate explicari potest. Ideò verò durissima est, quia non voluntate, sed necessitate eam subit iustus.

1. Primò autem grauissima pœna illa est propter carentiam diuinæ visionis: priuatur enim anima infinito bono per illud tempus. Summo verò dolore anima afficitur hac pœna; quoniam summo impetu in Deum ferebatur egressa à corpore: non eo impetu mons magnus è cælo caderet, quo anima in cælum ducitur (quia Deus illius centrum est naturale, & eam impellit gratia & charitas) cùm obijcitur ei in media via purgatorium: confringitur enim dolore vehementissimo. Eo dolore angebatur Absalon; quia Dauidis faciem non

2. Reg. 14. videbat, vt diceret: *Obsecro, vt videam faciem regis; quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me*: quid non dicat anima iusti, cui interdicta est diuina visio?

2. 2. Purgatorij pœna grauissima est propter ignem animam cruciantem, qui idem est cum igne inferni. Vnde August ait, idem ignis purificat aurum, & paleas comburit; adeò grauis est illa pœna. Dè illius duratione certum est, pro criminum qualitate & pœnæ pro eis debitæ, nec in hac vita solutæ, magis minusve ac diutius animas cruciari. Graues verò historiæ tradunt, diu animas in purgatorio detineri.

Ex his tria nobis colligenda sunt. 1. Animas in purgatorio à nobis iuuandas esse: cùm in extrema sint necessita-

cessitate, & in maxima pœna: quam licèt oculis non cernamus, fide tamen nouimus, quæ certior est visu. Præcipuè verò tenemur testamenta implere, & sacrificia & eleëmosynas pro ijs offerre, quæ pij fideles in testamentis præceperunt fieri. Væ illis, qui substantiam defuncti deuorant, & non compatiuntur super eorum contritione. *Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare*; est enim illis hæc memoria debita. 2. ex superius dictis colligitur, cauendum nobis esse ab omni peccato, etiam veniali Nec minimum reputandum est illud, cuius causa Christus animam sponsam suam priuat sui conspectu, & tanto cruciat igne. 3. colligitur, oportere in hac vita pęnitentiam à nobis agi, & fructus dignos pœnitentia præstari; Iubilæa & Indulgentias magnifieri, vt à purgatorij igne liberemur. Ex duobus malis, quod minùs est, eligi oportet: Si ergò euadere vis crudelissimas Purgatorij pœnas, pœnitentiam age nunc, ieiuna, cilicia indue, & alia pietatis opera præsta. Quòd si hęc difficilia dicis, quomodo sustinebis ignem ardentem, deuorantem? Si optio tibi daretur inter duo hæc, aut per horam in fornace ignis ardere, aut vno die ieiunare; an non hoc eligeres, quia leuius? Scito ergò vno ieiunio, vna castigatione euadere te dies plures purgatorij. quia voluntaria hæc sunt, & ideò magis satisfactoria. *Esto* igitur, inquit Christus, *consentiens aduersario tuo*, qui est sermo scripturæ, ad duriorem nos vitam exhortans; vel est peccatum, quo damnamur; vel conscientia nos accusans; vel virtus, cui resistimus; *dum es cum illo in via*, hic solue vniuersum debitum, quod debes; fœdera ini cum virtute: his enim minori dato pretio persolues: sin minùs, *ne fortè tradat te iudici, & iudex tortori*, in purgatorio. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouißimum quadrantem.*

Concil. Carthaginens 4. cap. 95.

2.

3.

Ambro. in Luc 11. & Matth. 5.

Vidimus sanctam cogitationem esse pro mortuis orare. Videndum restat, quomodo sit nobis salubris, & vtilis. Primò nobis est vtilis hæc memoria defunctorum, & pro illis exhibita opera pia, propter gratitudinem animæ iustæ ad eum, qui eam iuuit, vt à tantis pœnis libera esset. Tantum bonum est Deum videre faciem ad faciem, etiam per instans, vt absque gratia 1.

illud mereri non possent vniuersæ creatur... etiamsi mille annis igne arderent: quid obsecro erit illum videre per annos decem, imo mille? Quòd si magni du-
A minori ad maius. citur, cùm obsequium regi præstatur, quomodo magni ducendum non est, cùm in animam beatam tantum beneficium collatum est, vt Deum possideat? quod mille mundos possidere excedit. Quomodo verò liberata grata tibi non erit? quomodo pro te non o-
2. rabit? 2. expendendum est beneficium, quod animæ præstas, cùm eam à tantis cruciatibus liberas. Si enim captiuum redimens aut liberans summum munus ei præstas, & eum tibi deuincis, vt cùm possit, tibi gratus sit: quomodo multa bona tibi non conferet anima,
3. quam à tam dura seruitute liberasti? 3 tandem vtilis nobis memoria defunctorum est; dum nobis reducit in memoriam, quid de nobis agendum sit. Quid enim
Eccli. 38. aliud nobis defuncti loquuntur, nisi illud Sap. *Memor esto iudicij mei. sic enim erit & tuum: mihi HERI, & tibi HODIE.* Longo interuallo videmur à morte distare, sed certè prope est. Passer in arbore viridi nihil sibi timet mali; quia aucupem non videt: huic persimilis est
Luc. 12. diues ille, qui ait: *Habes anima mea multa bona reposita in annos plurimos, gaude & epulare.* Sed attende aucupem: *Stulte hac nocte repetent à te animam tuam; & quæ parasti,*
1. Thess. 5. *cuius erunt? Dies enim Domini sicut fur in nocte veniet.* Idem
2. Pet. 3. Balthasari regi contigit. Vtilis ergò nobis est hæc me-
Daniel. 5. moria defunctorum, vt ea, quæ mundi sunt, nihili ducamus. Diues es? duc diuitias in diem mortis, & videbis,
Prou. 11. quòd *non proderunt diuitiæ in die vltionis: & cùm interie-*
Psal 48. *rit homo, non sumet omnia; neque descendet cum eo gloria*
Eccli. 7. *eius.* Memorare igitur *nouissima tua, & in æternum non*
Eccli. 41. *peccabis.* Licèt enim *amara sit mortis memoria,* tamen salutaris est, similisque medicamento, cuius amara potio est, sed salutaris infirmo, &c.

IN FE-

IN FESTO S. Martini.

THEMA: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum. &c.*
Luc. 11.

S Martinus vixit anno domini 395. Vitam eius scripsit Sulpit Seuerus, trib. lib. dialog & 3 epi. Paulinus carmine. & Venantius fortunatus. Gregor. Turonens.

Litera Euangelij obscura est, & ideò primùm breuiter explicanda. Dixerat Christus se plus esse Salomone & Iona: nec mirum, cùm illi serui, iste dominus esset. Nunc addit de se, quòd cùm sit *Lucerna mundi*, non debet *in abscondito esse*, sed se manifestare operibus & sermone, vt omnes intrantes Ecclesiam eo illuminentur.

Sed quia de se, qui est communis omnium Lucerna dixerat, hinc sumpta occasione de lucerna speciali, quæ in vnoquoque homine est, loquitur, quæ non semper est Lux, vt prior: & ideò docet, quo pacto non obscuranda sit. Ait ergò, *Lucerna corporis*, ostendens quomodo corporalia sint agenda, *est oculus*: quo claro existente omnia corporis opera clara efficiuntur, tanquam in luce facta: sed si oculus sit lippus, fiunt opera mala & tenebrosa. Quibus verbis significat cœlestis magister, esse in quolibet hominum interiorem oculum, scilicet rationem, quæ est *lucerna* dirigens opera: & cùm hæc est simplex, *corpus est simplex & lucidum*, id est, vniuersa hominis opera sunt clara: *Si verò hic interior oculus*, id est, ratio, *nequam fuerit*, opera praua erunt. Omnis enim malitia operis prouenit ex admixtione extranei, quæ est in ratione: Lumen enim naturale, ratione inditum, in bonum tendit, & in virtutem dirigit; admixtione verò extranei deprauatur.

Vide ergò, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. id est, vide, ne ratio tua obtenebrescat. *Si ergò corpus tuum totum lucidum fuerit*, id est, opera tua clara & bona, *non habens aliquam partem tenebrarum; tunc erit totum lucidum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* id est, cùm opera

tua bona sunt, tunc ratio tua est lucerna illuminans te, & omnia tua clarificans. Vel cùm opera tua sunt lucida à lucerna interiori, id est ratione, tunc *lucerna fulguris* Christus, qui est lucerna communis illuminabit te. Qui verò non recipit doctrinam Christi, lucernæ communis, habet lucernam rationis tenebrosam.

Duplex igitur est hominis lucerna, extrinseca & intrinseca. Extrinseca & communis Christus est: Intrinseca & specialis cuique ratio est. Sicut etiam corporis duplex est lucerna, extrinseca & communis Sol; intrinseca & specialis lumen oculi. Prior igitur *lucer-*
Is. 1.2. *na* Christus est, *super candelabrum*, crucis *positus*, vt sit lu-
Ioan. 1.8.9. lumen ad reuelationem gentium; qui *venit illuminare*
12. *his, qui in tenebris & vmbra mortis sedent.* Et ideò ipse
Matth. 4. se appellat *lucem mundi.* Hanc lucem petebat Psalt. d.
Ioan. 9. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Omne enim, quod*
Psal. 42. *manifestatur, lumen est*, id est, lumine aliquo mani-
Eph. 5. festatur. Erat mundus in tenebris ante Christum; &
D. Thom. ibi. ideò innumeri in eo errores, tum in Dei cognitione, tum in his quæ ad mores pertinent. Venit Christus in mundum *mundi lucerna* factus, & Dei scientiam attulit, æterna manifestauit, temporalia nihil esse ostendit opere & verbo: Ecce lucernam illuminantem. Incertum & varium hominis iudicium est, quod nunc ei placet, posteà displicet; quod nunc ei pretiosum est, posteà vile apparet; non ergò conueniens regula Lesbia esse potest, aut lapis Lydius. Lucerna ergò certa & inuariabilis, quæ obscurari non potest Christus est. Iusti hanc nunc lucem vident, & opera sua eius luce dirigunt: *qui ambulat in luce, non offendit,*
Ioan. 11. quia lucem huius mundi videt. Peccatori verò acci-
1. Reg. 3. dit, quod Heli, vt non videat *nisi extinguatur lucerna domini.* Videbit verò in nocte cùm ablata ab eo lux fuerit, sicut noctua: tunc dicet, *quid nobis profuit superbia? diuitiarum iactantia quid profuit nobis?* In inferno dicet,
Cap. 5. *ergò errauimus, & sol iustitiæ non ortus est nobis.* Tunc videbit, cùm videre nihil proficiet; tunc errorem agnoscet, cum eum corrigere non valebit. Nunc ergò inspice Lucernam Christum, qui illuminat; nunc *cùm dies est*, *cùm operari vales*; ne postea *ligatis mani-*

manibus & pedibus proijciaris in tenebras exteriores. Matth.22.

Deindè Christus lucerna dicitur, quia nocte ambulantibus lucem præbet, vt rectam viam teneant. Qui iter difficilè in nocte agit, lucem quærit, qua dirigat pedes *in viam pacis.* Vita nostra via est. Luc.1. Rectam verò tenere viam, vel ab ea declinare, tanti hominis interest, quantum est vel Deum amittere, vel eum consequi. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Mirum est, quòd insi- Psal. 141. diatorem dæmonem non timemus; cùm viam agens paucas, audieris esse grassatores in via. Curat dæmon, curat mundus te decipere: sed aduersus hæc omnia Christus lucerna factus est, & dux viæ fidelis. Hinc Psalt. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Nihil verò docuit nisi viam in cælum, & Psal 118. ea, quæ ad salutem æternam consequendam apta erant; docuit nos humilitatem, mansuetudinem, misericordiam, charitatem. Christus ergò lucerna nobis est.

Nec ille solùm lucerna est, sed Sancti etiam lucernæ nobis sunt, de quibus pronuntiat Apostolus, *quod luceant in medio nationis prauæ atque peruersæ tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Inter hos verò B. Martinus meritò lucerna Ecclesiæ 1. Pet.2. dicitur, cùm luce sua illam illustrauerit plurimùm. Sed nunc attendamus Martinum Lucernam: audi dicentem. *Si adhuc domine populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* An non lucerna est, qui sic lubet? an non hæc Apostolica illa charitas, qua Paulus *cupit Anathema esse à Christo pro fratribus?* Quin & mediam vestem diuisit, & Deo in paupere tribuit. Rom. 9. Quidam namque vestem à paupere tollunt; quidam nullam vestis partem pauperi dant: quidam integram vestem dant; quidam verò mediam cum Martino; & hi rectè agunt. Pauperi vestem auferunt, de quibus Iacob. *Nónne diuites per potentiam opprimunt vos, & trahunt ad iudicia?* Alij integrum pallium pauperi dederunt, qui feruente charitate vniuersam substantiam paupetibus dabant. Iam verò cùm *refrixit charitas multorum*, necesse est prædicare, ne pauperem spoliemus. Id enim plures faciunt.

Meri-

Meritò ergò Martinus lucerna dicitur ardens & lucens, ideò hodie nobis proponitur in exemplum.

Nunc ad lucernas intrinsecas veniamus. Diximus lucernam & oculum hominis rationem esse: *vide ergò*, ait IESVS, *ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*: quia cùm tenebræ in ratione sunt, plurima in homine mala proueniunt. Sed quibus de causis obscuratur ratio hominis, vt tenebræ dicatur? 1. per ignorantiam: plurima mala oriuntur ex ignorantia diuinæ
1. Cor. 14. legis. ideò Paul. ait: *Ignorans ignorabitur*. Illos verò Deus nescit, qui nescierunt eum. Quòd si autem diuinæ legis ignoratio reprehensibilis semper fuit, nunc tamen maximè, postquam Christus magister noster factus reuelauit nobis secreta cœlestia. Huius verò ignorantiæ mala plurima sunt: ignorans enim liberius peccat, & ad infelicissimum statum deuenit, qui est Dei & bonorum ipsius despectus: sicut contra diuinæ legis sci-
Psal. 118. entia iuuat, vt rectè viuamus. Hinc Psalt. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*. Deinde hæc ignorantia efficit, vt postquam homo in peccata incidit, nesciat vti remedio. quia illud ignorat, nec medicamina exhibet, quia ea nescit. Cauendum ergò maximè, ne ratio nostra ignorantia laboret, tunc enim tenebrosa fit. Passio quoque vehemens rationem obscurat, & in tenebras conuertit. Sicut enim vapores è terra surgentes obscurant diem & solem; ita passiones appetitus rationem, vt rectum appareat, quod turpe
Rom. 1. est. De his Paul. *Obscuratum est insipiens cor eorum. Vi-*
Eph. 4. d. *de ergò ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*, & Deum consule humili oratione. Sicut enim sol nebulam aufert, ita & Deus mentis caliginem, vt oculus tuus sit simplex, & ab eo procedant lucida cuncta. Opera enim bona rationem illuminant, vt lucidior sit; intellectus voluntatem illuminat, & voluntas recta intellectum .1. quia puro & simplici cordi & abundantiorem Deus lucem tribuit: pura siquidem vita efficit hominem Spiritus sancti templum, in quo ille habitans lumine complet. 2. quia intellectus illuminatus mouet voluntatem & illuminat, vt amet Deum; & vicissim voluntas amans mouet intellectum, vt dilectum cogitet, mediteturque; & sic ampliorem recipit lucem.

Docto;

Doctores etiam per simplicem oculum intelligunt intentionis puritatem, qua soli Deo placere desideramus, ex qua prouenit, vt opera nostra recta sint, in quibus præcipuè attenditur intentio finis, à qua bonitatem & speciem actus humani sortiuntur. Quid verò mirum exigit à te Deus, vt eius amore ducaris in operibus tuis, cùm ipse tui amore ductus tanta opera peregerit? Potest homo rectè operari propter gehennæ metum, potest similiter propter gloriæ retributionem: sed in his homini sistendum non est, verùm vlterius procedendum, se suaq; vniuersa in Deum & eius gloriam referens, vt in vltimum suum finem. Sic enim fiet, vt opera nostra maxima mercede sint digna. Licet enim charitas mercenaria non sit, maximam tamen mercedem assequitur.

Sed inquires, quo pacto homo sui amans ad hoc perueniet, vt sui oblitus propter Deum operetur? Si respexerimus Deum omnia sua bona distribuere sine mercede, sine vllo ad ipsum prouenientecommodo: sic quoque hæc nostra ratio, si ab exemplari non aberrat, seruabit; non ad res honestas conducta veniet, pudeat vllum venale esse beneficium: gratuitum habemus Deum, si Deum imitaris, da & ingratis beneficia: nam & sceleratis sol oritur, & piratis patent maria. Tu ergò noli vtilitate duci sed honestate; & si vtilitatem quæris, eam in Dei gloriam quære, & ita simplicem habebis oculum, qui lucerna erit te illuminans. *Seneca.*

Deum hanc tuam lucernam *non sub modio pones, sed super candelabrum. Sub modio* enim lucernam collocat, qui charitatem solis amicis tribuit, qui parcè seminat paruam tribuens eleëmosynam, qui parùm orat. Sed qui cum Martino in populo est exemplum bonorum operum, *lucerna est super candelabrum posita*, vt qui ingrediuntur, lumen videant & *videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis, &c.* *Matth. 5. Luc. 7.*

IN

IN FESTO PRAESENTAtionis B. Mariæ Virginis.

THEMA: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus* Matth.1.

Sic Eliezer Sponsæ Domini sui Isaac, fratribus quoque & matri dona dedit. Gen. 24. Petr. canis. lib 1 de B. Mar. c. 12. Niceph. lib. 1. hist. Eccl. c. 7. Greg. Niss. hom de hum. Christ gener. Euodius Antiochen. Epi. German. Patr. Constantinop. Andr. Cretēs. ser. de dorm. deieb Mariæ. Exod. 38. 1 Reg. 2. Ioseph. lib. 5. antiq. cap. 11. Theophyl. in ca. 23. Matth. Greg. Nissen. Cyrill. Alex. aduers. Anti. cap. 27.

MIrabilis in omnibus Maria est, sed verborum ipsius potestas planè admirabilis, quibus Christum è sinu Patris in vterum suum deducere, & Zachariæ domum spiritu sancto implere potuit. Poterit ergò & nunc Christum & eius spiritum ad corda nostra deducere, præcipuè hodierna die, qua Dei cor in mundum dulcissimum est. Quia hodie ei obtulit mundus, post filij oblati domum, gratissimum munus; dum in templum Maria ducitur, vt Christo desponsetur. Hodie ergò nobis donabuntur dona gratiæ, quia damus sororem nostram sponsam Christo domino. Salutemus eam, Aue Maria.

Sicut Anna Samuëlis mater longa vexata sterilitate, & ob hoc contemptui habita orauit dominum vt prolem acciperet, & exaudita est oratio illius, accipitque Samuëlem, quem ablactatum iuxta votum suum in tabernaculum duxit: simili ratione Anna Mariæ mater post longam sterilitatem accepit Mariam, & trinam in templo hodie offert.

Sciendum ergò à constructione tabernaculi aliquas fuisse deuotas mulieres, quæ spreta seculi vanitate soli Deo vacabant: de quibus meminit Moyses dicens: *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Et manifestè colligitur ex 1. Regum, dum ait, *dormiebant cum mulieribus, quæ excubabant ad ostium tabernaculi.* quos filios Heli ideò Deus occidit; quoniam Zelo singulari mouetur in eos, qui sacras virgines violant, quæ ipsius singulares sponsæ sunt. Cùm verò templum constructum fuit à Salomone, locus habitationis his virginibus constructus est inter altare & parietes templi, vbi habitabant, ac orabant. Vbi & Mariam Christo nato orasse dicitur: quod cùm alij reprehenderent, Zacharias pater Ioannis

nis Bapt. defendit. Quæ Virgines conclusæ ob tumultum exortum ad Oniam summum sacerdotem confugerunt.

Cedren. in comp. histor. 2. Mach. 3.

Hic etiam mos ab initio nascentis Ecclesiæ Christi fuit, vt virgines Deo dicarentur, quę olim Diaconissæ dictæ sunt. De quibus ex Cæsareis redditibus alendis literas dedit Constantinus Magnus; vt refert Niceph. li. 8. hist. Ecclesi. cap. 26. Et his fæminis regulam dedit D. Basilius, vt dicit Gregor. Nazianz. Has D. Hieronym. Nonnas, & D. Augustin sanctimoniales appellat. Hodiè ergò celebri festo colimus diem, quo B. Maria in templum à parentibus ducta est, cùm trima esset, vt ibi soli Deo vacaret. Quod festum in orient. Ecclesia perantiquum est. In Ecclesia Latina à Sixto V. anno 1585. institutum.

Clem lib. 2. cōstit. Apost. Ignat. in epi. ad Antioch. Tertull lib. 1. ad vxor. & li. de constit. Naziang in orat. de laudib. Basil. Hieron. in epist. ad Eustoch. Augustin in Psalm. 83.

Sed quare nunc Deo offertur Maria? I. vt ea, quæ Dei mater futura erat, omnibus titulis & rationibus esset Dei. Et ideò hodiè Dei efficitur parentum voto & donatione. Voluit quidem Deus Mariæ esse omnibus titulis & nominibus: oportuit verò, vt ipsa illius esset eodem pacto. & ideò in templum ducitur. Vt tu hinc colligas, si velimus totum Deum nobis donari, vt nos etiam totos Deo tradamus, & omnia nostra Deo demus. Hoc verò profectum nostrum impedit, quòd nos Deo non tradimus totos; sed ipsi plura subtrahimus. 2. offertur quòd quemadmodū, cùm vis pulcherrimam tibi imaginem pingi, offers pictori tabulam optimam: ita defertur hodie Maria, quæ tabula est pręclara, in qua imago patris ponatur, verbum patris scribatur. Et ideò Maria in templum ducitur. 3. in templum venit, vt pugnam cum Deo ineat. Templum verò locus est huius certaminis. Et cùm vniuersa hominum peccata conarentur, ne Deus descenderet in terram, illa ea omnia bonitate superauit sua, effecitque vt descenderet. Illa tandem Deum vicit, & margaritam, quæ in patris pectore erat, sibi vsurpauit, Verbum scilicet diuinum. inueniri difficilè poterat; quia *altissimum posuerat refugium suum*; iam facilè inuenitur; in brachijs Mariæ iam est: imò & in sacerdotis manu, vt eum facilè recipias. Quis verò eum, ad nos adduxit? Maria planè, Felix profectò mulier, quæ

1. *2. Simile.* *3.* *Psalm. 90.*

quæ ad Deum vſque peruenit, & tandem Chriſtum ad ad nos deduxit; *de qua natus eſt IESVS.* Currendum ergò & nobis eſt, vt ab infantia nos Deo afferamus, ſicut hodie Maria triennis oblata eſt. Parentes verò id agere cùm filijs debent, quod parentes Mariæ, qui eam ducunt in templum, cùm infans eſſent. Et quod

Tob. 1. pater Tobiæ, *qui filium ab infantia ſua timere Deum docuit.*

Exemplũ. *Bonum eſt enim viro, cùm portauerit iugum Domini ab ado-*

Thren. 3. *leſcentia ſua* Cùm enim ab infantia virtuti quis incumbit, eſt ei quaſi à natura inſita. Quia enim Samuel à

Simile. puero in templo fuit, ſanctiſſimus euaſit. Sicut enim qui ab infantia in aula regia nutritur, & inſeruit Principi, poſteà illi gratior eſt, ac plura beneficia recipit; ità

Pſal. 21. qui Deo ab infantia adhæret. Hinc Pſalt. *In te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* Hoc hodierna die exemplo ſuo nobis Maria oſtendit.

Sed quo pacto Maria in templo educata eſt, qualemúe vitam egit?

Continuò ſedes liquiſti paruula auitas.

Templi adytis oblata, parentum debita votis.

Educatio Mariæ. Singulari igitur Spiritus ſancti prouidentia Maria eſt educata. Si enim ſingulari cura Samſon, Samuel, & Baptiſta educati ſunt, qui ad munera grandia à Deo ſunt electi; Maria, quæ àdeò digniori muneri præparabatur, ſummè ſingulari cura nutrienda erat, vt in om-

3 *Reg* 5. nibus eſſet abſolutiſſima. Vnde ſicut in veteri domo,

Damaſcen. quæ Mariæ typus fuit, in fundamentis iacti ſunt pre-

lib. 4. *de fid.* tioſi lapides: ita in Mariæ initijs ſummæ virtutes efful-

orthod. ca. 15. ſerunt. Hinc Eccleſia de ea: *Cùm eſſem paruula, placui*

Cedren. in *altiſsimo.* Maria igitur in templum ducta, non ſecus

compẽd hiſt. ac oliuam fructiferam ſe præſtitit, quæ in domo Dei

Greg. Nico- plantata, & diuino ſpiritu impinguata, fructus pulcher-

mediens. rimos protulit, & virtutum omnium domicilium effe-

hom. de ob- cta eſt. Erant Mariæ mores incomparabiles, & agendæ

lat. vitæ ratio compoſita virtutibus, & plena diuinis reue-

Virg. in tẽp. lationibus. Si enim cum mundum condidit primo A-

Caniſ. lib. 1. dæ, *cuncta, quæ fecerat, erant valdè bona*; quo pacto ſecun-

c. 13. *de Ma-* do Adæ non erunt omnia valdè bona ac perfecta. Eò

ria. igitur temporis momento, quo rationis vſus Mariæ datus eſt, eam omninò diuinus amor poſſedit; nihil in ea relinquens non ignitum. Quicquid præter Deum

erat,

erat, nihil ducebat. Vnde à mundana gloria laudeque sic abhorrebat, sicuti corrupto aëre, qui fœtore suo plures inficit. A Deo tota pendebat; nihil cogitabat præter Deum; & contemplata Dei misericordias innumeras; præcipuè verò, quòd homo fieri ac mori decreuerat, nec aliud à nobis exigere præter sui amorem, decreuit eum toto corde diligere, vt nihil alius alteri concederet: & sic corpus gubernare decreuit, vt soli Deo seruiret.

In templo verò ab Angelo nutrita fuit, qui ei cibum offerebat. Nec id adeò mirum, cùm alijs sit Sanctis concessum. Et nihil Mariæ est negatum, quod alijs sit concessum. Vidimus Deum ei dedisse Filium, quid mirum, quod reliqua omnia præstet? Maria à prima luce (vt est in maiorum traditione,) vsque ad tertiam orationi vacabat: à tertia vsque ad meridiem operi manuum incumbebat; statim parcissimè cibum sumebat: reliquum verò temporis lectioni scripturæ incumbebat, & eius meditationi. Omnia Virginis membra, à pedibus vsque ad caput, omnesque eius sensus, & cogitationes, animæ imperio absque repugnantia obtemperabant. Adeò vt oculi eius nihil illiciti vnquam aspexerint; imò nec oculos vnquam leuauit nisi orans. Atque eo spiritu prophetiæ donata est, vt si fortè aliquid illicitum audire vel videre debuisset, ilicò eius aures & oculi clauderentur, ita vt non nisi voluntati diuinæ seruire videretur. Nec hoc mirum: quomodo enim summa Mariæ gratiæ & virtutes latere potuerunt, vt exterius non apparerent? Adeò Dei charitate plena fuit, vt etiam cùm corpus dormiret, eius vigilaret animus. Vnde ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et, *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Si ergò D. Paulus in tertium cælum raptus est; si Baptista mira eleuatus contemplatione fuit; & si alij viri Sancti inebriati charitate fuerint: Maria multò his maiora recepit; *quia fecit mihi magna qui potens est*, inquit. Fuit Maria tota cælestis, tota diuina, quia sedes illius futura erat. Talis fuit, vt vnius vita omnium esset disciplina. In ea nulla fuit rebellio, quia *gratia plena*, & omni ornata virtute.

Hieronym. vbi suprà.
Gregor. Nicomed. vt suprà.
Cedren. in comp. histor.
Sabellic. lib. 2. exempl. cap. 4. & 9.
Galat lib. 7. de arcan. cathol. verit. cap. 5.
Ambr. lib. 2. de Virg.
Rupert. li. 7. in Cant.
Cant. 5. & 7.
Ambros. li 2 de virg.
Dion. Carthus. li. 1. 2. 3. de præcon. Mariæ.
Luc. 2.

Bonauent. in meditat. de vita Christ. cap. 3.

Nullam interim gratiam, nullum donum, vel virtutem habuit à Deo sine magno labore, continua oratione, profunda deuotione, ardenti desiderio, multis lachrymis, & multis afflictionibus, dicendo cogitando semper placita Deo, sicut sciebat & poterat; excepta sola sanctificationis gratia, qua sanctificata fuit in vtero matris. Et ideò pro firmo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem, & corporis afflictionem: & docemur, operi, ac labori incumbere, vt perfectionem & virtutem acquiramus: Sine labore ac afflictione perfici cupimus; sed id nulli præstatur. *Labora igitur sicut bonus miles Christi IESV*, vt coronam consequaris. &c.

1.

2.

2. Tim. 2.

IN FESTO B. CATHARINAE, Virginis ac Martyris nobilissimæ.

THEMA: *Simile est regnum cælorum decem virginibus.* Matth. 25.

De S. Catharina Simeon Metaphra[stes]. Vixit Anno 307. Euseb. lib 8. Eccl. Histor. cap. 17. Simile. 1. Cor. 12. Rom. 12. Simile. Simile.

INter alia, quæ illustrem reddunt ciuitatem Ierusalem cælestem, vnum est, varietas ciuium illius, *ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis* Apoc. 7. Ecclesia militans simili de causa ornatur varietate statuum. Hinc Paul. eam confert humano corpori, in quo diuersa sunt membra. Et sicut in domo regis plures diuersiq; ministri sunt, & omnes regi obsequuntur, ita in Ecclesia diuersitas est ministrantium, qui vni Deo seruiunt.

Sed sicut diuersitas corporum reducitur ad duo; *Cælum & terram*; ita Ecclesiæ status ad virginitatem & matrimonium. Virginitas est cælum, propter incorruptionem, & celsitudinem: Matrimoniũ verò terra, propter fæcunditatem. Et sicut in castris duo sunt ordines militum, equestres & pedestres; ita in Ecclesia Virgines & vxorati. Equites virgines sunt, qui super carnẽ

sedentes, eiq; dominantes Deo militant: & quia caro, quæ alijs est vitiorum materia, ipsis seruit ad iustitiam, & spiritus in illis vincit. Illud ergò virgines præstant, quod ad Iosue dominus ait: *Equos eorum subneruabis.* Equus subneruatur, cùm caro ieiunijs & pœnitentia affligitur, ne contra spiritum pugnare possit.

Rom. 6.
Iol. 11.
Orig. ho 14. in Ios.

Dicuntur etiã Virgines Dei equitatus, quia certamen castitatis fortissimum est: in quòd solùm fortissimi milites descendere possunt. Inter omnia enim certamina Christianorum duriora sunt prælia castitatis; nam ibi continua pugna, & rarior victoria. Maius miraculum est de carne propria eradicare fomitem luxuriæ, quàm expellere immundos Spiritus de corporibus alienis. Et maior est virtus, libidinem carnis extinguere, quàm nequitias dæmonum extrinsecus subiugare. Ex quibus patet, Virginum statum in Ecclesia altissimum esse.

Aug. ser. 258. de temp.
Bernard
Vide suprà in festo B. Agnetis.

In omni quoque hominum genere optimus virgo fuit. Inter homines optimus Christus, hic virgo fuit. Inter mulieres optima Maria, hæc virgo fuit. Inter Apostolos Paulus; per excellentiã Apostolus dicitur, & virgo hic fuit. Inter martyres Stephanus & Laurentius virgines extitêre. Inter Prophetas Ioãnes, inter Euãgelistas Ioannes virgo fuit. Inter Confessores Martinus, Antonius, Basilius, & reliqui innumerabiles, Virgines fuerunt. Sicut igitur cælum à terra, Angelus ab homine, hoc distat virgo à non virgine: quia quod Angelus à natura est, virgo est gratia.

Hier. lib. 1. & 2. aduers. Iouinian. & epist. 50 pro lib. aduers. Iouin.
Apolog. ad Pammach.
Augustin.

Inter has virgines post Mariam meritò secundò loco Catharina adnumeranda est, quam ea singulari gloria ornauit; cùm filio suo vnigenito desponsauit. Verè fuit *virgo sapiens, & vna de numero prudentum,* quæ vniuersam mundi sapientiam superauit, & 50. sapientes Philosophos conuertit ad fidem; & tantum olei in anima sua accepit, vt in corpus eius redundârit, & nunc sepulchrum illius oleum manare dicatur. Et eius corpus tanquam Angelicum Angeli sepelireint in monte Sina: quia Angelus illa erat gratia. Sileant miracula Memphis, sileat Mausolæum, sileant sumptuosæ & prodigiosæ Aegypti pyramides:

nullus Regum aut Impp. ab Angelis sepelitur, nisi Virgo. Si autem Catharina virgo purissima est, si martyr illustrissima, si doctrix sapientum, quis dubitet, tribus eam coronis ornari in cœlesti regno?

Sed quomodo hæc vigilauerit, & sponsum exceperit, videbimus facilè, si literam Euangelij explanauerimus, In eâ verò parabola proponitur, ex qua cælestis magister concludit; *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Hæc diuersitas est inter iustos & peccatores: Iustus timet, & de æterna sua salute solicitus est; & ideò maximè curat, ne imparatus inueniatur: Peccator verò vana securitate confisus, salutem suam negligit; & ideò imparatus inuenitur. Iusti igitur solicitudinem Christus vigiliam dicit, sicut contra peccatorum incuriam somnum appellat. Vt autem homines ab hoc excitarentur somno, Christus venit in mundum. In vniuersa vita sua nihil aliud egit, quàm discurrere per ciuitates & castella, ac dicere omnibus VIGILATE. Et vt opus hoc tandem perageret, crucem ascendit, & ibi clamore valido homines vocauit, ad quos clamauit voce magna, summa charitate, humilitate, patientia. An non hos clamores audient? Deus tui causa in Cruce est, & tu in eum peccas? Certè qui tantùm clamorem non audit, mortuus potiùs, quàm dormiens dicendus est. Attende verò parabolam, quâ nos excitat.

Vigilia solicitudo iusti.

Greg. lib. 13. Moral. ca. 17. in Iob. 17.

Peccatoris incuria somnus.

Simile est regnum cælorum decem virginibus. Ad fideles hæc parabola dirigitur. Fideles enim Virgines in scriptura dicuntur, sicut idololatræ adulteri; quia Deo relicto, qui vir erat legitimus, ad Deos alienos diuerterunt. Nec verò de omnibus fidelibus parabola loquitur; sed de his, qui multa virtutum opera præstant. Ait enim, *quæ exierunt obuiam sponso cum lampadibus*, quæ opera pia significant. Sed terret valdè, quòd ex his plures damnentur, qui multa opera pia faciunt; quod de ijs, qui nihil boni agere curant, mirum non est. Sed quare damnantur, qui bona plura præstiterunt? Certè quia exteriora bona egerunt, sed non *sumpserunt oleum* charitatis *secum*. Considera ergò, an exteriora, quæ agis, à charitate procedunt. Si enim honor,

Fideles virgines.

Lampades.

oleum.

honor, aut diuitiæ, aut quid aliud in corde lateat, quod pluris facias, quàm Deum, oléo caruisti.

Sed mira similitudine exponit Christus, qua parare animas nostras debemus, vt ei occurramus. Ait enim *similes* nos esse debere *virginibus*, quæ se ornant, vt regijs nuptijs assistant, & festiua gaudia in nuptijs celebrent. Eam à nobis exigit curam, vt ei occurramus cum vniuersarum virtutum ornamento. Plorauit Nonnus eremita, visa muliere compta, dicens: Nunquam ego sic curaui animam ornare, ac ista corpus. Mira profectò hominum væcordia est, qui plus ornant corpus, vt mundo placeant, quàm animas, vt Deo. Cùm ergò ornatas ac comptas mulieres videris, plora; quia tu non sic animam ornas, vt Deo sponso placeas. *Surius 8. Octobr. in vita S. Pelagiæ.*

Sed quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Certè fatua dicitur anima, quæ exit obuiam Christo, & lampades bonorum operum defert. i. multa bona opera præstat, & vniuersa hæc amittit, quia oleum charitatis secum non detulit. An non dicendus es stultus, qui ieiunas, eleëmosynas præstas, & vniuersa amittis; quia in Dei gratia ea non fuisti operatus? quia iniuriam non remisisti? vel in statu peccati ea fecisti? Sed attendendum est tum fatuas, tum prudentes exisse obuiam spōso. Eximus autem obuiā Deo, si intra nosmetipsos intrauerimus: tunc. n. exit homo, cū sic intrat. Sed si homo verè in se ingreditur, videbit miseriam tantam, vt à se libenter exeat, id est, se abneget, & mortificet. Si à se non exierit, Deum non inueniet intellectus noster. Planè igitur vt Deum inueniat exire debet à se, *in captiuitatem redigens intellectum in obsequium fidei.* Simili ratione voluntas exire debet à se, duci se permittens à diuina voluntate. Id est ergò exire à se, non duci desiderijs proprijs, sed Dei beneplacito. Fatuæ virgines exierunt obuiam sponso, sed solo intellectu, quo fidei credebant, aliqua opera præstabant: sed non omninò exierant voluntate; quia oleum charitatis non habuêre. Charitas verò est, quæ voluntatem extra se ducit, vt obuiam veniat: quia efficit, vt sui oblitus homo *Fatuæ. Exire obuiam Deo. 2. Cor. 10. Exire à se.*

in amatum tendat. Sic prudentes virgines oleum habentes omninò exierunt. Sic & oleum charitatis à nobis, dum eximus, deferendum eſt. Charitas etiam à iuſtis defertur, cùm ex hac vita migrant; quia in cælo fides & ſpes non erit; at verò *Charitas nunquam excidit, & maior eſt horum.*

1 Cor. 13.

Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Dormire eſt peccare grauiter, ac lethaliter: dormitare eſt peccare venialiter, & negligenter aliqua agere. Omnes verò virgines dormiunt vel dormitant; quia in peccata incidunt, vel mortalia, vel venialia. Sed vnde nanciſcitur homo occaſionem dormiendi? Quia moram facit ſponſus. Sic iniquus ſeruus in corde ſuo dixit: *Moram facit dominus meus*: & ideò cœpit percutere conſeruos. &c. Diuina bonitas ad pœnitentiam nos expectat, & lento gradu procedit ad vindictam; & ideò moram facit. Hinc peruerſi colligunt cum iniquo ſeruo liberè ſe poſſe peccare. His verò falſis cogitationibus reſpondet Dominus: *Veniet dominus in die, qua non ſperat, diuidetque eum, & partem eius ponet cùm hypocritis.* Licèt enim vniuerſale iudicium proximum non ſit, iudicium tamen tuum, quod in morte fit, proximum eſt: cuius conſideratio efficiet, vt negligentes non ſimus. Et ideò Pſalt. orat dominũ: *Notum fac mihi domine finem meum*: quia *menſurabiles poſuiſti dies meos; & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* *Breues* certè *dies hominis ſunt, parui & mali*, qui quatuor digitis numerari poſſunt vnius manus (quod hebræũ Trefacoth deſignat) & ſupererit digitus vnus. Procedit autem hæc Dei mora ex diuina miſericordia, *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Peccauit Angelus, & ſtatim damnatus fuit: homo verò expectatus eſt ad pœnitentiam. Sed tandem venit dominus.

Dormire quid
Dormitare quid ſit.
Occaſio dormiendi.
Matth. 24.
Matth. 24.
Pſalt. 38.
Gen. 47.
Iob 14.
2. Pet. 3.

Media autem nocte clamor factus eſt, Ecce ſponſus venit. Ecce quomodo veniat media nocte tanquam fur. Hinc Paul. *Dies domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Quod verò de iudicij vniuerſalis die dicitur, idipſum de morte cuiuſque dicere poſſumus *Media nocte dominus venit*, cùm minus ſperatur eius aduentus ab eo, qui moritur, & ab aliȷs. Hinc de morte hominum

Aduentus domini improuiſus.
1. Theſ. 5.
2. Pet. 3.
Apo. 3 & 16.

ſempea

semper ferè miramur. Mors quidem noua non est in mundo, sed quòd nunc mors adueniat, illud miramur; quia tunc non sperabatur. Sicut ergò fur illud tempus expectat, quo paterfamilias dormit, ac securus est, ita Deus, *qua hora non putatis, adueniet. Nescit enim homo finem suum: sed sicut pisces hamo, & aues laqueo, ita homines capiuntur tempore malo.* Nullus putat se citò moriturum: sed puer putat ad iuuentutem se peruenturum; iuuenis ad virilem ætatem; vir ad senectam; senex ad decrepitám ætatem; & cum in ea est, non putat eo se anno adhuc moriturum. Vt verò securus nullus sit, mortem immittit Deus omni hominum ætati. Mixta iuuenum ac senum densantur funera. Et eadem de causa plura nobis mortis nuncia reliquit, ægritudines, dolores, quibus homo perpetuò laborat, quæ nos semper moneant, morituros nos esse. An non fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus? Certè multo fragiliores: quia vitrum seruatum durat plures in annos; homo verò ab intrinseco habet proximæ corruptionis indicia, & principia. Quotidiè morimur, & immutamur, & tamen æternos nos esse credimus.

Luc. 12. *Eccl. 9.* *Aug. serm. 12 de verb. dom.* *Hieron. ep. 3. ad Heliod. in epitaph. Nepotiani.*

Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro. Imparatas eas inuenit sponsus, charitatem non habebant; quæ lux & vita reliquarum virtutum cùm sit, si ea non adsit, lampades virtutis extinguuntur. Iustus in tota vita oleum charitatis habere vult, id est, Dei amicus; at verò peccator, in vita quidem amicus huius mundi esse vult, & in morte cum Deo amicitias componere. Licèt verò pœnitentia in morte vera esse possit, raro tamen inuenitur; & idcò pœnitentia illa secura non est. Vide hominem, qui multa bona aliena possidet, qui inimicitias gerit, in lectum incidere: ingrauescit infirmitas, imperite cū mors; tūnc testamento confecto præcipit multa dominis restitui, amicitias componit, promittit vitam se in melius mutaturū. Sed si discrimē hoc euadit, & integræ saluti restituitur, iterū bonis alienis fruitur, inimicitias gerit, vt prius, & q̄ mundi sunt sectatur. Signū profectò illud est, verā non fuisse pœnitentiam. Sera igitur hæc pœnitentia, quæ in morte est, dubia est, & rarò vera. Et hic sensus

Lampades extinctæ. *Pœnitentia sera rarò vera.* Exemplū.

us est parabolæ à Christo propositæ, in qua fatuæ dicuntur Virgines, quæ oleum tunc curant, cùm sponsus adest. Quia fatuus tunc omninò est, qui tunc benè viuere vult, cùm iam viuendum non est, qui in mortem pœnitentiam differt.

Ideò vigilate, quia nescitis diem neque horam. Nullum verbum in Euangelio adeò repetitum est, ac hoc *Vigilate*. quo nobis significatur, ita nostra gerere, vt semper parati simus ad mortem: nihilque nobis restet agendum, quàm ire, cum audimus. *Ecce sponsus venit*: nec tunc oleum quærendum est. Si ergò nosse vis, quando virgo sis prudens, quando vigilare diceris, tunc eris, cùm sic omnia tua disposueris, vt si tibi diceretur, nunc migrandum tibi ex hac vita est, dicas; Migremus hinc. Nunc ergò attende, & circunspice, an ita tua omnia disposueris. Sic Moyses fecit, qui audiens, *Ascende in montem & ibi morere*, obediuit statim: & mirabilis eius VIGILIA fuit, qui vt moreretur, inducias non petijt. Hoc consilium semper vigilandi nobis Christus tradidit pluribus parabolis. *Quod vobis dico, omnibus dico, VIGILATE.* Si enim vigilaueris, dies ille non tibi veniet, vt fur: vigilans n. illum expectat. Hinc in Apoc. *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur. Vos autem fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. &c.*

N. B.

Deut. 32. & 34.

Luc. 12. Marc. 13. Matth. 24. Apo. 3 & 16. 1. Thess. 5.

IN FESTO S. ANDREAE Apostoli.

THEMA: *Venite post me; faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4.

Volens Christus illud inchoare ædificium, ad quod perficiendum in mundum venerat, primos ad hoc lapides Apostolos elegit, qui fundamenta huius ædificij futuri erant, quos ex aquis colligit; sicut cùm *defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm transiret eum populus Israel, duodecim durissimos lapides de medio Iordanis alueo*

Allegoria. Ios. 4.

Iordanis alueo tolli præcepit: sic colliguntur de medio aquarum duodecim Apostoli, qui testes essent resurrectionis & redemptionis Domini, viæque nouæ in cælum apertæ. Hi ergò sunt fundamenta fidei nostrę & Ecclesiæ cælestis. *Acto.* 1.

Sed mirum videtur ad tantum ædificium viles eligi lapides, cùm adeò magnificum ædificium hoc futurum fuerit, vt de eo dictum sit; *Ponam te in superbiam populorum*. Quia *quæ stulta elegit, & ea quæ non sunt, vt confundat fortia*. &cæt. Sicut ergò ex AEgypti aquis principem Synagogæ Moysen eduxit, ita ex Galilææ aquis principes Ecclesiæ, & ideò *ambulat iuxta mare Galilææ; vt non glorietur omnis caro*. Iustum enim æquumque erat, ne alicui hominum adscriberetur tanta Euangelij victoria; ideoque Piscatores huius belli duces elegit. Gloriosissimi profectò hi principes, ex quorum mirabilibus effectis Deo maxima gloria resultauit. Et licèt Apostoli *peripsema essent mundi*; quia tamen Dominus dicit; *qui glorificauerit me, glorificabo eum*; adeò glorificati sunt abiecti hi Piscatores & cõtemptui habiti, vt nunc à mundo glorificentur; quia per eos glorificatus est Deus. *Cur viles elegerit.* *Isaiæ* 60. 1. *Cor.* 1. Allegoria. *Exod.* 2. 2. *Cor.* 10. 1. *Reg.* 2. 1. *Cor.* 4.

Venite post me. Primus prædestinationis effectus Vocatio est; quia *quos prædestinauit, hos & vocauit*: vt nos sent illud; *non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Vnde cùm vides hominem in melius mutatum, dicis; Vocauit eum Deus: *nemo enim venit ad me, nisi pater meus traxerit eum*. Homo vt descendat, per se efficere potest, sicut sagitta ad centrum tendit per seipsam nullo dirigente: sed vt in finem supernaturale tendat, qui est scopus noster, indiget dirigente; sicut sagitta vt in scopum tendat, opus habet qui eam dirigat. Deus ergò prædestinatione sua nos dirigit in finem supernaturalem. Hoc verò primum efficit vocatione sua. Nam ad Regis conuiuium nullus venit non vocatus, sed non omnes vocati venerunt. Vocant Angeli etiam generos Loth, sed exire noluerunt. *Vocatio diuina.* *Rom.* 8. *Ioan.* 15. *Ioan.* 6. *Matth.* 11. Simile. *Matth.* 22. *Gene.* 19.

Sed duplex est vocandi modus. 1. quo Christus vocat ad se. 2. quo vocat venire post se. primo innuit se finem, secundo medium & viam. Idem enim nobis *Duplex vocandi modus.*

 vita Ioan. 11.

vita est, quod est finis; & *via*, quod est medium. Ostendit se finem, cùm ait; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis.* *Ad me*, ait, tanquam ad finem. Sed qui venturi sunt? *Qui laboratis.* Verè laborat peccator, & graui onere pressus est, & omnis mundana consolatio non quietem præstat; omnia onus & pondus sunt: hinc dicunt; *Lassati sumus in via iniquitatis.* Ludis? lassaris ludo, deambulas? lassaris deambulatione. &c. Sed quomodo hic laborans reficitur, cùm eius debeat accipere crucem? Labor bonorum nobilis & honorificus est; labor verò malorum vilis & infamis; & ideò primus honor appellatur, secundus labor. Præficitur dux bello, laborat quidem sed honore eum à Rege affectum dicis: laborat in triremi ob culpā damnatus; hic verè labor dicitur, quia infamis; sic *infames gressus eorum.* At iustos *honestauit Deus in laboribus, & compleuit labores eorum.*

Matth.11.
Sapien.5.
Laborantes quomodo reficiendi.
Simile.
Prou.2.& 14
Sapien. 10.

Sed modò aliter vocat, *Venite post me.* innuens medium & viam. Sicut enim in difficilem viam ductorem quæris; multo potiori iure in viam cæli ductore nobis opus est, quia *pauci inueniunt eam.* Olim de sanctis dicebatur, *ambulauit coram Deo*, non solùm quia eorum talis erat vita, qualis esse decebat in conspectu Dei, sed etiam quia Deum ductorem exemplaque dantem non habebant: Nos verò ambulamus post Deum; quia Deus graditur ante nos; quod maximè nos deuincit, vt eum sequamur. Sed nota verbum illud, *post me*, quasi famuli herum sequentes. Sic Iacob ad Esau *Præcedat dominus meus seruum suum, & paulatim sequar vestigia eius.* Quo significatur, quòd sicut Dominus præcedens ministrum ducit, quo vult; sic nos Deus præcedit, vt ducamur, quò ille voluerit; non nos præcedamus, vt velimus eum ad nostram ducere voluntatem.

Matth. 7.
Gen.5.& 17
Similes sumus illi, qui botrum terræ promissæ præcedentē intuebatur.
Num. 13.
Gene. 33.

Sed quomodó Christum sequitur Andræas? Ad viæ finem ad crucem vsque. Multi non solùm non sequuntur vsque ad crucem, sed *crucis Christi inimici sunt:* hi sunt, quorum omnis cura est, vt sibi placeant, nihilque crucis experiantur. Alij Christum sequuntur, sed *à longe*, vt Petrus: & hi tandem eo deueniunt, quo Petrus Christum negans. Num in domo tua sustineres mini-

Christum quomodo sequemur.
Philip. 3.
Matth. 26.
Simile.

ſtrum,qui à longè te comitari vult, ne ſeruus tuus eſſe videretur?Rectè igitur Chriſtus: *Qui erubuerit me coram hominibus,erubeſcam & ego eum coram patre meo.* Alij verò Chriſtum ſequuntur vſque ad crucem. Horum vnus Andræas eſt, qui ad crucem perueniens,ſic eſt lætatus, vt ei viſæ amatoria multa dixerit. Timet tremitque Chriſtus appropinquante paſſione, & diſcipulus lætatur viſa cruce;num diſcipulus ſupra magiſtrum? Minimè Chriſti infirmitas noſtra fortitudo eſt.Et ſicut Adæ tollitur os,vt Euæ detur,& repletur carne pro oſſe; ita inde roboratur Eccleſia.vnde infirmatus eſt Chriſt⁹.In Andræa impletum eſt illud Oſe. *Dabo ei vinitores ex eodem loco,* id eſt, Apoſtolos ex eadem Eccleſia deſumptos,*& vallem Achor,*id eſt,vallem turbationis & tribulationis: *& canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ,* id eſt, in medio tribulationum gaudebit,& canet,vt canere ſolebat in conſolationibus,quas initio accepit. An non canit in valle Achor Andræas ſalutans crucem, & cum ea gaudens? Impletum eſt & illud Iſa. *Et erunt campeſtria in caulas gregum,& vallis Achor in cubile armentorum,populo meo,qui me requiſierunt.*Greges minora animalia ſunt, vt oues,arietes,capreæ: Armenta maiora ſunt,vt boues,cameli.Minoribus ergò animalibus Deus promittit *campeſtria,*paſcua vberrima, vitam ſcilicet tranquillam,conſolatione abundantem. At armentis, maioribus animantibus, promittit *vallem Achor*, tribulationem ſcilicet, & crucem. Ecce *cubile* Andrææ crux eſt, *vallis Achor* eſt,qui in cruce requiem inuenit; armentū maius eſt Imitare hic Andræam. Es in cruce paupertatis,infirmitatis,doloris,infamiæ? Cane ibi,gloriare in cruce;vt & Paul.qui ait;*gloriamur in tribulationibus.*Vnde Iacob. *Omne gaudium exiſtimate fratres,cùm in varias tentationes incideritis.* Quia ſapienti maximum donū crux & tribulatio eſt. vnde Paul. *Vobis donatum eſt pro Chriſto,non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiā pro illo patiamini.*

Lucæ 9. Matth. 10. Marc. 8. Bern. ſerm. 2. de S. Andræa. Gene. 2. Oſe. 2. Franciſ. Rib. in Oſe. 2. Ioſue 7. Iſaiæ. 65. Rom. 5. Iacob. 1. Philip. 1.

Sed quid ad hæc armenta Chriſtus dicit? *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Primus hominum *Piſcator Deus* eſt: & *hamus* eius bonitas infinita eſt,qua homines capit. Hamus autem duo habere debet, 1. vt fortis ſit ad extrahendos piſces captos. 2.ſuauitatem

Hamus Dei.

escæ, qua capiat pisces. Præclarus ergò hamus Dei bonitas est; fortitudo enim illius maxima est, vt quem semel ceperit, fortiter teneat. Vnde Ioan. *Nemo rapiet*
Ioan. 10. *eas de manu mea.* Suauitas verò escæ in hoc hamo summa est, vt qui omninò hunc hamum gustauerit, impossibile sit non trahi; necessariò enim diligit Deum. Et ideò vniuersum condidit, quo diuina bonitas maximè manifestaretur, & omnium corda ad se traheret.
Sapien. 13. *A magnitudine enim speciei creaturæ poterit creator horum cognoscibiliter videri.* Sed audi malorum ingenium. Quod esca erat, vt in Deum traherentur, est illis finis, quo impediuntur, ne in Deum trahantur. Omnis creatura amabilis & pulchra aliud nihil est, nisi imago Dei, vt ex ea colligas sponsi nostri pulchritudinem ac decorem; atque sic eum desiderares atque diligeres: sed ait
Ierem. 2. per Ierem. Dominus. *Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* Videns ergò Deus hunc piscandi modum non ex voto succedere, sed creaturas impedimento esse, ne in eum tenderent homines, aliud piscandi
1. Cor. 1. genus adinuenit. *Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum; placuit ei per stultitiam prædicationis saluos facere credentes;* id est, per fidei prædicationem, quæ stulta videtur hominibus, ad quam stultos eligit Piscatores, quibus dicit, *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Fides hic Apostolorum prædicatur: grande munus est, homines piscari, cùm ad hoc descenderit è cælo Dominus. Vocantur igitur Apostoli, vt sint Piscatores Regum, Imperatorum, Sapientum. Vbi retia
Hebr. 11. in hanc capturam? *Crediderunt Deo, & obtinuerunt; & sicut crediderunt factum est illis.*

Amaritudo huius seculi. Si *autem homines piscandos* dicit Christus, sine dubio *homines pisces sunt.* Et locus horum piscium *mare* rectè dicitur. Quid enim seculum hoc nisi *mare* est? In hoc pisces grandes, & parui, & mediocres; sed oẽs in aqua amara maris natant, hac alũtur. Procedant in medium Imperatores regesque terrarum, procedant aulici eorum; & omnes dicent esse se in aquis amaris salsisque.
Hest. Nam quanto quis hic altius erigitur, tanto curis grauioribus oneratur. Vt Aman fortunatissimo contigit.
Iudæ 1. Hos vocat D. Iudas, *fluctus feri maris, despumantes suas* con-

confusiones. O homo superbe & elate, quasi mare elatum, quod quiescere non valet, omnes tuæ celsitudines in spumam & confusionem deficiunt. Videbis potentem quasi fluctum maris: sine, vt in oram maris veniat, in sepulchrum, & *in illa die peribunt omnes cogi*- *Psal.* 145.
tationes eorum: & dicent, *omnia transisse velut nauem, cuius* *Sapien.* 5.
nec vestigia manent. Transit nauicula, nec curas; quia parua est: venit nauis immensa grandi strepitu, magna aquæ diuisione; sed cùm pertransierit, nec eius vestigium erit. Transeunt per mare mundi huius pauperes nauiculis suis; transeunt Reges nauibus magnis; sed cùm transierint, *perit memoria eorum cum sonitu*. Mundus ergò mare est: sed turbatum. An non vides Ecclesiæ tempestatem, qua turbatur? Quid est in causa? Certè peccata. Quomodo ergò cum Iona sopore deprimeris? Quando nos dormimus, dormit & Christus: quid enim est Deum tot dissimulare peccata? Excita igitur dormientem Christum, dicque illi: *Exurge; quare obdormis Domine?* &, *Salua nos, perimus*. *Ierem.* 27. *Psalm.* 9. *Mare turbatum.* *Ion.* 1. *Psalm.* 43. *Marc.* 4. *Matth.* 8.

Vidimus mare, videamus pisces in eo commorantes, de quibus Abac. *Et facies hominis quasi pisces maris. Per pisces maris, qui perambulant semitas maris*, intelliguntur omne genus peccatorum, quos Christo piscandos pater dedit. Meritò verò peccator piscis dicitur. Sicut enim piscis in aqua fortis est & velox, sed si in terram trahatur, nihil potest, & citò moritur: ita peccator ad ea, quæ mundi sunt fortis & acutus est: sed ad negotia animæ curanda torpet, & quasi mortuus est. Sunt autem pisces, qui singulari ratione improborum figuram gerunt; qui *enim sine pinnulis & squamis sunt, immundi Deo reputantur*, vt anguilla. Pisces, qui habent pinnulas, saltus dare super aquas solent, soli sunt electi, qui aliquãdo ad superna ascendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum huius mundi lateant. Pinnas aũt non habent, qui exterioribus voluptatibus dediti carnem sequuntur. Squamas etiam hi nõ habent; quia quo ictibus resistat, peccator non habet, omnique tentationi obnoxius est. *Luc.* 8. *Abac* 1. *Psalm.* 8. *August. in Psalm.* 8. *Piscis peccator.* Allegoria. *Leuit.* 11. *Grego. lib.* 5. *Moral. ca.* 8. *in Iob*. 3.

Vidimus mare & pisces, videamus Piscatores Apostolos, *qui Dei adiutores sunt*. Hinc Ierem. *Ecce mittam pisca*- *1. Cor.* 3. *Ierem.* 16.

ſcatores multos, & piſcabuntur eos: & poſt hæc mittam eis multos venatores. Piſcator pauper aſſumpto reti ſine ſtrepitu domum exit: at verò venator diues magno cum ſtrepitu: ſic antiqui *Piſcatores* erant ſine ſtrepitu, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute ſpiritus*: at iam *venatores* ſunt, magno cum ſtrepitu pulſantur campanæ; & ferè poſt multa compoſita verba nihil fructus colligitur. quia plurimi ſunt *adulterantes verbum Dei*, qui filios non intendunt, ſed ſuum nomen delectationemque. At veri prædicatores curant Dei filios in ſpiritu procreare, vt Paul. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus*. Et Iſa. *Ego Deus tuus docens te vtilia*, non ſubtilia. Multa quoque in auditoribus culpa eſt, qui curioſa audire deſiderant; ſimiles Adæ, cui datæ ſunt arbores duæ, ſcientiæ & vitæ, edit de ligno ſcientiæ, relinquens lignum vitæ, & perditus eſt. Econtra *multi ex his, qui erant curioſa ſectati Athenis, combuſſerunt libros* multos magni pretij. Sic & nobis faciendum.

1. Cor. 2.
2. Cor. 2. 4.
Galat. 4.
Iſaiæ 48.
Hieron. ibid.
Gene. 2. 3.
Actor. 19.

Illi continuò relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Maximum eſt homini remedium, ſi continuò accurrat vulneri, ne putreſiat: dic igitur cum Samuele; *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*. Multi dicunt virtutem nec iuueni conuenire, nec ſeni, & ideò Deum nunquam ſequuntur. Sed certum eſt virtutum officia omni tempori, ſexui, & ætati conuenientiſſima eſſe. Alij dicunt, ſequar Chriſtum, ſed poſteà. O peruerſi atque ſceleſti, cur non hodie dicitis, ſed in craſtinum defertis? Figura eſt Pharao peccatoris conuerſionem differentis. Ideò *hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. An non irreuerentia ſumma Deum non vocantem ſequi næniis detentum? Dic mihi, quare detineris, cùm à Deo vocatus es, ne poſt eum venias? Dicere profectò erubeſces, ergóne facere magis erubeſcendum?

1. Reg. 3.
Pſal. 94.

Vidit alios duos fratres. Sed quid vidit in illis, vt vocaret? primò vocat hos, quia vult: deinde vidit in his, quod ei placuit, quòd fratres ſimul eſſe cõſpexit: quod maximè placet ei: quia *vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Amator eſt vnitatis &

Pſalm. 17. Saluum me fecit, quoniã voluit me.
Matth. 18.

tis & pacis;& vbi hæc sunt, signum est, ad quod volitat continuò. Quisque id potissimum respicit, quod ei maximè placet: tu ergò Domine ad quid respicies? *Nisi ad pauperculum, & trementem sermones meos.* Respicit igitur hoc fratres pauperculos, & trementes sermonem Domini: nam continuò vocati eum sequuntur. Orat igitur Dauid: *Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego.* Multi conqueruntur, quod à Deo non respiciuntur: sed agnosce te pauperem, & nihil esse; respicierisque à Deo, qui *humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* *Esto* quoque *consentiens aduersario tuo in via*: quod si necesse fuerit te aliqua pati, aliquid iuris amittere; amitti oportet, ne charitas amittatur, alioqui solus eris. *Væ autem soli.* *Isaie 66.* *Psal. 24.* *Psal. 137.* *Eccli. 3.*

Reficientes retia sua. Illi qui nunc retia reficiunt, postea retia Euangeliorum reficient: cùm de Christi diuinitate, de qua non adeò manifestè fuerant loquuti alij Euangelistæ, Ioannes manifestissimè loquutus sit. Quo facto etiam ostenditur, vt Dei verbum proponentes doctrinæ rete reficiant. Rumpunt enim eam pisces grandes, qui ea nolunt contineri. Præterea omnibus exemplum relinquunt Iacobus & Ioannes retia reficientes, vt conscientiam nostram reficiamus. Inspiciamus ergò rete conscientiæ nostræ, an peccato ruptum sit, & reficiamus illud; ne labores nostri vani sint. &cæt. *Vide Dom. 4. post Pent.*

FESTA

FESTA DECEMBRIS.

DE S. NICOLAO, Vide in festo S. Martini: & in communi Sanctorum, de Confessore Pontifice.

IN CONCEPTIONE B. MARIAE Virginis.

THEMA: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c.* Prouerb. 8.

Sapien. 8. Canis. libr. 1. de B. Maria. cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

DEVS *noster suauiter vniuersa disponit*, nam certo ordine statutisque legibus vtitur in mundi gubernatione, quibus vniuersi ordo conseruatur: at verò ordini ipsius vniuersi conueniens fuit, vt aliquando Deus hunc ordinem non seruaret, sed mirabilia efficeret, quibus Dei omnipotentia manifesta omnibus fieret, & se potiùs ostenderet liberrimam causam, Dominum naturæ, & super omnem legem & ordinem Principem existere. Hac ratione plura mirabilia operatus est in AEgypto, & deserto: hac solem stare voluit medio in cursu; & aliquando retrocedere per decem lineas. Qui verò hæc diuina opera metiri voluerit communi regula, omninò errabit.

Exod. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 19. Ios. 10. 4. Reg. 20.

Proponitur autem hodierna festiuitate opus Dei MARIA, domus Dei, quam sibi sapientia ædificauit: thronus eius mirabilis; arca Dei, in qua omnes diuini thesauri sunt. Verè si de B. MARIA rectè sentiendum nobis est, eam dicere debemus præstantissimum orbis miraculum, cæleste prodigium, & *signum maximum*: quoniam in eum finem condita est, vt mater Dei esset: ideoque diuersâ mensurâ illi concessa fuit gratia, quàm reliquis.

Præstantia Mariæ. B. Ephrem de laudib. B. Mariæ. Ignat. in epist. ad Ioan. Chrysost. Apoc. 12.

Id verò

Id veerò facilè constabit si naturam, si & gratiam Mariæ spectes. Vidisti aliquando virginem & matrem? Naturæ lex hac in re mutatur in MARIA: an non hoc grande miraculum? Vidisti aliquando mulierem, quæ mater sit parentis sui? innouatur in hac re natura in Maria. Vidistine mulierem sine dolore, sine infirmitate, sine menstruo? En naturę leges mutantur in Maria. Sed & gratiæ leges in ea innouatas cõsideremus. Vidisti mulierem sine inordinato appetitus motu, sine vllo veniali delicto? En leges vniuersas in Maria mutatas. Sicut enim Augusta legibus tenetur, sed ex priuilegio non tenetur; sic diuino priuilegio Maria à legibus soluitur tum naturæ, tum gratiæ. Hodie nobis proponitur immunitas MARIAE à lege originalis culpæ; & quam ab alijs legibus solutam ostendimus, ab hac etiam lege liberam nunc dicimus; atque adeo originale peccatum non contraxisse, quod omnes posteri Adæ contrahunt. Quòd autem ex omni parte sancta futura esset, nec aliquid non sanctum in ea reperiendum, ostendit in figura Dominus dicens: *Ista est domus in summitate montis: omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est.* Profectò *domum Dei decet sanctitudo*, nihilque in ea erit, quod non sit sanctum, vt nullus sit locus, quo peccatum intrare possit.

Natura & gratia Mariæ.

L. princeps legibus ff. de legib.

Ezech. 43.

Psalm. 64.

Qua in re proponitur nobis exemplum domus nostræ construendæ. Erigit Deus hodie in terra domum sibi, vt mundum perditum erigat: primum verò, quod in domo sua collocat, gratia, sanctitasque est, & omnis virtus. Homo vt domum stabiliat filijs, curat multam coaceruare substantiam, honoresque; sicque domum suam stabilitam credit, etiamsi virtus ab ea procul sit. At regnũ, domus, respublica, in qua virtus corruit, stare nullo modo potest. Multa regna, multæque domus funditus euersæ sunt vnius virtutis defectu. Si ergò vnius defectus regna disturbat, quo pacto domus stabit tua, si nulla virtute fulciatur? Qua ratione volens Dominus construere Ecclesiam perpetuam, eam sanctitate firmauit, ac stabiliuit, eam sanctam efficiens, vnde dicitur, *Credo sanctam Ecclesiam.* Curandum ergò tibi, vt pri-

Domus mentis nostræ quomodo construenda.

N.B.

vt primum omnium virtus in domo tua sit: sic enim domus tua stabit, ac si super firmam petram fundata fuerit. Qua in re exemplo nobis est Maria; illa nanque ab initio sancta est, nullo vnquam temporis momento peccato obnoxia. Ne ergò dicas non nunc, sed postea sanctus ero. Miser, quid te dicere putas aliud, quàm nunc stabulum bestiarum esse volo: postea Dei templum esse volo? Si Deum aliquando suscepturus es, cur non modo? Inspice Mariam continuò sanctam, & impollutam, & omni præditam virtute: quia in Conceptione ornata omni gratia fuit, & in ea sic roborata, vt per totam vitam nullo actuali peccato vel veniali fuerit inquinata. Domum ergò tuam sanctifica statim, in qua Deus habitare possit.

Matth. 7.
Luc. 6.
N. B.

Conceptio Mariæ cur sine originali labe.

Sed operæpretium erit inquirere, cùm Maria præstantissimum sit orbis terræ miraculum, cur hoc miraculum Conceptionis eius purissimæ voluerit efficere. quod adeò mirum est, vt quibusdam apparuerit incredibile?
1. Deus aliquando mira aliqua opera præstat super omnem legem & ordinem, eo quòd in finem præstantissimum rem illam miram ordinat. Sic vt Paulum lucraretur, descendit de cælo ipsemet in eius conuersionem, eo quòd *vas electionis* efficere volebat, quod *portaret nomen eius coram regibus, & gentibus, & filijs Israel*. Similiter plura mira in Ioanne Baptista effecit, quia in eum finem destinabat eum DEVS, vt Christum digito ostenderet, eumque baptizaret. Sic & Spiritum sanctum misit in spiritu vehementi & linguis igneis, propter mirabilem effectum conuersionis totius mundi ministerio duodecim piscatorum.
2. mirabilia super omnem legem Deus efficere solet honoris sui causa.
3. tandem mirabilia præstat, vt se supremum ostendat Dominum, nulli legi subiectum; & hæc efficit, quia potens. Hæc omnia vrgent, Mariam immunem conseruari debuisse ab originali labe, & plura alia mira in illa effici.

Act. 9. 22.
1. Cor. 15. a
2. Cor. 12.
Galat. 1.
Ioan. 1.
Lucæ 1.
Matth. 11.
Act. 2.

1. Primò propter mirum finem, in quem illa ordi-

nata à Deo erat. Quis obsecro explicare valeat, quàm sit mirum Deum hominem fieri, Mariæ filium, ex substantia matris genitum; & adeò illius filium, vt sit illa quasi pater & vera mater eius? Non enim ille patrem habet, vt homo est; sicut nec matrem, vt Deus est. Qualia igitur miracula in Maria efficienda erant in finem tantum? Excedunt Angelicam cognitionem dona Mariæ concessa: nec mirum, cùm ratio causaque eorum excesserit Angelorum intelligentiam. Vnde quòd immaculata Conceptio humano ingenio capi non possit, mirum non est: hæc igitur, & alia plura multoque maiora Mariæ concessa credamus: quia res adeo mira, qualis est Deus homo Mariæque filius, mira plura credenda postulat. Quis enim dicet immensa bona ac diuitias non deberi Dei matri? Dei domui? quid magnum dici potest, si Dei Maiestati conferatur? Si ergò magna mirabiliaque apparent ea, quæ de Maria audis, oculos conuerte in finem, in quem ordinata fuit, & tibi facilia omnia apparebunt. *Grande opus est* immaculata Conceptio; *grande opus* immaculata vita; *grande opus* summa Mariæ gratia; sed aduerte Dei domum hæc omnia decere, nihilque grande esse, si diuinam inhabitantis maiestatem spectes. 1. Par. 22. 29. 2. Par. 2.

II. Secunda etiam hîc militat ratio, vt hoc mirabile purissimæ Conceptionis in Maria efficeretur, propter filij eius honorem. Dedecus enim Christi esset, si diceremus eum esse filium peccatricis. Nec satis est dicere, eam peccato fuisse obnoxiam, antequam Christus ex ea gigneretur: dedecus enim filij est, si mater eius infamia notetur, antequam eum gignat. *Hæc est* ergò *mulier, quam præparauit Dominus filio Domini mei*; filio suo Vnigenito, ideoque *inuenisse dicitur gratiam apud Deum.* Nec idonea esset mater Dei, si aliquando macula fuisset infecta. Propter filium igitur temerarium esset in Maria ponere culpam aliquam vel peccatum. Sicut ergò propter Christi honorem caruit omni peccato veniali, omni infirmitate, omni denique imperfectione; propter eundem originali carere quoq; debuit. Et hoc Paulus significat dicens: *Secundus homo de* Gene. 24. Luc. 1. 1. Cor. 15.

cælo cæleſtis; id eſt, de Virgine immaculata & puriſſima. Id ipſum attinet & ad patris honorem, cùm habeant communem vtriuſque filium. Idem etiam honos ad Spiritum S. pertinet, cùm eius illa præcipua ſponſa ſit. Ideoque omninò indecens erat, Angelos & Euam ſuperare Mariam conceptione ac conditione ſua: quod ſine dubiò foret, ſi in peccato concepta fuiſſet.

III. Tertia quoque de cauſa eam ab omni peccato immunem Deus fecit, vt potentiam ſuam manifeſtam faciat, legibusque nullo ſe modo ſubiectum oſtendat. Quod cùm ille debuerit facere, cui alteri creaturæ id conferre debuit, quàm matri? hanc ipſa in ſe oſtenſam declarat, dicens; *Fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Omnis ergò cauſa & ratio, qua miracula effici ſolent, in Maria fuit, vt mira multa in ea efficerentur, & mirabile hoc puriſſimæ Conceptionis. Meritò ergò de ea Pſalt. *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate*; quia ſancta eſt MARIA, & mirabilis in gratia doniſque cæleſtibus ipſi ab omnipotente conceſſis; præcipuè verò mirabiliter, quòd à peccato omni quàm longiſſimè abeſſet. Eſt enim illa, *de qua natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS.* Qui vt Deus eſt, infinito odio peccatum proſequitur; vt homo eſt, immensè illud deteſtatur. Et in hanc cauſam ſolùm ſe cruci mortique tradidit, vt illud omninò deſtrueret.

Luc. 1. *Pſalm. 64.* *Matth. 1.* *Vide in ſer. de Natiuit. Mariæ.*

Dignitas B. Mariæ.

Expendamus nunc matris Dei dignitatem, quæ his verbis exprimitur, *De qua natus eſt IESVS.* Inter Mariam & Chriſtum multa inuicem data & accepta dona ſunt. Ille ab ea ſuſcepit naturam humanam; illa ab eo gratiam, quæ participatio eſt diuinæ naturæ. Illa præſtitit ei pulcherrimam & omnibus numeris conſummatam naturam; ille matri conceſſit excellentiſſimam gratiam. Quam ille à matre accepit naturam, nunquam dimiſit; quam illa accepit à filio gratiam, nunquam amiſit. Qua parte ille homo eſt, filius Mariæ eſt, quia ab ea humanitatem ſumpſit; qua parte illa gratia ornata eſt, filia filij ſui

eſt.

est; quia à filio gratiam suscepit. Quia ergò Maria mater DEI est, innumera in ea mirabilia esse oportuit, præcipuè verò vt omni careret peccato originali. Tanto melior Angelis effecta, quanto differentius nomen præ illis hæreditauit. Angeli enim *Apoc. 19. 22.* conserui nostri sunt; at Maria mater Dei est & regina Angelorum. Quodque in regis domo interest inter Reginam regis matrem, & ministros; hoc in Dei domo interest inter Mariam, & Angelorum sanctorumque cœtum. Si dicitur Deus *mirabilis in sanctis suis*, *Psalm. 67.* quæ erunt mira in Maria, quæ illa mulier est, quam Deus matrem dicit? O nimis exaltata, ô pulcherrima mulierum, in quam sublimi te contemplor locatam; omnis natura à Deo est creata, & omnis Dei *Anselm. lib.* natura ex Maria est nata. DEVS omnia creauit; *de excellent.* & MARIA Deum genuit. DEVS qui omnia fecit, *B. Mar. c. 12.* se ex Maria fecit, & sic omnia, quæ fecerat, refecit.

Si autem Arminius tanta puritate nitere dicitur, *Puritas.* vt omnem sordem abhorreat, vt si in ostio foueæ lutum ponas, nullo modo ingrediatur; quid de infinita Dei puritate credendum? num Mariam ingrederetur, si in ea impurum aliquid vidisset? Sed dicunt: Mundata fuit, priusquam Deus eam intraret. Si autem tam cito liberanda fuit, & hoc super omnem legem, quare per illud instans labi permissa est? cur non in instanti libera? cur eam dæmonis seruam, Deique inimicam vel ad instans dicamus? Hinc etiam nobis illud discendum est, nec ad momentum in peccato consistere.

Porrò si de Deo nostro vera dicenda sunt, magna *Magnitudo* vtique dicenda sunt: quia *magnus Dominus, & laudabilis* *B. Mariæ.* *nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Ad eundem mo- *Psalm. 47.* dum si de Maria vera dicenda sunt, semper magna *& 144.* prædicanda sunt; quia omnia, quæ ad eam pertinent, magna sunt. Hæc est mulier illa, de qua dicitur, *signum magnum apparuit in cælo.* Hæc est rubus illa, de *Apoc. 12.* qua Moyses, *Vadam, & videbo visionem hanc mag-* *Exod. 3.* *nam.* Hæc domus Dei, de qua Salomon: *Domus,* *2. Par. 2.* *quam ædificare cupio, magna esse debet; quia magnus Dominus*

Iof. 22. DEVS noster super omnes Deos. Hæc est altare illud infinitæ magnitudinis; quia cùm Dei mater sit, infinita dignitate eleuata est. Hinc maxima eius Conceptio, maxima natiuitas, maxima vita, maxima mors.
Hiero. serm. de Assumpt. Mariæ. Nam alijs Sanctis data est gratia per partes; at Mariæ tota se infudit gratiæ plenitudo. Hinc Psalt. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei; sanctificauit tabernaculum*
Psal. 45. *suum altißimus*. quibus verbis exprimitur præcipuus sanctificationis modus mirabilis huius Dei tabernaculi, cui flumen integrum gratiarum concessum est. Qua in re nobis ostenditur, quàm longo interuallo Mariæ virtutes superent aliorum sanctorum virtutes vel excellentissimas.
Excellentia B. Mariæ. Sanctorum enim dona & facinora egregia imitari possumus, si volumus: at Mariæ dona, gratias, & virtutes nemo assequi valet. Imitare, si placet, Virginem esse & matrem, conceptionem purissimam, nullo affici prauo motu, nulla vel leui culpa inquinari Adeò hæc sublimia sunt, adeò mira & magna hæc Mariæ est pulchritudo, vt de ea di-
Esther. 2. catur, quod de Hester, *incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa & amabilis videtur*. Annon magna & incredibilis pulchritudo virgo mater? Tanta pulchritudine expetiuit sibi Sponsam Dei filius, vt ad eam
Cant 4. dici possit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: nec næuum venialis delicti in ea passus est. Si in sepulchro nouo, sindone munda reponendum fuit emortuum CHRISTI Corpus, quo loco reponendum, cùm opere Spiritus sancti formatum est, nisi in Maria, in qua nunquam dæmon habitauit?
Cant. 6. *Pulchra* itaque Maria *vt luna, electa vt sol; terribilis vt castrorum acies ordinata* quia in Maria Deus vniuersa bona congessit.

Nobilitas B. Mariæ. Ostenditur quoque Mariæ nobilitas ac ingenuitas, duam eam liberam dicimus ab omni peccati tributo, tanquam sacerdotalis AEgypti terra, quæ nulli tributo obnoxia fuit. Hinc Ecclesia verba illa de diuina sapientia ad literam dicta, MARIAE tri-
Gene. 48. buit. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Nam adeò facta est similis Deo, sic in eam se ille efformagit; vt quamuis omnis iustus diuinam participet similiꝫ

similitudinem, vt dicat cùm Paulo; *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur*; in Maria autem hæc participatio gratiæ fuit plenissima, & fuit etiam plenissima assimilatio diuinæ sapientiæ & bonitatis. Hanc Domine fecisti imaginem bonitatis tuæ; quia tibi omnium propinquissima est, adeoque proxima, vt in vtero suo Dei imaginem, non participatam, sed veram & infinitam continere valuerit. atque adeò Deo simillima, vt verba sibi diuina meritò vsurpet, quæ de seipsa Sapientia loquitur. Cùm enim omnis creatura aliquid Dei repræsentet: Maria inter vniuersas creaturas personam egit diuinæ sapientiæ, eiusque similitudinem induit: vnde loquitur verbis Sapientiæ, ac si ipsa Sapientia esset. *2. Cor. 3. D. Thom. opusc. de charit. Dei. Bern. serm. de verb. Apoc. 12. signum magnum. Cur Mariæ diuinæ Sapientiæ verba tribuat Ecclesia.*

Primò quia Mariam condidit sapientia singulari summa arte, maxima industria. Cùm DEVS noster creaturas conderet, dixit, *Fiat*: at cùm hominem condere vellet, singulari vsus est prouidentia, dicens, *Faciamus hominem*. Cùm ergo MARIA condenda fuit, opus erat summa sapientia: diuersa nanque inter se conuenire debebant, vt esset mater, & virgo; creatura & genetrix creatoris; filia Adæ sine culpa. *1. Gene. 1. 2.*

2. Quia sapientiam ipsam in vtero gestauit suo; nec Dei similitudinem solùm habuit, vt cæteri Sancti, sed ipsam sapientiam Dei increatam in vtero portare meruit; ipsum iustitiæ solem intra se continuit. En mulierem amicientem solem, & solo etiam amictam; mirabilis planè hæc mulier. *2. Apoc. 12.*

3. Quia in Maria diuina sapientia voluit suiipsius imaginem efficere, & sui speciem in ipsa exhibere. Licèt ergò aliqua similitudo sit inter Christũ & Abraham, Isaac, & Iacob, tamen remota nimium, adhuc non habet Deus, qui cum societatem ineat; ideo carnem non assumpsit: At Mariam inspiciens ait; *hoc nunc ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Ex hac carnem assumam, hanc ego quærebam, hanc exoptabam, vt sit *signaculum similitudinis*, melus quàm Lucifer, cuius *3. Gene. 2. Ezech. 28.*

 gratui-

gratuita & supernaturalis Dei similitudo peccato periit; imago Dei perfecta ipsum exprimens. Decuit enim virginem hanc ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi.

Viæ Dei sunt creaturæ.

Sapien.13.

Sed iam verba illius perpendamus. *Dominus*, ait *possedit me in initio viarum suarum*. Viæ Dei sunt ea, quibus in Dei cognitionem ac dilectionem venire possumus. Viæ ergò Dei Creaturæ sunt: nos enim ducunt in Deum cognitione & amore. *A magnitudine speciei creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Cùm enim omnis creatura participatio sit diuini esse; omnis illa ostendit aliquid Dei. His ergò oculis conspicienda omnis creatura est, vt aliquid Dei, vt via ad ipsum, vt imago illius; vt per eam Deum cognoscamus & diligamus. Omnis enim pulchritudo creaturæ ostendit infinitam Dei pulchritudinem; omne pretiosum, thesaurum Dei infinitum: & sic scala nobis est omnis creatura, qua in Deum conscendamus. Viæ ergò Dei creaturæ sunt: sic Lucifer dicitur *initium viarum Dei*, quia potissima primaque omnium creaturarum fuit.

Iob. 40.

Maria quomodo initiũ creaturarũ Dei.

Nunc igitur Maria ait: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Sed num initio creaturarum facti sunt Adam & Eua, quomodo ergo Maria? Intentione scilicet, quia eam intendit primum ante omnem creaturam: Præcipuum enim & primum à Deo inuentum sunt IESVS & MARIA. Videns enim Deus Adam peccaturum & totum orbem infecturum, non condidisset mundũ, nisi vidisset ex Israel excidendam esse *petram* primariam *sine manibus*, ex qua Messias futurus erat. Huius petræ dilectione, quæ mater Messiæ est, & Messię amore, mundum condidit. Hinc apud Ierem. dicit: *Nisi pactum meum stetisset, diem ac noctem, leges cælo & terræ non posuissem*; id est, nisi IESVS & MARIA essent, nisi illud pactum meum cum humana natura esse deberet, mundum neutiquam condidissem. Cùm enim mundus sit propter hominem; & homo propter beatitudinem quæ impedita erat Adæ peccato; si IESVS & MARIA non essent, qui remedium huic malo attulerunt, nulla mundi cõstituen-

Daniel.

Ierem.31.

Petr. Galat. lib.7. de ar. can. cathol. verit. c. 1. 2.

ſtituendi ratio ſupereſſet. Eſt ergò Maria finis operum Dei, primaque in eius intentione.

Fuit quoque reconditiſſimum Hebræorum arcanum, vnam apud Deum eſſe primam creaturarum, quę omnium reliquarum perfectionem continet, quam vocant Mitraton Sarapin, id eſt princeps facierum: cuius eſt ſemper vultui Dei aſſiſtere; & eius munus ac officium eſt introducere reliquos omnes benemeritos ad Dei conſpectum. Hoc munus, priuſquam Maria in mundum veniret, præſtitit ſupremus Seraphinus. Sed hoc nunc Mariæ munus eſt, cùm ſit Dei mater & hominum, Deoque proxima, vt homines introducat ad Dei conſpectum, vniuerſalis hominum interpellatrix coram Deo: in omnes namque ſe extendit eius miſericordia, quæ in vtero portauit ipſam miſericordiam. Si enim quia manu attrectaſti aromata, eorum odorem retines; quid mirum miſericordiæ odorem Mariæ ineſſe, quæ ſic Christum dominum contrectauit, quæ rore cœleſti ſic irrigata eſt? Ad eam ergò accedamus; teneamus eã, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens eſt enim, nempe vellus eſt medium inter rorem & aream, mulier inter ſolem & lunam, Maria inter Chriſtum & Eccleſiam conſtituta. &c.

Franciſc. Venetus in harmon. mundi. can. 1. tom. 5. cap. 6.

Simile.

Bernard. ſerm. de verb. Apoc. 12. Signum magnum.

DE B. LVCIA. vide ſuprà in feſto S. Agnetis, vel Catharinæ.

IN FESTO S. THOMAE Apoſtoli.

THEMA: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20.

OMnia, quæ ſanctorum ſunt, maxima ſunt; quoniam illi maximi ſunt: & ideò vniuerſa, quæ ad eos pertinent, magna conſideratione digna. Inter quæ non minimum eſt, quibus vijs Deus vſus ſit,

Ioan. 11. vt *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum* Et ad Patrem ait: *Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit.* Ex diuersis ergò locis collectos in vnum Dei filios congregat; hos ex Hispania, illos ab extremis terræ, alios ab Insulis; hos ex Maurorũ gente, illos ex Iudæa. Ideò Isa ait. *Ab oriente adducam semen tuum, ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni, da; & austro, noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filios meos ab extremis terræ.* Felix certè prædestinati aut electi sors est, quam Deus eo loco habet, vt si oporteat eum rursus è cælo descendere, vt propter Paulum, id faceret. Sunt enim electi fructus & finis mundi huius; cùm vniuersa propter electos sint condita *Firmum Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc: nouit dominus, qui sunt eius.* Hoc verò fundamentum illi sunt, quos Deus voluit fundamenta esse Ecclesiæ, firmiter perseuerantes in fide & gratia: & ideo licet concurrant flumina & venti, non decident. Primum hoc est signaculum diuinæ prædestinationis: *Nouit dominus, qui sunt eius*: secundum verò est; *& discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen domini*: quia liberè operatur electus, ideò secundum signum est, discessus ab iniquitate. Hoc verò signum electionis ostenditur hodie in B Thoma.

Ioan. 17. · Isa. 43. · Act 9. · 2. Tim. 2. · *Signaculum diuinæ prædestinationis.* · 1. · 2.

Eius verò infidelitas primò in Euangelio proponitur, cùm credere noluit, discipulis omnibus annunciantibus Christi resurrectionem. Sed quare infidelitas & stultitia S. Thomæ nobis in die eius solenni, in qua *laudem eius enunciat Ecclesia*, proponitur?

1. 1. vt diuina gloria & misericordia illustretur, quæ nouit *ex vase contumeliæ vas gloriæ*, vas admirabile efficere Sic ostensum est Ieremiæ in domo figuli, qui vas confractum reparauit. Infinitæ bonitatis indicium hoc est, quo Dei gloria præcipuè illustratur: vt cùm quisque Sanctorum potiùs velit deum honorificari, quàm seipsum, gratissimum Sancto cuique est, si eius ingentia scelera vniuersis manifesta fiant. 2. quia in electis, præcipuè in principibus, id diuina gratia effecit, vt in eo, in quo deliquerunt, posteà adeo

2. Tim. 2. · Ierem. 18. · *Sic Matthæus se publicanũ scribit.* · 2.

fuerint

fuerint insignes virtute, vt in eis illud magis sit laude dignum. Audisti Magdalenæ impuram vitam? scito eam posteà ad Angelicam ascendisse puritatem, & *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Audis Petri leuitatem, dum ad puellæ vocem Christum negauit? intellige summam fidei firmitatem ei traditam tanquam Ecclesiæ fundamento. Legisti Paulum persecutorem sanctorum? scito posteà fuisse acerrimum Christi defensorem, fidei propagatorem. Idipsum Thomæ accidit; incredulus fuit, sed posteà ita fide enituit, vt diceret, *Dominus meus, & Deus meus.* Et Ecclesia, eius fidem nobis imitandam proponit, oratque, *vt fidem eius congrua deuotione sectemur.*

Rom 5.

Ecclesia.

Sed quoddam Thomæ peccatum? Voluit videre. Sic enim ait: *Nisi videro in manibus eius.* &c. Duo sunt nobis magistri, valdè inter se diuersi, sensus & fides. Qui sensu ducitur, similis est brutis, quorum ductor sensus est: Fides verò assentitur non visis. Sensui credere voluit Thomas, ergò deliquit.

Sed licèt Thomas incredulus fuerit, & deliquerit, aliquid tamen boni præ se ferebat. Sed quodnam illud? Certè quemadmodum is, qui nimio desiderio aliquid cupit, difficilè credit id se habere, nisi viderit; ita Thomas præcipuo desiderio desiderauit Christi resurrectionem, & eum dilexerat nimium; & ideò non plenè credit Christum suscitatum. Sicut Iacob, qui viderat intinctam sanguine tunicam Ioseph, non credit vndecim filijs dicentibus, ipsum viuere & regnare in Aegypto; quia illud valdè cupiebat, & vehementer filium diligebat: ita nunc Thomas viderat Christi corpus sanguine intinctum, viderat mortuum, cùm nunc audit eum viuere & regnare, non credit, nisi videat; quia id ardēter desiderat. Pręcipu' verò Apostoli Thomæ amor in Christū ostenditur, cùm ait, *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* mortem non timet, dum Christum comitetur. Nos verò ire post Christum nolumus ad vitam. Præeligis mori cū dæmone, quàm viuere cum Christo; mancipium diaboli esse, q̃ regnare cum Deo. Cùm Christus vocat te, quò putas te vocari?

Allegoricum exemplum.
Gen. 37. 45.

Ioan. 11.

N. B.

Ad

Ioan. 10. Ad vitam, an ad mortem? Audi ipsum dicentem: *Ego veni, vt vitam habeant, & vt abundantius habeant.* Cùm à dæmone vocaris, quo putas te vocari, nisi in mortem æternam? *quia fur non venit, nisi vt mactet, & perdat.*

Sed vt incredulitatem Thomæ auferat Iesus, & summa eum fide pollere faciat, iterum Apostolis apparet; & tunc ibi Thomas erat, ad quem ait: *Infer digitum tuum huc* &c. Loquitur Verbum Dei verba amoris & dulcedinis plena, quæ procedunt à pectore & corde transfixo, non lancea solùm, sed amore. Et quemadmodum cùm columba reuertitur in arcam, educit manum Noë, & eam recipit in arcam: ita cùm manum suam Thomas mitteret in Christi latus per foramen illud, apprehendit Christus Thomæ manum, & defert oliuæ ramum in ore, confessionem illam, *Dominus meus, & Deus meus.* Sed ô domine mirabilia opera tua sunt, & quæ humanum superant intellectum. Ante lucem venit Magdalena aromatibus onusta; & tamen apparens ei, cùm pedes tangere voluit, ait: *Noli me tangere*: nunc verò incredulo discipulo apparens non solùm pedes tangere, sed manum mittere in latus permittis? quare hoc singulare ei donum concedis? Certè quia necessarium hoc fuit, vt Thomæ incredulitas tolleretur; & quia Deus nihil relinquit, quod electorum saluti conducat. Maximum profectò donum Thomæ concessum: Quis ad fontem Paradisi peruenit, vnde vniuersa terra irrigatur? En Paradisi cœlestis fontes contrectat Thomas. O felix manus, quæ in horologio mystico horam diuinæ misericordiæ designas, & homini ostendis.

Allegoricũ exemplũ. *Gen. 8.* *Ioan. 20.* *4. Reg. 20.*

Si ergò bona omnia cupimus, manus & cor & nos vniuersos his Christi vulneribus applicemus. Similem dicit Paulus hominem germini, quod in trunco inseritur. Inserimur nos Christo, vt fructum referamus. Sed quo in loco? Certè vulnera Christi domini scissuræ sunt trunci: quæ ideò facta sunt, vt eis nos inseramur. Si ergò his plagis adhæserimus, si in eas ingrediamur, omnem vim ac virtutem accipimus. Sic enim Thomæ accidit; cùm primùm ad hæc vulnera accessit, remedium inuenit. Hinc de se refert Hieronymus,

Rom. 11. *Simile elegans.*

nymus, quòd cùm molestissimis carnis tentationibus vrgeretur, & nullo medicamine adhibito remedium inueniret, ad vulnera Christi cùm accederet, non medelam solam reperiebat, sed angelicam experiebatur puritatem. Vt ad hæc veniamus, nos inuitat Sponsus dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Si columba es, gratias age vulneribus Christi: coruus enim eras, *natura filius iræ.* Accede ergò, & propera, veni ad foramina petræ, ad Christi vulnera, ad cauernam maceriæ, ad vulnus lateris. Ibi fortitudinem accipies, qua inimicos superes. Vnde putas tantam fortitudinem in Apostolis fuisse, vt *in omnem terram exiret sonus eorum?* Vnde Thomas ea virtute præditus est, vt vsque ad vltimos terrę fines ad Indos peruenerit? Certè quia in his Christi vulneribus refugium suum constituerat. Expertus fuit Thomas vulnerum vim, & ideò perpetuò his adhæsit corde & mente.

Hieron. ep. 4. ad Rustic. & 22. ad Eustoch.
Cant. 2.
Eph. 2.
Psal. 18.
Rom. 10.
Psal. 90.

Cur vulnera seruarit Christus.

Sed operæpretium erit nosse, quibus rationibus adductus sit Christus, vt post resurrectionem suam vulnera reliquerit in carne gloriosa? Prior ratio est, vt gloriæ suæ consuleret: sunt enim ei gloriosa vulnera, in quibus ipse præcipuè gloriatur. Sic & Augustin asserit martyrum cicatrices mansuras post resurrectionem in eorum gloriam. Si enim gloriatur miles in vulneribus acceptis in prælio contra infideles gesto, quid mirum, si glorietur Christi martyr in vulneribus pro Christo susceptis? & ea in eius gloriam relinquantur in æternum? Sic ergò in gloriam Christi vulnera relicta sunt; quia sola bonitate, amore, & obedientia patris ea passus est. Hic attendenda est immensa Christi in nos misericordia, non solùm pati pro nobis voluit, sed & in passione gloriatur: quod minoris misericordiæ non est, quàm ipsa passio. Mirum quidem nō est hominem gloriari de his, quæ Dei causa patitur: admirandum valdè, quòd Deus glorietur in passione pro homine suscepta, & in sui gloriam seruet vulnera in carne sua. 2. vulnera seruat, vt ostendat, non pœnitere sese, quòd passus pro nobis fuerit. Posset forsan aliquis cogitare, visa hominum ingratitudine, pœnituisse Christum, quòd

1.
Simile.
2.

quòd pro ingratis passus sit: sicut eum pœnituit, *quòd*
Gen.6. *hominem fecisset*, & quòd constituerit Saul Regem, quia
1. Reg 15. inobediens fuit: sed quia hac de re pœnituit nunquam,
nec pœnitebit, ideò vulnera seruat, nec delet. Sicut voluit, vt mortuo lancea latus aperiretur, vt nouerimus nos ab eo diligi, etiam mortuo; ita vt suam in homines dilectionem post resurrectionem ostenderet, vulnera seruat; vt testes sint immensæ dilectionis Christi in
Exemplũ. nos Cùm miles Iulio Cæsari de proditione suspectus esset, venit ad Cæsarem ei cicatrices vulnerum ostendens; quæ passus in bello fuerat eius causâ, & plenam fidelitatis ipsius satisfactionem Cæsar habuit: ita vt homo certus sit de Christi in se dilectione, vulnera seruat, quæ semper ostendit.

Vidit Thomas Christi vulnera, & ideò similia pati voluit; telisq; confossus est, vt verus minister fidei,
Col. 1. ac Euangelij esset, sicut Paulus qui ait: *Adimpleo ea, quæ desunt paßionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Quid deesse potuit Christi passioni-
Hebr. 10. bus; cùm *consummauerit vna oblatione s[anctificat]os*. Ec-
D. Thom. clesia & Christus sunt vnum corpus mysticum, cuius
in Paul. caput Christus. *Adimpleo* ergò, ait Paul. merita mea &
Col. 1. passiones meas, & addo meritis Christi: Vel 2. quia Christus nõ solùm passurus erat pro Ecclesia in carne propria, sed etiam [in] suis Apostolis & martyribus, qui ad Ecclesiæ vtili[t]atem passuri erant: deerat ergò hoc, quòd sicut Christus passus fuerat in persona propria, ita pateretur in membris suis; adimplet ergò Paulus, dum sanguinem pro Ecclesia ob Christi nomen fun-
Caietan. dere cupiebat. Vel 3. *adimpleo ea, quæ desunt, paßionũ Chri-*
in Paul. *sti in carne mea*, id est, ea quæ desunt carni meæ passionum Christi. Quousq; enim quis ea vniuersa sustineat, q̃ Deus præordinauit, aliqua ei desunt ex Christi passio-
Chrysost ho. nibus, aliquid ei restat ex calice Christi bibendũ Vel 4.
4. in Col. 1. *adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi*, vt scilicet coniungantur passionibus meis. His verbis ostenditur Christi amor, qui paratus est millies, si oporteret, pro nobis pati, dum non contentus passione sua, etiam in membris suis pro nobis sæpe pati voluit. 5. Vel fortè significat Paulus hoc *deesse paßionibus Christi*, quòd il-

le ex-

le exemplum fuit passionis innocentibus, cùm innocens passus sit: Peccatoribus verò Paulus exemplum est patiendi, cum peccauerit; quod etiam Thomæ accidit.

Visis Christi vulneribus Thomas ait: *Dominus meus, & Deus meus.* Pauca & concisa loquitur verba: magna etenim vel silentio, vel verborum concisione explicari solent. Propositionem non perficit, sensum non exprimit; quia sensu & animo percepit, quod verbis exprimere non valuit. In *Manhu* hæc expressa sunt: quia sicut illud explicari non potuit, & ideo *Manhu*, id est, *quid est hoc*, dictum est; ita diuina consolatio nullis verbis exprimi valet. Quod si iusti consolationes in hoc exilio tantæ sunt; si tantum gaudium Thomæ, cùm Christi humanitatem vidit; quale obsecrò gaudium erit in cœlo visa Christi humanitate gloriosissima & diuinitate, quæ abyssus omnium bonorum est. Si Thomæ proponeres, vel vniuersa mundi gaudia, vel gaudium hoc, quod ex visâ Christi humanitate percepit, eligere; sine dubio hoc eligeret, illa respueret: & nos similiter eligeremus. Si ergò omne mundi gaudium minus est gaudio, quod ex viso corpore glorioso suscipitur; quale obsecrò erit gaudium ipsius beati, cuius visio sola tantum parit gaudium? Si solùm videre in alio bonum illud tantum gaudium parit, quale pariet possessio illius, quæ est omne bonum, quo habito nihil restat appetendum. &c. *Exod. 16.*

IN DEDICATIONE Ecclesiæ.

THEMA: *Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Luc. 19.

OMne se perfecisse putabat Israël, cùm templum illud per amplum haberet gloriabaturq; dicens; *templum domini, templum domini.* Sed dominus ait: *Quæ est ista dom', quā ædificabitis mihi.* nō hoc mihi manu *Ier. 7.*

factum *Isa. 66.*

Prouerb.9. factum gratissimum est, sed illud quod à me ædifica-
Col. 2. tum est: quod construxit in terra, cùm humanitatem
Ioan.2. sibi fabricaret, *in qua habitaret plenitudo diuinitatis corporaliter*, id est, verè & realiter. Hanc ille dixit templum suum: *Soluite templum hoc.* Huius verò templi aliud etiam fuit templum, istud continens, Maria, quam Deus
3.Reg.8. mirum in modum ornauit, vt digna Dei domus esset; hanc impleuit maiestas & gloria Dei Israël multo potiori iure, quàm Salomonis templum. Inter huius do-
Luc. 11. mus priuilegia vnum illud est non contemnendum: *in ea omnis, qui petit, accipit.* Petamus ergo gratiam. &c.

Dedicationis templi diem festum Ecclesia celebrat; quia cùm Ecclesia dedicatur, fit omnibus officina
Matth.20. salutis, turris refugij, quam in vinea sua posuit Pater-
3 Reg.8. familias, in qua ab inimicis securi sint. Si enim glorifi-
2 par.6. cari à Deo domum à se constructam voluit, petijt, & obtinuit, vt refugium esset omnibus orantibus in ea: multo potiori iure templa nostra eo priuilegio gau-
August. lib. dent propter præsentiam Christi domini in Euchari-
18 de ciuit. stia. Et oratio, quæ in templo funditur, potentior est,
Dei cap. 45. & Deus adest magis in eo orantibus, tum ratione con-
& 48. secrationis, tum quia Christus ibi adest præsens. Meritò ergò consecrato templo dies festus agitur. Quid quòd cùm templum dedicatur, Deo domus erigitur, in qua inter homines habitet, quod summum est beneficium; & tantum, vt incredibile Salomon appa-
2, Par. 6. ruerit cùm dicit: *Ergóne credibile est, vt Deus cùm hominibus habitet.* &c. Et quia diuinam maiestatem eiusque celsitudinem non agnoscimus, hoc beneficium non adeò magnifacimus. Si eam agnosceremus, vt decet, summam nobis ingeneraret lætitiam, quòd Deus vicinus noster esset. Quàm meritò igitur
Isa. 22. Isaias. ait *Exulta, & lauda habitatio Sion; quia magnus in*
Ioan. 10. *medio tui sanctus Israel.* Meritò ergò festum celebri festi-
1.Matth.4. uitate recolitur. Sic & Machabæorum tempore Israelitate fecerunt, quod & à Christo fuit obseruatum.

In qua quidem Euangelium proponitur, quo ostenditur domum Zachæi Christum sibi delegisse, cùm ait: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Et, *Hodie salus huic domui facta est*, quæ templo præcipuè aptari

possunt, in quo Christus manet iugiter; ... conceditur fidelibus. Est enim quasi Xenodochiũ ...arum, atque etiam corporum medicamentum, & ...ium miseriarum leuamen.

Ait ergò sacer Euangelista: *Ingressus Iesus perambula-* ...*Ericho*. Hanc destruxit Iosue & reædificantem ma- *Ios. 6.*
...lixit. Mundi verò typum Iericho gessit, cuius maledi- *3. Reg. 16.*
...io nondum finem accepit: nunc enim imminet su- *Ioan. 16.*
per eos, qui mundum à Christo victum & euersum iterum cõstruere conantur. Iericho autem luna interpretatur: mundum verò Lunam significare quis non nouit?

Quid ergò in hac Iericho Christiano faciendum? Certè quod Christus, *qui perambulabat Iericho*: Non ergò in hoc mundo consistendum, sed transeundum est. Si
mundus transit & concupiscentia eius, & nos transeamus. *1. Ioan. 2.*
Mundus hic non domus est, vt in ea habitent peregri- *1. Cor. 7.*
ni, sed diuersorium in horam vnam. Nam *non habemus* *2. Cor. 5.*
hic manentem ciuitatem. Meritò ergò nos Petr. monet: *Ob-* *Heb. 13.*
secro vos fratres, tanquam aduenas & peregrinos abstinere à *1. Pet. 2.*
carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. 2. perambulabat Iericho, licèt maledicta ciuitas esset; quia
Christo in mundum veniente *factum est pro nobis male-* *Gal. 3.*
dictum, vt nos ab omni maledicto eriperet. Non diu *Psal. 102.*
permanet ira Dei: maledixerat Iericho, nunc per eam *Isa. 57.*
ambulat; tanquam pius pater, qui filios obiurgat, & po- *Abac. 3.*
steà facilè placatur, iramque deponit. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.* Et, *cùm iratus fue-*
ris misericordiæ recordaberis. Si ergò in te iratus est Deus, *Iob. 33.*
ora eum; *Placabilis tibi erit, & videbis faciem eius cum iubi-* *Luc. 15.*
lo. Conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Perambu- *Isa. 12.*
lat ergò IESVS Iericho, tanquam pius medicus domos infirmorum, tanquam pater amãtissimus domos filiorum; immenso amoris igne cor eius erat accensum; & peccatorum salutem mille modis ac vijs quærebat. Quòd si *dæmon circuit, quærens quem deuoret*, an *1. Pet. 5.*
non bonus Pastor circumeat, & perambulet ouile *Act. 10.*
suum, vt oues tutetur suas?

Sed nunquid & hodie perambulat? Maximè. An non vidisti Eucharistiam diuinam in domos infirmorum

morum portari? En perambulat iterum Iericho. Sed & persimiles deambulationes in corde tuo facilè videbis. Quid enim aliud esse putas, sanctas in te missas cogitationes, vt vitam in melius mutes? An non sic in paradiso deambulabat clamans, *Adam vbi es?* Quoties audisti vocem domini, Vbi miser peccator es? An non pauces Deum tibi iratum? Agnosce igitur & Dei eximium erga te amorem, & supremum tibi adesse periculum, cùm toties Deus ad te veniat; & domum cordis tui perambulet. Sed si amore ductus Iericho perambulat, cùm in Ierusalem pergit, vt mortem sustineat; quo obsecrò amore ciuitatem eandem, mundum scilicet, prosequetur, cùm illam proprio sanguine emerit?

Rom. 5. & 8.

Sed audi, quid deambulanti Christo obuiam veniat. *Ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues.* D. Lucas, vt artificiosus pictor, primùm depingit Zachæum rudem, nigrum, deformem. *Princeps erat Publicanorum*, & sic primus peccatorum; qui status miserrimus erat omnium. *Et ipse diues*, qui proinde non erat immunis à delicto. Hæc verò dicit, vt medici potentiam ostendat, simul & artem, qui primum peccatorum adcò facilè sanitati restituit; vt desperet nullus. Tanta in Euangelio à Christo dicta sunt in diuites, vt quidam hæretici dixerint, diuites nullo modo consequi posse salutem æternam: quæ hæresis damnata est. Potest enim diues saluus esse; ideò nunc dicitur de Zachæo, *& ipse diues.* Difficilè ergò diuiti salus contingit: at contingere potest, si Zachæum imitetur.

In Concil. Gangrens. tom 1. Concilior. Anno dom. 324.

Videamus iam viuos expressos eius calores, quos ob oculos proponit sacer pictor D. Lucas, vt illos imitemur. *Quærebat*, ait, *videre IESVM.* Sed non hoc desiderabat vtcunque, vt Herodes voluit videre Iesum, verum Spiritu s. afflante *quærebat videre IESVM*; sicut Magi, Sicut Simeon senex. Qui sic IESVM videt, meritò audit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Sed quid mirum desiderare conspectum faciei Christi? An non Regina Austri venit à finibus terræ, vt videret Salomonem? *Et ecce plus quam Salomon hic.* Sed ais omnes desideramus videre IESVM. At est desiderium ef-

Luc. 9 & 23. Matth. 4. Luc. 2. Luc. 10. 3. Reg. 10. Matth. 12. Luc. 11. 2. Par. 9.

ficax, & inefficax. Est efficax, quod omnia quærit in hũc finem necessaria media, vt id assequatur, quod desiderat. Huiuscemodi Zachæi fuit desideriũ. *Cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis, dicit dominus.* Hoc est illud Psalt. *Faciem tuam domine requiram*, id est, toto studio, toto cordis conatu quæram. Deut. 4. Psal. 26.

Sed cùm Zachæus quæreret videre IESVM, *Non poterat præ turba; quia statura pusillus erat*: ideoq; arborem conscendit. Quo in loco. 1. expende, quomodo qui mũdo inseruiunt, conantur omne, quod possunt; imò & quod non possunt. Qui mille aureos habet duo millia insumit, vt vanitati seruiat. Tanta est superbia, vt plus conetur, quàm possit, præstat. Cùm vides pauperem, ne ei subuenias, commemoras omnes tuas indigentias: cùm verò vanitatis occasio aliqua sese obtulerit, ibi omnia tua insumis, & etiam aliena. Vt Iesum videas, ad hoc nihil conaris: & cùm parua se obtulerit difficultas, continuò Deum quærere cessas, Dicis; Ieiunare nõ valeo, dolet enim caput. &c. Sed si te interrogarẽ, quando difficiliora sustines, vt mundo fruaris? An hæc præstares, si propter illa regnum terræ tibi concederetur? 2. verò ex hoc Zachæi facto collige, cùm qui *statura pusillus est*, inter turbas videre Christum non posset, posset verò si statura procera esset; ideò à turba recedat cum Zachæo, & arborem conscendat. Multa enim sunt, inter quæ perfectus vir videre Deum potest, in quibus imperfectus non potest. Multæ sunt huius vitæ occupationes, multæ occasiones; in quibus, qui perfecta virtute præditus est, stabit; imperfectus verò peribit. Qui ergò se pusillum videt, ab his recedat cum Zachæo; ascende in arborem religionis, relinque ea omnia, quæ vides tibi esse impedimento, ne Deum diligas, licèt videas ea alijs impedimento non esse. Illi enim statura pusilla sunt, tu verò minima. Matth. 13.

Ascendit ergò Zachæus in arborem sycomorum. Maximum ostendit desiderium Christum videndi; cùm vt eum videat, hac vtatur adinuentione. Si in corde nostro ardens & efficax esset studium Deũ videndi, innumera inueniremus media, vt illud consequeremur. Attende quotidie adinuẽtiones, ꝓducant homines, vt vanitati inser-

inseruiant;ne illis tu in hoc cedas,qui Deo obseque-plures excogita vias mortificandi corpus tuum in-ctu,vestitu,& omni asperitate cultus,& humilitate.A-
Isaia 3. tende Zachæum sycomorum ascendentem;ergò *Dicite iusto,quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet V æ autem impio in malum.* Debitores verò nos sciamus Deo, vt adinuentiones quæramus in eius obse-
Psalm.76. quium,& dic cum Psal, *in adinuentionibus exercebor.*

Sed audi fructum adinuentionis Zachæi. *Suspiciens IESVS vidit illum,& ait: Zachee festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere.* Desiderauit Zachæus
Ephes. 3. solùm videre Christum:sed ille, *qui potens est superabundantius facere, quàm petimus, aut intelligimus*, non solùm videndum se, sed & hospitem & inuitatum præbuit. Qui ergò Nathanaëlem anteà sub ficu viderat, Zachæũ nunc super ficum videt, & se inuitat. Nouerat enim Christus Zachæi affectum, viditque non ausum fuisse inuitare:non ergò inuitat,quia non vult, sed quia non audet. Quo ostenditur plus sæpenumerò eum impetrare,qui quod secum tacitè optat, & propter cõscientiam indignitatis suæ non audet petere, quàm qui præsum-
Ioan. 1. ptuosè illum ad se vocare nõ dubitat. Qui ergò coram Deo humilis est, nec audet magna aliqua dona petere, humilitate illa plus orat, quàm si manifestè orans ea petijsset.

Festinans ergò descendit, & excepit eum gaudens: Et stans dixit ad Iesum. Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Attende eius feruorem in festinatione, gaudio, larga eleëmosyna, restitutioneque abundanti: docens te cùm accedis ad Dei obsequium, viriliter agere,feruide operari,virtutum officijs eximijs incumbere, iniquè
Exod. 12. parta & ablata restituere. Agnus Paschalis festinanter comedendus erat,vt doceamur in ijs,quæ Dei sunt feruentes & festinantes nos præstare.Sed quid Christus ad hoc respondet?

Hodie salus domui huic facta est, eo quòd ipse sit filius A-
Gene.18. *brahæ*,non imitatione tantùm,sed & natura. Imitatus est autem Abrahamum Zachæus in pluribus. Abraham vidit, & gauisus est;Zachæus vidit, & *gaudens suscepit*.

cepit. Abraham excepit Dominum hospitio euntem Sodomam; Zachæus *excepit hospitio* euntem Ierusalem. Abraham festinus cucurrit, & parauit Domino conuiuium; Zachæus *festinans descendit, & cum gaudio excepit* Christum conuiuio. Abraham stabat coram Deo; Zachæus *stans coram Christo loquitur*. Abraham in pauperes misericors, Zachæus *dimidium bonorum dat pauperibus*. Abrahæ data est benedictio in filijs; Zachæo in vniuersa domo. Verè igitur filius Abrahæ, à quo non degenerat, vt illi ad quos Christus ait. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* [illegible]tè ergò Paul. *Non omnes, qui filij Abrahæ, omnes semen* [illegible]*brahæ, sed in Isaac vocabitur tibi semen*, id est, *non filij carnis, sed filij Dei, qui sunt filij promissionis*, id est, qui ex promissione facta Abrahæ Christo regenerantur. Simul verò aduerte veritatem illius dicti: *Faciens misericordiam in mille generationes ijs, qui diligunt ipsum.* Vide post quot generationes recordatus sit Christus Abrahæ, vt propter illum misericordiam Zachæo conferat. Sic in libris Regum sæpe meminit Dauid, vt eius filijs benefaciat, regnumque concedat. Et filijs Rechab promissum est nūquam ex eo genere defuturum, qui coram Domino sit. Non hoc eueniet in mūdo, qui continuò obliuiscitur. Deo ergò obsequere, qui in suos fidelissimus est retributor in æternum. &cæt. Cui honor & gloria, in seculorum secula. Amen.

Chrys. serm. de Zachæo. Tom. 2. hom. 84. in Matth. 20. & hom. 41. in Genes. 18.

Ioan. 8.

Rom. 9.

Exod. 20.

Psalm. 131. 4. Reg. 19. & 20. Ierem. 31.

In festo S. STEPHANI, S. IOANNIS EVANGELISTAE, *&* INNOCENTVM: *similiter in die Venerab.* SACRAMENTI, *& alijs ferijs, fer. 2. Pentec. in Rogationib. in die Ascensionis Domini. Quære in parte hyemali & æstiuali suis locis.*

FINIS, DE SANCTIS.

LAVS DEO, Virginique MATRI.

obstruit os eis quinq[ue] digitis, q[ui] sunt

[illegible] confitendi, placentia p[ecca]ti, spes longe

vitae, timor satisfaciendi: et desperatio v[eniae]

cogitat enim ho[mo] si in centu[m] annis/ inciperem

[illegible] quid satisfacere possem, si ieiunavero, de[bilitabo]

me, si oravero destruet caput, si flecter[e]

[illegible] idolabo ea, et sic desperat. debet

cogitare q[uod] multi eremita/ din vixerunt

in eremo et nunq[uam] gustaverunt pane[m] et

[illegible] Scrib[itur] in bibliis cum [illegible] famos ma[g]

[in] samaria ita q[uod] due mulieres [illegible] coduxerunt

[illegible] suos, ... in unu[m] decoxaverunt; [illegible]

[illegible] suu[m] dare, et sic ad rege[m] iverit p[ro] [illegible]

7 audiens hoc malu[m] eos occidi [illegible]

[illegible] q[uod] Ezechias dix[it] cras venderetur [illegible]

[illegible] farine statere uno in porta samarie

audiens [illegible] an regem non credidit

[illegible] dixit, putans hoc impossibile esse [illegible]

[illegible] obsessa erat ab hostibus, cui prophe[ta]

[illegible] ubis et non gustabis, [illegible] illa

[illegible] timuit deus hostes, et sic fuge[runt]

[illegible] farina et aliis rebus, et implet[um]

[illegible] propheta ille aute[m] q[ui] non credidit

[illegible] in portu, p[er] ista[m] civitate[m]

[illegible] glebat ho[mo] q[ui] obsessus e[st] a de[monibus]

q[ui] no[n] resistet tentationibus nec [illegible]

[illegible] tuo propheta i[d est] [illegible] ei, si[c]

[illegible] q[ui] gra[tia] [illegible] est [illegible] du[m] mi[illegible]

[illegible] os tuu[m] ad confitendu[m] et p[e]n[itenti]a te[illegible]

[illegible] Juvenis multa mala fecerat, [illegible]

[illegible] in morbu[m] a sacerdote mone[ba]t[ur]

[illegible] ut catholicus renuit se

[illegible] confiteri nec curare, sed

[illegible] petiit aqua[m], bibere, sacerdo[s]

[illegible] aqua[m] benedix[it] et dedit ei bibere

[illegible] statim dei auxilio petit

[illegible] est confitentur, et sic [illegible]

[illegible]

Baptista Aloisianus Ravennas vel potius
Josephus Pamphilus ante annos centum dixit
numerum Monasteriorum Ord. Eremit. S. Aug.ni fuisse
virorum bis mille et trecenta virginum:
Initiatorum vero, id est Religiosorum ~~viginti~~
triginta millia In Chron. An. 1497

Ecclesiae Dioecesis Cracovie sunt immaco
canto conscriptos, et in lucem edite

1 5. 2 8

Iulij de Bonheo bello potique lent
prohibit beni Iuli ??

Nicolai ? gloriosi Augustinian
m[illegible]ia

Sacru[m] Grad[um] Praesbiteratus accepi

Warsaw in Ecclesia S. Joannis Baptistae

Collegiata Sabbatho ante festu[m] SS Trinit[atis]

ex manibus Illmi Rdi D. Lucae Koscielecky

a Koscielec Epi Posnaniens 1593

Celebravi [primas] SS Missae d[omi]nica Eiusd[em]

Anni ~~[illegible]~~ post festu[m] SS

Trinitatis q[uae] erat D[omi]nica [illegible]

Erant appropinquant ad Jesum publicani et peccatores

Luter nattal rohu Pan -

1517

Fr Michael Augustinus [illegible]

Oficio